

BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





BULLARUM
PRIVILEGIORUM AC DIPLOMATUM
ROMANORUM PONTIFICUM
AMPLISSIMA COLLECTIO

CUI ACCESSERE PONTIFICUM OMNIUM


VITÆ, NOTÆ, ET INDICES OPPORTUNI

TOMUS SEXTUS
PARS QUINTA

AB ANNO V. AD TOTUM ANNUM IX.

ALEXANDRI SEPTIMI

SCILICET AB ANNO MDCLIX. USQUE AD ANNUM MDCLXIV.





ROMÆ MDCCLXI.

TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI

IN PLATEA AGONALI AD VICUM CUCCAGNÆ.

SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO SANCTISSIMI.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

DOMINO ANDREÆ
TIT. S. ANGELI IN FORO PISCIUM
S. R. E. DIACONO
CARDINALI CORSINO.

HIERONYMUS MAINARDI FELICITATEM,



CUM apud omnes illud in more positum viderim, CARDINALIS AMPLISSIME, ut qui Volumen aliquod in publicam lucem, conspectumque edere constituunt, statim de aliquo Viro Principe, cui illud inscribant, serio cogitent, illorum ego morem secutus in TE unum oculos statim defixi,

 Teque

Teque Patronum elegi , cujus auspiciis hæc ALEXANDRI VII. P. M. decreta sumptibus nostris excussa dicarem. Sunt enim in Te ea simul collecta, quæ sæpe in singulos dispertita non nisi raro invenimus. Nam sive Generis splendor, sive Majorum tuorum merita pensentur, quid Tibi defuturum putamus, qui ex CORSINIA GENTE ortus es, ad cujus amplitudinem augendam confirmandamque à longa jam ætate Nobilissimæ Provinciæ, Præfecturæ, Ordines, Magistratus, Legationes, Fasces, Imperia, Cœlum ipsum in re tum civili, tum ecclesiastica conspirasse visa sunt? Sin vero TE neque ex Majorum tuorum præclare gestis, neque ex ANDREÆ CORSINI, cujus illustre nomen non sine divino consilio præfers, vel CLEMENTIS XII. P. M. laudibus, quæ tot, ac tantæ sunt, ut si eas recensere velimus nihil aliud agamus, vel cogitemus necesse sit, contemplemur, tot solus naturæ bonis, tot fortunæ ornamentis abundas, tot animi dotibus locupletaris, ut minime dubium sit, quin non aliunde actionibus tuis laudem quæras, quam ex cœlestibus animi tui penetralibus, & divina quadam tibi insita probitate, cum omnia, quæ justa, & honesta sunt, sola supremi Numinis voluntate, Tibique humanitate simili metiaris. Unde enim constans illa, & perpetua officiorum ratio, quam ab ineunte ætate ad hæc usque tempora coluisti? Unde in TE tantus virtutum amor, nisi ex divina quadam vi in tuo pectore condita, quæ omnes actiones tuas perpetuo excitat, easque singulas ad Numinis gloriam, ad Familiæ decus componit? Hæc cum Tibi magna sint, & præclara, sine quibus ne vitam quidem ipsam constare sapientissime putas, tum illud sane egregium, atque omni admiratione dignissimum, quod has præstantissimas animi tui dotes ejusmodi lenitudine temperas, benignitate condis, comitate suffundis, ut nemo fere TE adeat, TE alloquatur, Tecum una versetur, quin suaviter allectus moribus, & sermonibus tuis, arctissimis æternæ in te observantiæ, & benevolentiæ vinculis obstringatur. Hæc reliquis posthabitis quantacumque sunt, quæ certe maxima omnibus videri debent, in caussa sunt, cur ego TE in hisce ALEXANDRI VII. P. M. Constitutionibus publi-

publice edendis interpellaverim. Sunt enim typis mandata meis decreta, quorum aliqua ad libertatis, Immunitatisque Ecclesiasticæ firmitatem, juraque Sedis Apostolicæ sarta tecta servanda, aliqua ad restituendam, conservandamque in Ordinibus Ecclesiasticis, vel maxime Regularibus labentem tunc temporis disciplinam, felicemque illorum institutionem, atque gubernium, aliqua demum ad alia non minus necessaria sunt instituta: Quæ quidem omnia quanti Tu facias cum ex præclarissimis tuis supra recensitis virtutibus palam omnibus innotescat, Volumen hoc jure quodam suo Te sibi præ cæteris vindicat Mecenatem. Tibi sane, PRINCEPS, EMINENTISSIME à cujus Magno Patruo CLEMENTE XII. P. O. M. ad hoc opus typis edendum non solum privilegiis amplissimis solicitatum me scis, verum etiam voluntatis suæ significatione compulsum, Tibi inquam, & nemini potiori jure, quam Tibi hoc opus debebatur. Neque vero dubitare ulla ratione possum, quin quod Tuis non gratum modo, sed optatissimum quoque fuisse intelligis alacri etiam animo, & libentissime amplectaris, Teque à Tuis quoad voluntatem hoc opus & protegendi, & privilegiis muniendi vinci patiaris. Hoc itaque tuo inscriptum nomini Volumen æquo lubentique animo excipias, tuoque validissimo suscipias patrocinio, mihique hoc munere deposito summam erga te observantiam spondenti benignissime faveas oro, obtestorque. Id enim, CARDINALIS AMPLISSIME, si feceris, non erit cur hæc editio majorem Te alibi Patronum possit exquirere.




IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

D. Jord. Arch. Nicomediæ Vicesg.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicator. Sac. Palatii Apost. Magistr.

INDEX
RUBRICARUM BULLARUM ET PRIVILEGIORUM OMNIUM
Quæ in hac Tomi Sexti Parte Quinta continentur,

Quæ hoc Indice ☞ designantur erant in Editione Cherubini.

Prohi-

Prov.



INDEX
INITIALIS BULLARUM
HUJUS VOLUMINIS.

Nuper



CON-



CONSTITUTIONUM ALEXANDRI VII.

ANNUS V.

CCXXXIX.


Ex Regest. in Secret. Brev.

Acceptatio Donationum Sedis Apostolicæ factarum a quibusdam ex Familia de Flisco ex Oppido Messerano Vercellen. Dioecesis in, & super Feudis Principatus dicti Oppidi, & Marchionatus Crepacorii, eorumque Terris, & adjacentiis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Oblatio aliquarum donationum exhibita Sedi Apostolicæ a quibusdam a Familia Flisco.



UM sicut accepimus, dilecti filii Franciscus Maria qu. Barnabæ, & Octavius qu. Petri Augustini respective nati de Flisco ex Oppido Messerano Vercellen. Dioec. proprio, dictusque Octavius præterea uti Tutor dilectorum pariter filiorum Victorii Felicis, Francisci Mariæ, ac Josephi Benedicti, & Petri Lucæ etiam prædicti Petri Augustini natorum pupillorum, & respective Infantium una cum dilecta in Christo filia Antonia eorumdem pupillorum genitrice, & contutrice, ipsorum pupillorum nominibus respective nuper omnia jura, & actiones, quæ tam ipsi primodictus Franciscus Maria, & Octavius qu. dicti Victorius Felix, ac alter Franciscus Maria, necnon Josephus Benedictus, & Petrus Lucas pupilli in, & super Feudis Principatus dicti Oppidi Messerani, ac Marchionatus Crepacorii dictæ Dioecesis, eorumque Terris, Locis, & adjacentiis ad Nos, & Sedem Apostolicam spectantibus, & pertinentibus habebant, seu prætendebant, sive habere, ac prætendere poterant in futurum, talia qualia sunt, ac Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris donatione præsenti, quæ dicitur fieri inter vivos, irrevocabiliter donaverint, hoc adjecto, ut hujusmodi donationum acceptatio a Nobis intra sex menses fieri deberet; Cumque primodictus Franciscus Maria donationem sic a se factam observare, & adimplere juraverit, & alias prout uberius continetur in tribus publicis Instrumentis tenoris, qui sequitur videlicet.

Tenor Instrumentorum.

L' Anno di nostro Signore corrente 1658. l' undecima Indizione, e alli 24. del Mese di Novembre fatto in Messerano Dioc. de Vercelli, e nel Palazzo dell' Illustrissimo Signor Governatore Apostolico Marco Tullio Camoncoli, cioè nella stanza della sua solita udienza, e avanti il molto Illustre Signore Andrea Gualla del Principato di Messerano Podestà alla presenza del Sig. Giacomo Polini del fù Giulio Cesare di Bologna abitante in Messerano, e Gio: fù Paulo Marietta, Giacomo Figlio di Giovan Battista Rigaldo ambi di Vallesia, e di Giorgio del fù Comello Mascarella, e del Signor Francesco Polla del fù Antonio ambi di Messerano Testimonj astanti domandati, conosciuti, e pregati, dove personalmente constituiti avanti me Notaro sottoscritto, e delli sudetti Testimonj, il molto Illustre Signor Francesco Maria, del fù Signor Bernabò di Messerano, e il molto illustre, e molto Eccellente il Signor Dottor Ottavio Fiesco del fù Signor Pietro Agostino Fiesco del medemo luogo, i quali avendo avuto fortuna di trovare con l' ajuto di Dio alcune raggioni per le quali a loro aspetta, come credano, il Principato di Messerano, e Crevacore, e desiderando essi mostrar la devozione dell' animo loro verso la Santa Chiesa hanno risoluto di venir all' infrascritta donazione, mera, e pura qual si dice fra vivi, rimettendosi a quello che più piacerà a Sua Beatitudine, onde constituiti &c. spontaneamente &c. non per forza, paura, ne inganno, ma liberamente hanno fatto, e ciascheduno di loro fà pura, mera, & irrevocabile donazione, che di presente, che si dice frà vivi alla Santa Romana Chiesa, Sommo Pontefice, e suoi Successori, e per detti all' Illustrissimo Signor Governatore Apostolico qui presente, e accettante a nome di Santa Chiesa, Sommo Pontefice, e suoi Successori di tutte le sue Ragioni tali, quali, e non altrimente, che a loro spettano, e appartengono

gono sopra il Principato di Messerano, e Marchionato di Crevacore, e suoi Terre, e Luoghi adjecenti, con questo però, che le dette raggioni non si intendino incorporate alla Santa Chiesa fin a tanto non sii seguita l'approvazione del Somm. Pontefice nostro Sig., dando anche licenza, e riservandosi di poter agitare le dette raggioni dove occorrerà sotto il nome loro ad aver &c. constituendosi &c. divestiendosi &c. di dette raggioni, e investiendone detta S. Chiesa, e Somm. Pont., promettendo di non averne fatto contratto, ne distratto alla presente donazione pregiudiciale richiedendone per me Notaro sottoscritto concederne, e riceverne publiche Testimoniali con promissione di ratificare la presente donazione giunti che saranno in Roma nella più valida forma, che si può con le clausole del Clausolario Rom. con qual ratificazione non si intendino in alcun modo pregiudicare ne invalidare la presente donazione per il presente Instromento. Dichiarando ancora, che nel termine di sei mesi si compiaccia Sua Beatitudine far accettare la presente donazione, e ratificare la stipulazione fatta dall'Illustrissimo Sig. Governatore, qual promissione d' accettazione si dichiara, che non possa sospendere, ne pregiudicare alla sudetta stipulazione, e che passato il detto termine, e non seguita la detta accettazione, s' intenda la presente donazione nulla, e in libertà a detti Sig. Fieschi come prima; E perchè detti Signori possino portarsi in Roma per l'effetti sudetti, l' Illustrissimo Sig. Governatore promette far concorrere Messerano, e Crevacore per la somma di doppie cinquanta frà loro in tutto per servirsene nel viaggio. Quali cose tutte detti Signori, e caduno d'essi per quello li aspetti hanno promesso, e promettano d'aver rate, grate, valide, e per ben fatte, e non contravenirli di raggione, ne di fatto, ancorchè alcuno d'essi potesse sotto obligo de suoi, e cadun di loro beni presenti, e futuri, quali &c. intervenendo &c. promettendo &c. obligando &c. relevando &c. ratihabendo &c. renunciando &c. jurando &c. e instrumentando &c. dict. &c.

E per maggior validità della presente donazione hanno richiesto il medemo Sig. Podestà sopra le promesse cose, come rettamente, e giustamente fatte a interporvi il Decreto, e l' autorità del suo offizio, e testarli, le quali cose sentite, il medemo Sig. Podestà sedendo sopra una Cathedra di Busso ornata di Corame all' usanza de suoi Predecessori, qual per questo atto ha eletto, e elegge per suo idoneo Tribunale, conosciuta prima la causa sopra le permesse cose, come rettamente, e giustamente fatte ha interposto, e interpone il decreto, e l' autorità dell' offizio suo le richieste testimoniali concedendo come sopra.

Suprascriptum Instrumentum rogatus recepi, scripsi, tradidi, & levavi, Ego Joannes Petrus Taratia filius nobil. Nicolai Publicus Apostolica Principatus Messerani auctoritate Notarius pro fide manualiter, ac tabellional. subsignatus.

Joannes Petrus Taratia.

Loco ✝ Signi.

Sequitur legalitas in forma.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno a Nativitate ejusdem currente 1658. Indictione undecima, die vero 28. mensis Novembris. Actum Messerani Dioecess. Vercellen. &c., & in Domo q. D. Augustini Flisci ibidem præsentibus D. Antonio quon. D. Joannis Baptistæ Cordæ Crepacorii, D. Joanne Baptista quon. D. Joannis Barberii, Giorgio quon. Comelli de Mascarella, D. Francisco quon. Antonii Pullæ omnibus Messerani, & D. Jacobo quon. Julii Cæsaris Polini alias de Butrio Bononiæ Testibus, notis, vocatis, & rogatis.

§.2. Cum sit, quod præmaturo habito consilio super juribus, ut dicitur de novo repertis pertinentibus, & spectantibus ad antiquissimam Fliscorum familiam, & consequenter ad DD. Victorium Felicem, Franciscum Mariam, Josephum, Benedictum, & Petrum Lucam Pupillos, & respective Infantes compertum fuerit per utile esse dictis minoribus, & infantibus dicta jura cedere, & renunciare S. Matri Ecclesiæ, & primo ex capite inopiæ dictorum, qui quatenus dicta jura essent clarissima, non tamen valerent ea experiri, quam etiam ex capite, quod dicta jura incertum habent fundamentum, qui etiam litium finis est incertus ex quo utilius fore visum, & judicatum fuit d. jura cedere etiam pro parte dd. minorum d. S. R. E., quæ numquam evasit ingrata, sed omnibus æque remuneratur, ideo personaliter constituti coram Perillustri D. Andrea Gualla Prætore sedente pro Tribunali Principatus Messerani, meque Notario Substituto, & Testibus infrascriptis Perillustris D. Antonia Uxor quon. D. Petri Augustini de Flisco contutrix, & respective concuratrix, ac etiam Perillustris adm. Excell. D. Octavius quon. D. Petri Augustini de Flisco contutor, & concurator cum dicta D. Antonia DD. Victorii, Felicis Francisci Mariæ, Josephi, Benedicti, & Petri Lucæ, prout de ejus tutela, & cura constat ex deputatione facta sub die præsenti recepta, & rogata per Dominum Carolum Franciscum Bornengum Notarium, & Secretarium Messerani, & cujus tenor in calce præsentis instrumenti registrabitur sponte, & ex certa scientia, eorumque animo deliberato nominibus dictorum ejus Pupillorum, & Infantium, dictorumque hæredum, & successorum fecerunt, & quislibet eorum facit puram, meram, & irrevocabilem donationem, quæ dicitur ad præsens, & inter vivos, nulloque vitio ingratitudinis revocandam S.R.E., Summo Pontifici, suisque Successoribus, & Illustrissimo Domino Marco Tullio Camoncolæ Gubernatori pro dicta S. R. E., summoque Pontifice, ejusque Successoribus præsenti, & acceptanti de omnibus eorum juribus, omnibusque

busque actionibus, & rationibus, quæ, & quas habent, & in futurum habere possint, in & super Feudis Princip. Messerani Marchionatus Crepacorii, Locis, & Terris eisdem adjacentibus ad haben., tenen., fruen., & possiden., & quidquid eidem S. R. E., Summoque Pontifici deinceps placuerit perpetuo facien. simul cum omnibus suis juribus, & pertinentiis, dictis feudis supra donatis in integrum spectantibus, & pertinentibus, cedentes supradicti DD. de Flisco nomine proprio, & tutorio nomine quo supra omnium eorum jura, omnesque actiones, & rationes, meras, mixtas, & hypothecarias, ac in locum, jus, statum, & gradum, in quo prædicti DD. de Flisco ante præsentem donationem erant, dictam S.R.E., Summumque Pontificem, & Successores suos ponentes, promittentes prædicti DD. de Flisco tam nomine proprio, quam tutorio nomine prædictorum DD. Fratrum dicta jura supra donata pro dato, & facto eorum tantum de jure legitime defendere, & de evictione, nullumque contractum, & distractum præsenti donationi præjudiciale fecisse, constituentes sese prædicti DD. de Flisco tam nomine eorum proprio, quam dictus Dominus Octavius tutorio nomine prædictorum DD. ejus Fratrum Minorum, & per sese, eorumque hæredes, & successores dicta jura, ut supra, donata tenere, & possidere nomine, & vice dictæ S. R. E., & Summi Pontificis, ejusque Successorum, donec de ipsis corporalem possessionem acceperit, quam accipiendi, & acceptam perpetuo in se retinendi, quandocumque voluerit ejus propria auctoritate licentiam omnimodam contulerunt, dederunt, & dant, requirentes prædicti DD. Donatarii per me subsignatum Notarium de donatione prædicta, publicum Instrumentum cum promissione præcisa, quam tenore præsentis Instrumenti faciunt de ratificando præsentem donationem in majori, & validiori forma, quo magis, & validius de jure erit, etiam cum clausula clausularii Romani statim quo pervenerint in Alma Urbe Romæ qua ratificatione ullo modo intendunt aliquod præjudicium afferre, seu invalidare præsentem donationem tenore præsentis Instrumenti; declarantes videlicet dicti DD. Donatarii, supplicantesque Suam Beatitudinem quatenus infra menses sex dignetur præsentem donationem acceptare, & ratificare facere stipulationem factam a prædicto Illustrissimo Domino Gubernatore, quæ promissio acceptationis declaratur non posse suspendi, neque præjudicare prædictæ stipulationi, & quod exacto dicto termino, nullaque secuta acceptatione præsens donatio nulla intelligatur, & prædicti Domini Donatarii remaneant in eorum primis juribus, & ad hoc, ut dicti Domini possint sese Romam conferre pro prædictis causis, & pro demandanda executione contenta in prædicta donatione prædictus Illustrissimus Dominus Gubernator promisit eisdem Dominis Donatariis solvi facere a Communitatibus Messerani, & Crepacorii, & pro expensis itineris duplas quinquaginta in totū quæ omnia in præsenti publico Instrumento donationis contenta dd. DD. Donatarii tam conjunctim, quam unusquisque divisim & insolidum pro eo, ad quod quilibet tenetur, promiserunt, & promittunt, seu promisit, & promittt habere, & tenere rata, grata, valida, atque firma, & pro rite, & recte gesta, & eis in aliquo, nec in aliqua parte unquam contra facere, dicere, opponere, vel venire, minusque contrafacere volenti acconsentire de jure, nec de facto, etiamsi quis posset sub expressa hypotheca, & obligatione omnium, & quorumcumque eorum dd. Donatariorum bonorum præsentium, & futurorum, quæ pro præmissorum observantia sic obnoxia, obligata, & hypothecata, tenere sese constituunt, seu quilibet ipsorum constituit. Interevenientibus demum in præmissis, & circa ea omnibus aliis debitis promissionibus bonorum obligationibus cum clausula constituti in forma, submissionibus, relevationibus, rati habitionibus, renunciationibus quibuscumque tam specialibus, quam generalibus, & aliis legibus in præmissis apponi solitis, & consuetis cum eorum juramento debite per quemlibet ipsorum præstito tactis corporaliter scripturis in omnibus, & ad delationem mei Notarii subscripti nempe per dictam D. Antoniam tutorio nomine, & nominibus supradictorum ejus filiorum, & per dictum Dominum Octavium non solum nomine, & nominibus supradictorum ejus Fratrum, & sic tutorio nomine, sed etiam nomine suimetipsius approbando, ratificando, & confirmando prout emulgavit, confirmavit, & ratificavit omnia, & quecumque per eum acta, gesta, dicta, promissa, & contenta in Instrumento donationis per ipsum factæ, de qua constat per rogitum mei infrascripti Notarii sub die 24. præsentis, requirens de præmissis publicum fieri donationis Instrumentum per me Notar. subscriptum consilio, & Sapientis dictamine quatenus opus sit. Pro majori validitate præsentis donationis requirentes prædictum Dominum Prætorem sedentem &c. Super præmissis uti rite, & recte gestis decretum, & auctoritatem officii sui interponi, testimonialesque concedi. Quibus auditis præfatus Dominus Prætor sedens super Cathedra una nemorea coraminis ornata more Prædecessorum suorum, prævia prius cognitione causæ super præmissis, uti rite, & recte gestis decretum, & auctoritatem officii sui interposuit, & interponit, testimonialesque requisitas concessit, & concedit, datum, ut supra. Tenor testimonialium Tutelæ. Anno Domini millesimo sexcentessimo quinquagesimo octavo, & die 28. Nov. Messerani, judicialiter, & coram Perillustri Domino Andrea Gualla Principatus Messerani Prætore sedente &c. Comparuit Perillustris, & adm. Excellens Phisicus D. Octavius quon. D. Petri Augustini de Flisco

Flisco Messerani exponens sicuti ab hac ad meliorem vitam migraverit dictus quon. D. Petrus Augustinus ejus Pater, nullaque per eum condita provisione tutelari DD. Victorio Felice, Francisco Maria, Josepho Benedicto, & Petro Lucæ ejus filiis in pupillari ætate constitutis, ideo ne bona, & personæ ipsorum Pupillorum dicti D. exponentis Fratrum dilapidentur, ad officium D. V. recurrit, una cum D. Antonia dictorum filiorum matre, & petunt d. Tutelam prædictorum ejus filiorum, & fratrum, & bonorum respective sibi decerni, & dari exhibendo copiam Testamenti dicti sui mariti, & patris offerendo se observare ea, quæ de jure tenebuntur, & Testimoniales. Quibus auditis præfatus Dominus Prætor attenta submissione per dictos exponentes facta, & considerata expositione, necnon confidentia, quam testatus est habere in dicto Domino Octavio ejus filio una cum omnibus in ea contentis ipsos DD. Exponentes in tutores, & pro tempore curatores prædictis filiis, & fratribus ut supra nominatis decrevit, & decernit, dicens estote boni tutores, & pro tempore curatores, utilia prædictorum pupillorum facite, inutilia vero prætermittite, inventarium omnium bonorum in hæreditate existentium conficite, computa in fine administrationis eorum reddite, & omnia alia necessaria d. Tutelæ facite, & debitum juramentum de bene, & fideliter hujusmodi onus tutelæ ministrando præstate, prout tactis scripturis in manibus prædicti D. Prętoris præstiterunt, quibus per has nostras omnem, & opportunam auctoritatem concedentes. Dat. ut supra: Suprascriptum Instrumentum rogat. recipi, scripsi, tradidi, & levavi. Ego Joannes Petrus Taratia filius N. Nicolai publicus Apostolica Principatus Messerani auctoritate Notarius pro fide manualiter, & tabellionaliter subsignatus.

Joannes Petrus Taratia Notarius.

Loco † Signi.

Sequitur legalitas in forma.

Anno Domini 1658. Indictione 11. die vero 29. mensis Novembris actum in Burgo Messerani Vercellen. Diœces., & in Palatio solitæ habitationis infrascripti Illmi Domini Gubernatoris præsentibus ibidem D. Jacobo quon. Julii Cæsaris Pollini alias de Musico Bononiæ, Antonio, & Carolo Fratribus de Susellis Varallis Testibus notis, atque rogatis, personaliter constitutus Perillustris D. Franciscus Maria quon. Barnabæ de Flisco de Messerano coram me Notario, & Testibus supradictis, & sciens se sub die 24. præsentis, & in die Dominico, meram, liberam, puram, & simplicem donationem inter vivos fecisse S.R.E. & Summo Pontifici, ejusque Successoribus de omnibus, & quibuscumque juribus ad se spectantibus, & pertinentibus, & quæ in futurum pertinere, & spectare possint in, & super Feudis Principatus Messerani, & Marchionatus Crepacorii tam per se, quam per suos hæredes, & successores in dictaq; donatione se promisisse nulli alii actum, & contractum fecisse, nec in futurum facere in præjudicium dictæ donationis, & prout latius in Instrumento dictæ donationis rogato per D. Joannem Petrum Taratiam sub dicta die, & quia ratione diei in honorem Dei dicta donatio non fuit juramento vallata, & intendens illam etiam juramento roborare, ideo ratificando, approbando, & confirmando prout approbat, ratificat, & confirmat omnia acta, facta, dicta, & promissa in prædicto donationis Instrumento ad delationem mei Notarii infrascripti, testiumque supradictorum, corporaliter tactis scripturis juravit omnia contenta in dicto Instrumento observare, adimplere, & non contravenire de jure, nec de facto, etiamsi de jure posset, sub obligatione omnium ejus bonorum præsentium, & futurorum, quæ hypothecata, & obligata &c. Cum juramento per ipsum præstito tactis scripturis in manibus &c. renunciationibus, relevationibus, ratihabitionibus, & aliis clausulis, & solemnitatibus in similibus necessariis, & opportunis, & apponi solitis, & consuetis, de quibus omnibus rogaverunt fieri publicum Instrumentum per me Notarium infrascriptum dictamine sapientis, si opus fuerit &c.

Supradictum Instrumentum rogatus recepi, & scripsi una cum infrasc. D. Joan. Antonio Badini. Ego Carolus Franciscus Bonrengus publicus Apostolica Principatus Messerani Notarius, & pro fide manualiter subsignatus: Bonrengus &c.

Supradictum Instrumentum una cum supradicto D. Carolo Francisco Bornengo rogatus recepi ego Joannes Antonius Badini publicus apostolica auctoritate Principatus Messerani Notarius in præmissorum omnium fidem manualiter subsignatus Badinus.

Sequitur legalitas in forma.

§. 3. Hinc est, quod Nos acceptationis conditionem donationibus prædictis, sicut præmittitur, adjectam adimplere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine donationes jurium, & actionum hujusmodi per primodictum Franciscum Mariam, & memoratum Octavium proprio, necnon ab ipso Octavio, & supradicta Antonia tutorio prædictorum Victorii Felicis, & Francisci Mariæ, ac Josephi Benedicti, & Petri Lucæ pupillorum nominibus respective S. R. E. prædictæ, ac Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris per Instrumenta præinserta factas, citra aliquam tamen approbationem, vel Canonizationem eorumdem jurium, & actionum, nisi, & quatenus aliquo modo subsistant, & quatenus expediat Sedi Apostolicæ prædictæ, ac salvis, & illæsis semper manentibus omnibus, & singulis juribus quomodocumque, & qualitercumque super dictis Feudis, ac locis, & eorum quolibet Nobis, dictæque Sedi, & Cameræ nostræ competentibus, & competituris, & jura juribus addendo, ac cautelam

lam cautelæ, & non aliàs, aliter, nec alio modo tenore præsentium acceptamus.

Quoscumque defectus in prædicta donatione fieri possibiles tollit, & abolet.

§.4. Præterea omnes, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, quam ex statutorum quorumvis præscripto, etiam necessario observandarum, & alios quoslibet quantumvis magnos, & substantiales defectus, si qui in donatione supra nominatorum pupillorum nomine per memoratos Octavium, & Antoniam eorum tutores, sicut præmittitur, facta ex causa, seu ratione pupillaris,& respective infantilis ætatis eorumdem pupillorum,sive ex eo,quod ipsi Octavius,& Antonia Tutores sufficienti ad donationem hujusmodi faciendam facultate de jure caruerint, caruisseve prætendantur, quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi quoquo modo possent, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes easdem præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quomodocumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu simili concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, necnon prædictæ Cameræ nostræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, & alios quoslibet Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,& interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, & fel. rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & in illius libris registrandis, itaut præsentes ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, legibus quoque, etiam Imperialibus, necnon Principatus Messerani, & Marchionatus Crepacorii prædictorum, ac aliis quibusvis,etiam juramento,confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis,usibus,stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, servatis, & insertis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die 8. Maii 1659. Pontificatus nostri Anno V.

Dat. die 8. Maii 1659. An.V.

CCXL.

Confirmat Statuta edita in Capitulo Generali Toletano pro Provincia S. Thomæ Apostoli in India Orientali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio præpositi, illa quæ pro felici Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum directione provide constituta esse dignoscuntur, libenter cum a Nobis petitur, Apostolico munimine roboramus, & alias prospero eorumdem Christifidelium regimini congruis rationibus providere studemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio Fratrum Minorū de Observantia.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, & Definitorium Provinciæ S. Thomæ Apostoli in India Orientali, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis Toleti celebrato die 15. Junii 1658. sub dilecto pariter filio Michaele Angelo de Sambuca, ejusdem Ordinis Ministro Generali, pro prædicta India Orientali edita fuerunt statuta tenoris sequentis, videlicet.

Statuta alias emanata.

Finito triennio Commissarii Generalis illius familiæ, duæ illæ Provinciæ regantur

tur a suis Ministris, & Definitoriis independenter a quovis Commissario, aut Vice-Commissario, etiam ab ipsis nominato.

Auctoritas in Capitulo resideat apud Ministrum nuper electum.

In defectu Commissarii Generalis, instante tempore Visitationis, & Capituli, Definitorium eligat Commiss. Visit. ex eadem met Prov., qui cum eadem potestatis plenitudine, quæ de jure, vel consuetudine Commissariis Visitatoribus debetur, visitabit Provinciam, & præsidebit Capitulo, quo finito nullam omnino auctoritatem habebit, sed tota residebit penes Ministrum Provinciæ recens electum usque ad adventum novi Commissarii Generalis.

Commissarius Gen. nullam habet auctoritatẽ, nisi prius patentes literas ex Ministris Provinciarum exhibuerit.

Commissarius Generalis de novo adveniens nullam auctoritatem habebit, nullam sui Officii possessionem accipere permittatur, nisi prius alicui ex Ministris duarum illarum Provinciarum, vel saltem Guardiano illius Conventus, ubi primum appulerit, patentes literas suæ institutionis exhibuerit, nec satis erit earumdem literarum copiam quantumvis authenticam, sed necesse est ipsissimum autographum Sigillo Ordinis munitum, & manu propria Reverendiss. Generalis subscriptum, exhibere, & Ministri, & Guardiani aliter facientes punientur severe arbitrio Reverendiss.

Nemini liceat in aliena Provincia incorporari, nisi prævio consensu utriusque Ministri, quantumvis consentiat, aut forte præcipiat Commissarius Generalis illarum partium.

Moneatur Minister Gener. quo tempore providere debeat Comm. Generalem.

Præcipitur Provinciali Ministro Provinciæ Portugalliæ, ut curet monere Reverendiss. Generalem de tempore opportuno, quo providere debeat de Commissario Generali Indiæ Orientalis, ut expleto ipsius triennio, vel morte præveniente, quam citius nominetur Commissarius.

Statuta emanata in Generali Capitulo confirmat, & approbat.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Exponentes, ut bono Provinciarum dicti Ordinis in India Orientali hujusmodi consistentium regimini consulatur, statuta præinserta, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri, & opportune a Nobis, ut infra provideri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, præinserta statuta in prædicto Capitulo Generali Toleti celebrato pro memorata India Orientali, sicut præmittitur edita, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper, quomodolibet intervenerint, supplemus, statuentes, & ordinantes, quod in dictis Provinciis Indiæ de cætero non fiat electio Vice-Commissarii Generalis, prout fiebat virtute statutorum factorum in Capitulo celebrato Romæ anno 1639., neque jungantur duo illa Definitotia deficiente Commissario transmisso, sed tali casu Provinciæ gubernentur eo modo, quo ordinant præinserta statuta Toletana, quodque Minister Provincialis Provinciæ Portugalliæ dicti Ordinis teneatur procurare, ut mittatur Commissarius, supplicando Ministro Generali ejusdem Ordinis, ut illum nominet, ac designando illi Religiosos pro dicto officio, qui possint esse ex quinque Provinciis Portugalliæ, & ex duabus Indiæ, nempe Portugalliæ Algarbiorum, Pietatis, Arrabidæ, S. Antonii, S. Thomæ, & Matris Dei.

Commissarius ubi remaneat post adimpletum officium.

§.3. Ac demum, quod Commissarius transmissus ex supradictis quinque Provinciis Portugalliæ possit remanere (si voluerit) in aliqua ex dictis duabus Provinciis Indiæ cum omnibus præeminentiis concessis a statuto Religionis, si laudabiliter officium suum adimpleverit. Attamen si Commissarius fuerit ex duabus Provinciis Indiæ, finito officio redeat ad suam Provinciam, cujus est filius, & in illa gaudeat privilegiis concessis a statutis, quibus non gaudebit, si in illa non remanserit.

Exequutores deputat.

§.4. Ut autem prædicta suis loco, & tempore debitum sortiantur effectum, eorum exequutionem cum omnibus, & singulis facultatibus necessariis, ac opportunis, Venerabili Fratri Archiepiscopo Goensi, ac dilectis filiis adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus, Apostolica auctoritate deputatis, & aliis quibuscumque, personis in dignitate Ecclesiastca constitutis Civitatis, & Insulæ Goæ, & eorum cuilibet in solidum auctoritate, & tenore prædictis injungimus, & demandamus, salva semper in premissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes easdem præsentes literas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac felic. recordationis Bonifacii Papæ VIII. Predecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, &c. & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti Ordinis, & aliis quibusvis &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Volumus autem, ut præsentium ttansumptis &c.

Dat. die 10. Maii 1659. An. V.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die 10. Maij 1659. Pontificatus Nostri Anno V.

CXLI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Concordiæ super controversia confinium inter Provinciam Sancti Didaci in Bethica Ordinis Sancti Francisci de Observantia, & Provinciam Sancti Joannis Baptistæ ejusdem Ordinis exorta

orta cum præcepto, & termini, & confinia inter easdem Provincias juxta concordiam hujusmodi serventur.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ildephonsus de Medina Frater expresse professus, & Procurator Provinciæ S. Didaci in Bethica Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod alias, cum inter dictam Provinciam ex una, & Provinciam Sancti Joannis Baptistæ ejusdem Ordinis ex altera partibus super controversia confinium lis penderet, & coram dilecto filio nostro Virginio Sanctæ Mariæ in Vialata Diacono Cardinale Ursino nuncupato concordatum fuisset dubium in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita proponendum, an, & cui competeret jus fundandi in Episcopatibus Gaenen. Corduben., & Malacitan. dilectus filius Minister Generalis dicti Ordinis mandatu nostro concordiam super præmissis inter partes præfatas de illorum consensu iniit, ejusdemque Provinciis terminos, & confinia assignavit, prout infra exprimetur.

Motiva. §.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Ildephonsus concordiam hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri, & ne præfata Provincia S. Didaci in possessione suorum terminorum a d.Provincia S.Jo:Baptistæ, vigore quarumdam Liter. fe:re:Urbani PP. VIII. Præd. nostri in simili forma Brevis die 4.Sept.1642. expedit., per quas conceduntur d.Prov. termini Prov.Granaten., necnon aliarum Liter. Apost. re:me: Clem. PP.VIII. Prædec. pariter nostri, ac ejusdem Urbani Prædecessoris, in quibus est clausula generalis concedens FF. Ordinis prefati facultatem fundandi in quibusvis locis totius Hispaniæ, de cætero turbetur, opportune a Nobis in præmissis provideri, & ut infra indulgeri summopere desideret.

Concordiam initam, & decretam inter Fratres prædictos confirmat, & approbat. §.3. Nos ipsum Ildephonsum specialibus favoribus, & gratiis &c. & a quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de præfatorum Card., qui concordiam per d. Ministrum Gen. de mandato nostro, ac de consensu partium super prænarrata controversia confinium memoratarum Provinciarum S. Joannis Baptistæ, & S. Didaci decretam, & initam, ejusdemque Ministri Generalis relationem audiverunt, consilio, eamdem concordiam, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus; ac prout ex ea exinde inter memoratas Provincias terminos, & confinia servari, & custodiri mandamus, & præcipimus, ut scilicet tota continentia Archiepiscopatus Hispalen., & Episcopatuum Gaditan., Corduben., & Malacitan., necnon pars Episcopatus Gaenen. videlicet, ab ipsa Civitate usque ad Episcopatum Corduben., ad Provinciam S. Didaci pertineat; reliqua vero pars dicti Gaenen. Episcopatus ab eadem Civitate versus Viasen., & Ubeten. ad Provinciam S. Joannis Baptistæ præfatam spectare intelligatur, ita tamen ut in dicta Gaenen. Civitate neutri fundare, quæstuare autem utrique liceat. Ac de cætero super præmissis perpetuum silentium inponimus, præcipimusque tam uni, quam alteri dictarum Provinciarum, ne super prædicta terminorum, & confinium præfixione, & possessione sese invicem, seu altera alteram perturbare, vexare, & inquietare, seu litem movere quoquo modo, sub quovis prætextu, vel quæsito colore audeant, aut præsumant. Salva semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c., ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis &c. judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus prædictis Clementis, & Urbani Prædecessorum literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictarum Provinciarum, & aliis quibusvis, etiam juramento &c. Quibus omnibus, & singulis &c. illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria refellit.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Maii 1659. Pontificatus nostri Anno V. Dat. die 31. Maii 1659. An.V.

CCXLII.

Statuit, quod Commissarii Generales Ordinis FF. Min. S. Francisci de Observantia non possint retardare Capitula Provinciæ S. Thomæ Apostoli in Indiis Orientalibus dicti Ordinis, sed statim congregatis in Goa Vocalibus intra quatriduum ad Capitulum procedere, illudque intra simile spatium absolvere debere, licet aliqui Vocales absint impediti, vel adesse recusantes, cum diversis indultis.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

DEbitum Sacrosancti Apostolatus humilitati Nostræ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam impositi postulat, ut pastoralis vigilantiæ nostræ oculos per universas Christiani Orbis partes jugiter circumferentes, felici Christifidelium, Procœmium.

qui

qui spreta seculi vanitate, Altissimi obsequiis sese sub suavi religionis jugo manciparunt, directioni, spiritualique Christianorum Populorum utilitati congruis rationibus consulere studeamus, prout locorum, personarum, & temporum qualitate mature considerata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Capitulum in Goa celebrari jubet, ubi Vocales inter venerint.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Minister Provincialis, & Definitores Provinciæ S. Thomæ Apostoli in Indiis Orientalibus Ordinis Fratrum Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, quo regularis observantia, paxque, & concordia in eadem Provincia melius conservetur, & debita Christianis illarum partium Populis cura a Fratribus dicti Ordinis, quibus ex indulto Sedis Apostolicæ Parochi Officium in eisdem partibus exercere licet, expeditius, majorique cum animarum fructu de cætero impendi valeat, ac prospero tam prædictæ Provinciæ S. Thomæ Apostoli, quam etiam Sanctiss. Dei Genitricis Provinciæ in dictis Indiis Orientalibus pariter consistentis Fratrum Minorum Reformatorum nuncupatorum ejusdem Ordinis S. Francisci regimini opportune provideatur, infrascripta a Nobis respective statui, ac concedi, & indulgeri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti &c. absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, quibus literæ consensum totius Definitorii continentes in authentica forma exhibitæ fuerunt, consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, quod nullus Commissarius Generalis Capitulum Provinciale dictæ Provinciæ S. Thomæ Apostoli retardare valeat, sed statim atque Vocales fuerint in Goa congregati, intra spatium quatuor dierum ad Capitulum hujusmodi procedere, illudque intra simile spatium cum omnibus electionibus ad id pertinentibus absolvere debeat, tametsi desiderentur aliqui Vocales, quavis occasione, vel causa legitime impediti, vel si vocati venire recusaverint. Quod si Commissarius Generalis in his terminis Capitulum indicere, & celebrare neglexerit, eo ipso excommunicatus, & officio suo privatus existat; Minister vero Provincialis actualis Provinciæ hujusmodi, vel qui ejus vices obtinuerit, celebret dictum Capitulum, eique præsideat, ac illud sicut præmittitur absolutissime compleat. Si autem etiam dictus Minister Provincialis, vel ejus vices obtinens hæc adimplere recusaverit; Pater Provinciæ antiquior ad præmissa procedere, illaque pariformiter adimplere debeat; & sic successive, sub eisdem pœnis. Quia vero statutum in Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1639. in Alma Urbe celebrato editum, quo disponitur, quod Religiosi, qui fuerint Parochi per tres annos, nequeant per alios tres annos subsequentes in ejusmodi officio continuare, quodque Definitores nullo modo in Parochos eligi possint; sine animarum dispendio in eadem Provincia S. Thomæ Apostoli observari nequit, eo quod in Provincia hujusmodi paucissimi nunc sunt Religiosi, qui linguam indegenarum ita calleant, ut Officium Parochi perfecte valeant administrare. Religiosos dictæ Provinciæ S. Thomæ Apostoli officio Parochi per triennium functos in officio hujusmodi ad aliud subsequens triennium continuari, necnon Definitores ad Officium Parochi eligi (si tamen Ministro Provinciali, & Definitorio ejusdem Provinciæ ita expedire videbitur) libere, & licite posse concedimus.

Equitare mittit.

§.2. Præterea dictæ Provinciæ S. Thome Apostoli Religiosis officio Parochi fungentibus, ut aliquo animale domestico pro portandis oneribus sibi necessariis uti, illudque ad eum effectum secum retinere, necnon quo expeditiori diligentia ovibus suis subveniant, ac ad evitandos serpentes qui vias passim infestant, superandamque ipsarum viarum asperitatem, equitare libere pariter, & licite valeant indulgemus; Postremo attento, quod supradictæ Indiæ Orientales, in quibus prædictæ duæ Sancti Thomæ Apostoli, & Sanctiss. Dei Genitricis Provinciæ constitutæ sunt, remotissima ab Urbe prædicta Christianitatis pars existunt: Ut gratiæ uni earumdem Provinciarum pro bono ejus regimine hactenus concessæ, & in posterum concedendæ, etiam alteri concessæ intelligantur, itaut utraque Provincia hujusmodi talibus gratiis indiscriminatim uti, & gaudere valeat, pariter concedimus, & indulgemus.

§.3. Ut autem præfata suis loco, & tempore debitum sortiantur effectum, eorum exequutionem cum omnibus, & singulis facultatibus ad id necessariis, & opportunis Ven. Fratri Archiepiscopo Goen. ac dilectis filiis Inquisitori, dignitatibus, & Canonicis Civitatis, & Insulæ Goæ, & eorum cuilibet insolidum auctoritate, & tenore prædictis injungimus, ac demandamus; salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c., ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, & illis respective plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis &c. aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hu-

hujusmodi, aliisve quibusvis &c. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis &c.

Dat. die 5. Junii 1659. An.V.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Junii 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCXLIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio quarumdam Constitutionum in Capitulo Generali editarum pro felici Fratrum S. Francisci tam de Observantia, quam Reformatorum editorum statu.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

AD eximios, uberesque fructus, quos dilecti filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia tam de familia, quam reformati nuncupati in Vinea Domini Sabaoth, cujus curæ, atque regimini superni Patris Familias providentia meritis licet imparibus præsidemus, in dies afferunt, mentis nostræ aciem contuentes ea, quæ pro feliciori eorumdem Fratrum gubernio in Capitulis præsertim Generalibus statuta, & ordinata sunt, ut ab omnibus, ad quos illa concernunt inviolabiliter observentur, Apostol. muniminis patrocinio libenter roboramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Confirmat Constitut.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael Angelus a Sambuca Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, quod in Capitulo Gen. d. Ordinis de An. 1658. in Civit. Tolet. celebrato diversæ Constit. pro feliciori Fratrum d. Ord. tam de Observantia, quam Reformatorum nuncupatorum gubernio editæ fuerunt, quas pro inviolabili earum observatione Apostolicę confirmationis robore communiri plurimum desiderat: Nos piis dicti Michaelis Angeli Ministri Generalis votis, quantum cum Domino possumus annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis &c. & a quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Constitutiones prædictas in iis tantum quæ Sacris Canonibus, Concilii Tridentini Decretis, cæterisque Constitutionibus, seu Ordinationibus, ac Decretis Apostolicis, præsertim reformationem dicti Ordinis, illiusque Fratres Reformatos, seu Recollectos, vel Discalceatos nuncupatos quomodolibet concernentibus, & quandocumque editis, non sint contraria, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet exorti fuerint, vel intervenerint, supplemus.

Transumptorum fides.

§.2. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & sub arbitrii nostri, ac in Constitutionibus prædictis contentis pœnis, omnibus, & singulis Fratribus prædictis, cæterisque ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, ut Constitutiones præd. juxta præsentium Literarum tenorem inviolabiliter observentur.

§.3. Decernentes irritum, & inane, si secus &c. scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis prædicti, etiam juram. &c. cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. Junii 1659. An.V.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7, Junii 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCXLIV.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ Fratribus Regularis Observantiæ S. Francisci, ac Reformatis Cismontanæ Familiæ, exercitiis spiritualibus per octiduum vacan.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

CUM sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Michael Angelus a Sambuca Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Minister Generalis in Capitulo Generali ejusdem Ord. novissime Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, ut secessus, & spiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Provinciis Cismontanæ Familiæ Ord. prædicti reassumantur, & illis Fratres eorumdem Provinciarum aliquoties singulis annis vacent.

§.1. Nos qui probe novimus quantopere conducant exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christifidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ord., qui de suorum Superiorum licentia operi adeo pio, & salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis incitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis prædicti Ord. Fratribus, tam Clericis, quam Laicis, seu Conversis, qui in domibus Regularibus Provinciarum prædictarum de suorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octidui spatium quandocumque peregerint, & interea temporis vere pœnitentes, & confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in perpetuum valituris.

Transumptorum fides.

§.2. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eædem

eædem præsentes nullæ sint eo ipso. Quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu Notarii publici, vel Secretarii dicti Ord. subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiast. constitutę, vel Ministri Generalis prædicti Ord. munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 11. Junii 1659. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Junii 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCXLV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio D. Card. Barberini Protectoris totius Ordinis S. Francisci de Observantia super præcedentia inter Procuratores, & Commiss. Gen. ejusdem Ordinis.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. AD pastorale fastigium divina dispositione evecti, illa, quæ pro conservanda inter religiosos viros Altissimi obsequiis sub suavi arctioris vitæ jugo mancipatos fraterna animorum concordia, avertendisque controversiis, quæ inter eos excitari possint, provide conspicimus emanasse, libenter cum a Nobis petitur, apostolici muniminis præsidio roboramus.

Supplicatio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Rocchus de Villarejo frater expresse professus, ac in Rom. Curia Commissarius Gen. Ordinis Fratrum Min. S. Francisci de Observ. nuncup., quod cum ipse alias a Congreg. Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita petiisset, ut ad occurrendum litibus, quæ inter Procuratores, & Curiæ prædictæ Commiss. Gen. ejusdem Ordinis circa præcedentiam oriri poterant, occasione statuti per Capitulum Gen. d. Ordinis anno 1651. in alma Urbe celebratum editi, quo cavetur, inter Procuratorem, & Commissarium Rom. Curiæ tam actualem, quam habitualem, hunc ordinem esse servandum ut cæteris paribus, semper, & utrobique Procurat. actualis debeat præcedere actualem Commissarium, & habitualis Procurator habitualem Commissarium; istam particulam, cæteris paribus, declarare dignaretur, eadem Congreg. eam rem ad Ven. Fratrem nostrum Franciscum Episcopum Portuen. Card. Barberinum nuncupat. ejusdem S. R. E. Vice-Cancellarium, ac Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem remisit, ut decerneret prout juris. Qui declarationem, & decretum desuper edidit, prout continetur in ejus literis tenoris, qui sequitur videlicet -- Franciscus Miseratione Divina Episc. Portuen. Card. Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius, ac Ordinis S. Francisci Protector, Corrector, & Gubernator. Dilectis in Domino filiis Patribus Procuratoribus, & Commissariis Rom. Curiæ habitualibus ejusdem Instituti salutem in Domino. Cum sicut expositum est S. Congr. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ ad abigendos controversiarum anfractus circa pręcedentiam inter Procuratores, & Commissarios Gen. habituales Curiæ Rom. sive horum nominibus, aut titulis insignitos, expediat hujusmodi lites terminari, statutumque editum Romæ anno 1651. exponi, videlicet: Quod cæteris paribus semper, & utrobique Procurator actualis debet præcedere actualem Commissarium, & habitualis habitualem, Nobisque ab eadem S. Congr. fuerit commissum desuper decernere prout juris. Hinc est, quod Nos pari honore, & onere functos, non impares emereri præeminentias æquitati consonum esse putantes, primoque emeritis priora deberi præmia, atque Ordinis hujusmodi statutorum inviolabili observantiæ, & inveterabili consuetudini inhærentes, necnon Prædecessorum nostrorum decretis super hac re jamdudum emanatis, & præsertim Emi D. Card. Veralli olim d. Ordinis Protectoris, præviaque hujus rei matura discussione dicimus, decernimus, & declaramus, Procuratorem actualem generalem legitime juxta Statuta in Comitiis, seu Congregationibus Generalibus electum, & nominatum præcedere debere actualem Commissarium in eisdem Comitiis legitime electum habitualem vero Commissar. prius electum præcedere habitualem Procuratorem posterius institutum, & suo munere functum, itaut in posterum prædicti Procuratores, & Commissarii Gen. habituales inter se præcedere debeant juxta antiquitatem, sive antianitatem, sive institutionis, sive electionis in diversis Comitiis, & Congregationibus Generalibus: suffectos vero, seu substitutos extra Comitia, & Congregationes Generales præfatorum Procuratorum, seu Commissariorum loco ad unum, & alterum annum, sive quovis indulto eorum titulis insignitos, si alias in suis Provinciis prius Ministri Provinciales non fuerint non solum prædictis Patribus sic legitime institutis, & suo munere functis, sed & his, qui fuerunt in suis Provinciis Ministri Provinciales cedere debere decernimus, & ita prædictum statutum intelligi, inviolabiliterque observari. Confirmantes insuper, & pro rato, & valido habentes quascumque sententias a quibusvis Superioribus ejusdem Instituti, sive Judicibus ab eisdem delegatis juxta tenorem hujus nostræ decisionis exaratas. Præcipientes sub pœna officiorum, actuumque legitimorum privationis, & aliis ad arbitrium nostrum infligendis pœnis, ut hæc nostra in hoc dubio decisio, & ultima statuti explicatio adamussim in toto Ordine ita observetur. Datum Romæ in Palatio Cancellariæ Apostolicæ hac die 11. Apr. 1659.

Tenor decreti D. Cardin. Barberini Protectoris.

F. Card. Barberinus Protector.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, d. Rocchus declarationem, & decretum hujusmodi pro firmiori illorum

rum subsistentia, & observatione, apostolicę confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret.

Confirmat decretum a Cardinale Protectore emanatum. §.3. Nos ipsum Rocchum specialibus favoribus, & gratiis &c. & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, declarationem, & decretum a memorato Francisco Card. Protectore, sicut præmittitur, editum, emanatasque desuper literas præinsertas, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, &c. contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, d. Ordinis, & aliis quibusvis, etiam juramento &c. concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis &c. eadem prorsus ubique locorum fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16. Junii 1659. An. V. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1659. Pont. nostri Anno V.

CCXLVI.

Constitutio super Erectione Collegii ex Referendariis utriusque Signaturæ, & super qualitatibus admittendorum deinceps in Referendarios.

ALEXANDER EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter cæteras Apostolicæ solicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, ea semper Nobis cordi fuit, ut Prælati Romanæ Curiæ, qui tanquam Stellæ in firmamento militantis Ecclesiæ relucent, ac in arduis quibusque negotiis Apostolicæ Sedi opera, & consilio præsto esse debent, ii demum deligantur, qui optima indole, moribus, & literis præstantiores, cæteris veræ virtutis exemplar seipsos præferunt: ad hæc sane licet nonnulli Summi Pontifices Prædecessores nostri eorum Constitutionibus multa præsertim pro Referendariis utriusque Signaturæ statuerint, quorum tamen nonnulla temporum cursu, ut sæpe solet, antiquata, & forsan neglecta fuerunt; propterea Nos illa innovare, ac pristinæ observantiæ restituere, & aliqua etiam addere, quæ rerum experientia docuit expedire, duximus opportunum.

§.1. Hac igitur nostra perpetuo valitura Constitut. prædictas nostrorum Prædecess. in illis partibus, quæ præsenti non adversantur, aut alias legitime reformatæ non fuerint, confirmamus, & innovamus: Insuper erigimus, & instituimus Collegium eorumdem Referendar., quod volumus repræsentari ex duodecim Votantibus Signaturæ Justitiæ de corpore, ac numero ipsorum Referendariorum electis, & in posterum eligendis, quorum caput, ac moderatorem perpetuo constituimus Præfectum ejusdem Signaturæ Justitiæ pro tempore existentem, & antiquior eorum in officio appellabitur Decanus. Innovat Prædecessorum Constitut.

§.2. Horum autem officium erit formare inquisitiones, ac processus super qualitatibus eorum, qui ad præfatum Referendarii munus, ac dignitatem admittendi erunt, prout singulis a Præfecto Signaturæ speciali rescripto demandabitur, ut infra statutum est. Præterea eidem Decano, & Collegio incumbet cæteros Referendarios, præsertim in posterum recipiendos diligenter instruere de his, quæ spectant ad exercitium eorum officii, & omnibus intimare decreta, & ordinationes quascumque, tam nostras, quam ejusdem Præfecti, eorum personas, ac munus concernentes, & concernentia, necnon dies, ac tempora, & servitia a singulis eorum nobis tam in Cappella nostra, quam in aliis functionibus præstanda, ac etiam curare, ut tabellæ indicantes Signaturas, & Congregationes faciendas congruis temporibus a ministris deputatis, ut moris est, exponantur, ac omnibus demum incumbere, quæ Ordinis interesse concernent. Officium Decani.

§.3. Quoties vero dictum Collegium convocari, & coadunari necesse erit, requiratur prius licentia Præfecti, & de ejus mandato per Decanum convocetur, atque in domo habitationis ejusdem Præfecti, & non alibi, nec aliter convocari, & coadunari possit, nisi de expresso ejusdem Præfecti consensu, ac licentia in scriptis tantum præstanda. Forma convocandi Collegium.

§.4. Volumus autem præfatum Collegium a Nobis institutum eisdem privilegiis, & exemptionibus perfrui, ac potiri, quibus cætera Collegia Prælatorum Romanæ Curiæ potiuntur, & gaudent. Collegii privilegia.

§.5. Porro illi, qui in Ordinem Referendariorum cooptari petent, ante omnia curabunt, ut relata Nobis, & Successoribus nostris a Præfecto Signaturæ eorum instantia, nostrum, ac Successorum præfatorum beneplacitum præcedat: Deinde ut ab eodem Præfecto unus ex Prælatis præfati Collegii delegetur pro conficiendo processu, in quo infrascriptæ instantium qualitates legitime justificentur. Primo scilicet ut ex vero, & legitimo matrimonio, & probis, ac honestis parentibus nati, & procreati sint, ac bonæ indolis, vitæ, ac famæ prorsus inculpatæ fuerint, atque in vigesimo- Cooptandorū in ordine Referendariorū processus.

quinto ætatis anno constituti. Præterea in aliqua publica Universitate studiis legalibus saltem per quinquennium operam dederint, ac in eadem utriusque Juris, scilicet Canonici, & Civilis, Lauream Doctoratus assecuti fuerint: atque annuos etiam redditus summam scutorum mille quingentorum monetæ constituentes vere, ac realiter, & pacifice possideant, vel a parentibus, aut propinquis fuerint illis valide assignati: Ac demum in hac Curia Romana saltem per biennium versati fuerint, & studio praxeos penes aliquem ex Auditoribus Rotæ nostræ, vel alios Prælatos, Officiales, seu Advocatos ejusdem Curiæ sedulo incubuerint: super quibus compilato diligenter processu fiat a Ponente, seu delegato illius relatio in Collegio, cui si videantur probata sufficienter præmissa, tunc Orator admittatur ad examen, assignatis illi (ut moris est) duabus supplicationibus, seu commissionibus coram ipso Collegio proponendis: Et subinde peracto examine, si ejusdem Præfecti, atque Collegii, quorum conscientiam oneramus, fuerit concordi judicio, vel saltem per duas ex tribus partibus votorum, quæ secreto per fabas albas, & nigras proferri volumus, approbatus; tunc Præfectus, omnibus Nobis, & Successoribus nostris relatis, illum auctoritate nostra pronunciabit Referendarium, ac in aliorum numerum adscribi mandabit, præstito tamen prius in ejus manibus solito juramento.

Vota Signaturæ nemini referuntur. §.7. Postremo ut in Signaturis tam Gratiæ, quam Justitiæ liberior sit causarum discussio, & votorum prolatio, prohibemus omnibus, & singulis, tam Votantibus, quam aliis quibuscumque in eisdem Signaturis intervenientibus, ac eorum Auditoribus, & studiorum Coadjutoribus vota ipsa cuiquam alteri etiam speciali expressione digno referre, aut propalare oretenus, vel in scriptis, per se ipsos, vel alios quacumque forma, & exquisito modo, sub pœna indignationis nostræ.

Decretum irritans. §.8. Decernentes præsentes literas validas &c. inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices &c. definiri debere ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit. §.9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de gratiis non concedendis ad instar, ac fel. rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri de gratiis interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus in prædicta Camera registrandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ præfati Prædecessores in dictis Constitutionibus voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, erectionis, institutionis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c.

Dat. die 11. Junii 1659. An.V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1659. Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno V.

CCXLVII.

Confirmat Decretum, quo numerus Vocalium Capituli Generalis Congr. Italiæ Fratrum Discalcet. Ordinis Eremitarum S. Augustini reducitur ad tres pro qualibet Provincia.

Da his Fratribus vide ad Const. 261. Urbani VIII. Alias *Tom. 5. Par. 1. fol. 117. circa electionem Priorum Provincialium, ac de modo regendi provincias.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Procem. Militantis Ecclesiæ regimini per abundantiam Divinæ bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præpositi, illa quę pro felici Christifidelium, sub suavi arctioris religionis jugo Altissimi obsequiis nuncupatorum directionem provide statuta esse dignoscuntur, libenter, cum a Nobis petitur, apostolici muniminis patrocinio roboramus.

Supplica §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Definitorium Congregat. Italiæ Fratrum Discalceatorum nuncupat. Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod ultimum ejusdem Congreg. Capitulum Generale sub directione dilecti filii nostri Jo: Baptistæ tit. S. Mariæ Transtyberim S.R.E. Presbyteri Card. Pallotti nuncupati, d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apost. Protectoris, summa cum tranquillitate, & pace celebratum fuit, juxta modum, & formam cujusdam Decreti in proxime præcedenti Capitulo Generali Congregat. prædictæ editi, & per Venerabiles Fratres nostros ejusdem S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositos die 10. Januarii proxime præteriti (ut d. Exponentes asserunt) confirmati, quo numerus Vocalium Capituli Generalis Congregat. hujusmodi præscribitur, & ad tres pro qualibet Provincia reducitur, & alias prout continetur in scriptura tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Die 13. Maii 1659. sessione 7. Invocato Divini Spiritus auxilio, congregatis Emo, & Rmo D. Card. Pallotto Protectore, & Præside, ac PP. Definitorii Generalis Congr. PP. Discalceatorum S. Augustini Italiæ propositum fuit, an confirmandum sit Decretum in præterito Capitulo Generali sess. 10. die 18. Maii 1656. editum, & a S. Congr. super negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita confirmatum, super reductione Vocalium Capituli Generalis sub infrascripto tenore, videlicet.

Decretum Capituli Generalis. §.3. Ad tollenda inconvenientia, & incommoda, quæ ex celebratione Capituli Generalis more solito contingunt ex multitudine Vocalium ad prædictum Capitulum Generale concurrentium, & expensarum ultra limites nostræ paupertatis, & ex periculis itinerum cum evidenti detrimento nostræ regularis observantiæ, cum experientia compertum sit summopere expedire

dire, Capitulum Generale celebrari juxta formam præscriptam in Decreto alias facto in præterito triennio, & a S. Congreg. prædicta confirmato, paucis mutatis, ut infra sub reservatione beneplaciti SSmi D. N., & cum supplicatione S. S. pro confirmatione in perpetuum per literas in forma Brevis, decretum fuit, quod deinceps in perpetuum accedant suffragaturi ad Capitulum Generale præter Adm. R.P. Vicarium Generalem, quatuor Definitores Generales, duos Visitatores Generales, Procuratorem Generalem, & Secretarium Generalem, ex qualibet Provincia Priores Provinciales in Capitulo Generali, sive extra illud ad formam literarum Apostolicarum electi: quod si aliquem ex dd. Provincialibus ante elapsum triennium, & ante Capitulum Generale decedere contigerit, & per tempus non licuerit novam fieri electionem, ut supra, tunc jus ferendi suffragium in Capitulo Generali in locum demortui devolvatur ad proxime antecessorem in Officio Provincialatus, dummodo illi non competat hujusmodi jus ferendi suffragium in eodem Capitulo ex alio titulo, quo casu ad antecessores in d. Officio eodem modo devolvatur: Et si detur casus, quod nullus ex Provincialibus antecessoribus existat, aut ferre votum ex alio titulo possit, tali casu jus ferendi votum devolvatur in Provincia Romana ad Priorem Conventus Jesu Mariæ de Urbe, & eo deficiente, aut legitime impedito ad Priorem Conventus S. Nicolai ejusdem Urbis. In Provincia Neapolitana ad Priorem Sanctæ Mariæ Veritatis, vel eo deficiente, aut legitime impedito ad Priorem Conventus S. Nicolai Tolentinatis ejusdem Civitatis. In Provincia Januensi ad Priorem Conventus S. Nicolai Tolentinatis Januæ, & eo deficiente, vel legitime impedito ad Priorem Conventus S. Damiani Mediolani. In Provincia Siciliæ Panormitanę ad Priorem Conventus S. Nicolai Tolentinatis Panormi, vel eo deficiente, seu legitime impedito, ad Priorem Conventus S. Gregorii ejusdem Civitatis. In Provincia Germaniæ ad Priorem Conventus Sancti Augustini Viennæ, & eo deficiente, vel legitime impedito, ad Priorem Conventus S.Winceslai Pragæ. In Provincia Regni Neapolitani ad Priorem Conventus S.Mariæ Pietatis Montis Leonis, & eo deficiente, vel legitime impedito, ad Priorem Conventus S. Mariæ Incoronatæ Neritonensis. In Provincia Pedemontana ad Priorem Conventus S. Caroli Taurini, & eo deficiente, seu legitime impedito, ad Priorem Conventus SS. Nicolai, & Annæ Salutiarum. In Provincia Siciliæ Messanensis ad Priorem Conventus S. Restitutæ, & eo deficiente, seu legitime impedito, ad Priorem Conventus SS. Annuntiatæ ejusdem Civitatis, & sic deinceps.

§.4. Præterea Loco Priorum, & Discretorum cujuslibet Conventus accedant suffragaturi ad Capitulum Generale, & ad idem laturi instantias ad statum Provinciarum, & singulorum Conventuum, duo ex qualibet Provincia, qui sint Sacerdotes, & sine scandalo, & cum ædificatione in Congregatione se gesserint, & saltem duodecim annos completos a professione habeant in Congregatione, & triginta annos pariter completos habeant ætatis: & unus ex istis insuper Philosophiam, vel Theologiam, si fieri poterit per duodecim annos, vel ad minus per novem formiter legerit, & docuerit, vel pro duodecim, vel saltem novem cursus quadragesimales, aut integros annuales laudabiliter concionatus fuerit, excepto tamen hoc primo triennio, pro quo Vocales, sive Lectores, sive Concionatores eligi, & admitti possint, etiamsi per sex tantum annos muneribus prædictis functi sint, quibus requisitis, ut supra, respective deficientibus, electiones nullæ sint eo ipso, ac sine illis electi ad suffragandum in Capitulo Gen. non admittantur.

§.5. Prædicti autem duo in qualibet Provincia eligantur in Congregatione cogenda per Priorem Provincialem cujuslibet Provinciæ Dominica prima Mensis Maii proxime præcedentis Capitulum Generale, vel si urgens aliqua necessitas coegerit, primo quoque tempore post dictam Dominicam primam Mensis Maii, in quibus Congregationibus præsideant Provinciales, non tamen in illis votum ferant; & Provincialibus quovis modo deficientibus, præsideant Priores Conventuum, in quibus Congregationes fient, & officio scrutatorum fungantur: qui præerit, & duo Præsidenti proximiores, eligentur, & alii duo cum eisdem qualitatibus, & requisitis respective substituendi unicuique ex proxime electis in casu mortis, sive alterius cujusvis legitimi impedimenti.

§.6. In prædictis autem Congregationibus vocem habebunt Priores cujuslibet Conventus, & Vicarii Conventuum Vicariatus; Secretarii RR. Patrum Provincialium, necnon Discreti, qui eligentur, prout hactenus factum est. Et cætera faciant ad formam Constitutionum. Congregationes autem habebuntur pro Provincia Romana in Conventu Sanctissimi Crucifixi Spoleti, pro Provincia Neapolitana in Conventu S. Mariæ Veritatis Neapolis, pro Provincia Januensi in proximo triennio in Conventu S.Franciscæ Romanæ Mediolani, in subsequenti vero in Conventu S. Nicolai Tolentinatis Januæ, & sic deinceps alternative. Pro Provincia Siciliæ Panormitanæ in Conventu S. Nicolai Tolentinatis Panormi. In Provincia Germaniæ in proximo triennio in Conventu Sancti Augustini Viennæ, in subsequenti vero in Conventu S. Wincislai Pragæ, & sic de singulis alternative: Pro Provincia Regni Neapolitani in proximo triennio in Conventu S.Mariæ Incoronatæ Neritonensis, in subsequenti vero in Conventu Sanctæ Mariæ Pietatis Montis Leonis, & sic deinceps alternative: pro Provincia Pedemontana in Conventu S. Caroli Taurini: in Provincia Siciliæ Messanen. in Conventu

tu S. Restitutæ Messanæ; utque electiones pro qualibet Provincia de dignioribus, & magis acceptis personis in qualibet Provincia in Definitorio Generali fiant, provisum, & decretum pariter fuit, ut in electionibus prædictis intersint, & admittantur ad ferendum votum Provinciales, & duo Vocales uniuscujusque Provinciæ, una cum PP. Definitorii in electionibus singularum Provinciarum, itaut possint esse omnes numero duodecim Electores:& fuit affirmative per vota secreta omnibus concurrentibus. Die 25. Maii 1659. In Capitulo Generali Præsidente Emo D. Cardinali Pallotto ad majorem quietem, & pacem totius Congregationis, &c. Perlecto per Secretarium Capituli generalis alta voce suprascripto Decreto, & facta propositione, an placeat servari, & confirmari d. Decretum tenoris prout supra, per vota secreta fuit resolutum, affirmative, per vigintiocto suffragia, duobus tantum pro negativa.

Confirmat decretum prout in rubric. §.7. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædicti Exponentes Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione, Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volen., & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti &c. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum Definitorii, & Capituli Generalis d. Congregationis Decretum, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. §.8. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios &c. judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari.

Contraria reiicit. §.9. Non obstantibns Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis prædictæ, ejusque Provinciarum, & aliis quibusvis, etiam juramento &c. quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis &c.

Transumptorum fides. §.10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, manu &c. eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiber., si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16. Junii 1659. An. V. Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Junii 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCXLVIII.

Pro erectione Provinciæ Beati Petri de Alcantara Fratrum Discalceatorum Sancti Francisci, & communicatione eorum, quæ Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ, & omnibus aliis Provinciis eorumdem Fratrum Discalceatorum pro bono ipsarum regimine sunt concessa.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. SAcrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam impositum postulat, ut paternam Christifidelium, qui e fluctibus seculi in portum regularis vitæ confugerunt, curam gerentes, eorum statui, & felici directioni opportunis rationibus consulere studeamus, prout pia Orthodoxorum Regum vota exposcunt, & Nos matura consideratione prævia, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. §.1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Fratrum Discalceatorum Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis expositum fuit quod eadem Provincia vigore facultatis ædificandi, seu instituendi Conventus, seu Domos regulares in quibusvis Hispaniæ locis ei per quasdam fel. rec. Clem. PP. VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis literas concessæ, ita (benedicente Domino) dilatata nunc reperitur, ut in Valentiæ, ac Murciæ, & Granatæ Regnis, in quibus consistit, trigintasex illius Conventus numerentur, in quibus singulis Fratres notabili numero habitant. Qui Conventus cum per spatium trecentorum milliarium in longitudinem, & centum quinquaginta in latitudinem dispersi existant, Ministris Provincialibus Provinciæ hujusmodi pro tempore existentibus, si non impossibile, saltem difficillimum redditur ipsam Provinciam pedibus totam quotannis peragrare, & visitare, sicut per statuta dicti Ordinis præscribitur, nec ipsi attenta itineris longitudine, eam in singulis Conventibus præfatis moram trahere valent, quam spiritualis Religiosorum consolatio exigit.

Sup. pro d. Provi. §.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissis in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ provide perpensis, Fratres qui eidem Capitulo interfuerunt, omnes unanimiter decreverint, Nobis esse supplicandum, ut licentiam dividendi Provinciam prædictam concederemus, hocque decretum non solum a tunc existente Ordinis prædicti Ministro Gen., qui Capitulo Provinciali hujusmodi præsedit, approbatum, sed etiam a Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Civitate Toletana novissime celebrato confirmatum fuerit: Nobis propterea, tam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici nomine, quam pro parte dictorum exponentium humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ejusdem Philippi Regis desiderio, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, præfatosque

tosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & ipsorum exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi piis, & rationabilibus supplicationibus inclinati, attentis expositis, necnon etiam audito dilecto filio Ministro Generali Ordinis hujusmodi, memoratam Prov. S. Joan. Bapt. Frat. Discal. nuncupat. prædicti Ord. Min. S. Francisci de Obser. in Regnis Valentiæ, Murciæ, & Granatæ consistentem olim apostolica auctoritate erectam, & institutam, quæ in tantum postmodum (Deo favente) se dilatavit, & excrevit, ut trigintasex jam Conventus, seu Domos Regulares cum competenti numero Fratrum comprehendat, ac proinde impossibile sit, per unum tantummodo Ministrum Provincialem propter longam distantiam, eam quotannis ad præscriptum Constitutionum, & Statutorum Ordinis prædicti visitari.

Dividit Provinciam in duas.

§.4. Auctoritate Apostolica, tenore præsentium dismembramus, & ex unica in duas dividimus, ita scilicet, ut vigintiseptem Conventus nunc existentes in Provincia Valentiæ, & si quos exinde in eadem erigi contingat, usque ad Civitatem Murciæ exclusive, retento nomine Prov. S. Joan. Bapt., sub ea remanere, cæteri vero ab eadem Civitate Murciæ per præfata Regna Murciæ, & Granatæ diffusi, & in posterum pariter fundandi, ac Provinciam de novo erectam, & B. Petri de Alcantara nuncupandam pertinere intelligantur.

Gaudet privilegiis aliarũ Provinciarum

§.5. Quam Provinciam B. Petri de Alcant. de novo, sicut præfertur, erectam, & institutam volumus inter Provin. prædicti Ord. Min. Regul. Observ. auctoritate Apostolica erectas, & approbatas aggregari, & annumerari, ac aggregatam, & annumeratam esse statuimus, & decernimus, omnibusque concessionibus, gratiis, indultis, & Literis Apostolicis eidem S. Joan. Bapt. & aliis dicti Ord. Prov. Discalc. concessis, & pro tempore concedendis frui, & gaudere, ac si eidem de novo specialiter concessa essent, & eisdem constitutionibus, legibus, statutis, & ordinationibus, quibus d. Prov. S. Jo: Bapt. utitur, & gubernatur, similiter perpetuo uti, & gubernari debere.

Dat modum eligendi Ministrum, & Definitores.

§.6. In Capitulo autem Provinciali, in quo Præses ipsiusmet Capituli ad novam electionem præsideat, vel etiam in Congregatione more Capituli Provincialis ad hunc effectum habenda, & celebranda tempore, & loco ab ipso Ministro Provinciali Provinciæ S. Joan. Bapt. præscriptis, convocatisque per ipsum Definitoribus, & Fratribus, cunctisque omnium locorum, seu Conventuum ipsius Provinciæ Guardianis, ex omnibus ejus Fratribus, hoc est de toto corpore Provinciæ, unus illorum in Ministrum Provincialem pro Provincia de novo erecta per eosdem Ministrum Provincialem, & Definitores, & Guardianos per vota Secreta ad præscriptum S.C.T., & deinde ex corpore Congreg. solummodo quatuor Definitores, & Custos servatis servandis, & prout in hujusmodi Capitulis Provincialibus moris est, eligantur, quos omnes, scilicet Ministrum Provincialem, Definitores, & Custodem postquam electi fuerint, idem Minister Provincialis S. Joannis Baptistæ, seu Præses Capituli, Apostolica auctoritate confirmet.

Quod maneat sub audientia Ministri Gen.

§.7. Decernentes Provinciam de novo ut dicitur, erectam, tamquam veram, & legitimam ipsius Ordinis filiam sub obedientia, visitatione, & correctione Ministri Generalis illius pro tempore existentis perpetuo remanere, & in Capit. Gen. sicut cæteræ ejusdem Ordinis Provinciæ locum habere, tractari, amplecti, & debitis favoribus prosequi debere, illamque in celebrandis Capitulis Provincialibus, Congregationibus, electionibus, & aliis pariformiter, ac Provincia S. Joan. Bapt. procedere, & ipsas ambas Provincias suis propriis tantummodo, non autem alienis Constitutionibus, & Ordinationibus regi, & gubernari perpetuo teneri.

Præficit tempus Fratribus eligendi sibi Provinciam.

§.8. Atque electionibus Ministri Provincialis, Definitorum, & Custodis supradicti, ut præmittitur, celebratis, & confirmatis, dictus Minister Provincialis S. Joan. Bapt. terminum sex mensium cunctis ipsius Provinciæ Fratribus præfigat, intra quem ipsi alterutram ex ambabus Provinciis, quam maluerint, ad incolendum, & inhabitandum eligere possint, quo elapso nulli eorum locum, aut Provinciam amplius mutare, sine utriusque Provincialis consensu in scriptis obtento, ullo modo liceat.

§.9. Ejusdem autem novæ Provinciæ B. Petri de Alcant. limites, & confines esse debere volumus Episcopatum Carthaginensem, Comitatum in Regno Murciæ, Episcopatum Guadicensem, & Baza, Episcopatum Almeriensem, Archiepiscopatum Granatensem, Adelantatum de Cazorla, Abbatiam de Alcala, & Pliego, necnon partem Episcopatus Ghiennensis, scilicet ab ipsa Civitate Ghiennensi versus Biacensem, & Ubetensem, relinquendo aliam partem, scilicet ab ipsa Civitate Ghiennensi usque ad Episcopatum Cordubensem: ita tamen, ut nec Provincia noviter erecta, nec Provincia Sancti Didaci possit fundare Conventum in Civitate Ghiennensi, neque in ejus districtu, sed ipsa Civitas communis sit utrique Provinciæ pro quæstuatione, prout inter partes ita conventum & pactum extitit.

Decretum irritans.

§.10. Decernentes pariter easdem præsentes literas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios &c. ac irritum, &c. contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.11. Non obstantibus præmissis, ac Constit., & Ordinat. Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, ac Prov. S. Joan. Bapt., ejusque Conventuum hujusmodi, & aliis quibusvis, etiam juramento, &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innotis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c., hac vice dumtaxat spe-

specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 4. Augusti 1659. An. V. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 4. Aug. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCXLIX.

Reintegratio, seu nova erectio Conventus S.Laurentii in Terra Bonitii, vulgariter Poggibonzi, ad favorem Congregat. Ilicetanę, Ordinis Erem. S. Augustini.

Conventus horum Fratrum non possunt occupari ab aliis Fratribus Discalceatis ejusdem Ordinis, nisi de consensu Prioris Generalis. Vide ad Const. 82. Tom. 6. Par. 3. fol. 113. Innoc. X.

Venerabili Fratri Episcopo Collensi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Procemium. Ecclesiæ Catholicæ regimini, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam præpositi ad ea, quæ in Religionis, divinique cultus incrementum, spiritualemque populorum consolationem, & animarum salutem cessura esse noscuntur, peculiares vigilantiæ nostræ curas libenter convertimus, officiique nostri pastoralis partes propensa charitate desuper interponimus, prout pia Religiosorum Antistitum vota postulant, & Nos prudenti consultatione adhibita, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Ven. Frater Ambrosius Landuccius Episcopus Porphyriensis Secretarii nostri Apostolici Præfectus, qui in minoribus constitutus habitum per Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini gestari solitum suscepit, & professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisit regularem, quod cum Conventus S. Laurentii Fratrum Provinciæ Pisanæ dicti Ordinis in terra Bonitii Poggibonzi vulgariter nuncupata, Collensis Diœcesis existens, cujus redditus certi, & incerti insimul ad summam trecentorum sexaginta scutorum monetæ, vel circiter ascendebant, ante aliquot annos per sinistram Superiorum illius temporis relaxationem vigore Constitutionis fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri, quæ incipit *Instaurandæ*, &c. Suppressus fuisset, ordinatum fuit, attento quod dicta Terra Missarum, & Confessariorum penuria laborabat, ut Ecclesia ejusdem Conventus sic suppressi in Parochialem cum assignatione curæ animarum parochiali Ecclesiæ Præposituræ nuncupatæ ejusdem Terrę, cui copiosa Parochianorum multitudo suberat, incumbentis, & in ipsa nova Parochiali Ecclesia una Cappellania, quam obtinens pro tempore Cappellanus Missam in eadem Ecclesia quotidie celebrare, illiusque Parochum in cura animarum exercenda coadjuvare obligatus esset, respective erigerentur; & Parocho quidem centum, Cappellano vero sexaginta scuta ad rationem septem librarum monetæ illarum partium pro quolibet scuto respective annuatim ex redditibus d. Conventus suppressi assignaretur, residuum vero redditum hujusmodi Semin. Eccles. Collensi applicaretur: quæ quantum quidem ad erectionem novæ Parochialis Ecclesiæ, & Cappellaniæ hujusmodi attinet, executioni demandata fuerunt, eisdem Parochiali Ecclesia Francisco Mutii, & Cappellania a primæva erectione vacantibus Joanni Dominico Scachi Presbyteris illarum partium dilectis filiis cum assignatione jamdicta respective collatis: applicatio vero residui dictorum redditum prædicto Seminario facienda hactenus mansit in suspenso.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quidam Conventus sub titulo, seu invocatione S. Antonii Fratrum Congregationis Ilicetanæ dicti Ord., cujus fructus, redditus, & proventus certi, & incerti insimul computati ad quadringenta, vel circiter scuta paria annuatim ascendunt, circiter trium milliarium intervallo a prædicta Terra distans reperiatur, qui si supprimeretur, illiusque redditus prædicto Conventui Sancti Laurentii suppresso applicarentur, idem Conventus S. Laurentii reintegrari, seu de novo erigi posset, atque ita memoratæ Terræ, quæ populi frequentia, situsque amœnitate inter alias conspicua existit, decori, illiusque Civium, & Incolarum, qui per suppressionem dicti Conventus S. Laurentii ope, operaque illius Fratrum destituti, notabilia incommoda passi sunt, spirituali consolationi, & utilitati peropportune consuleretur, & illis, sicut ante suppressionem hujusmodi fiebat, divina officia celebrarentur, Sacramenta Ecclesiæ frequentarentur, prædicationes verbi Dei ad populum haberentur, necnon processiones, aliæque piæ, & devotæ functiones.

§.3. Cumque dilecti filii Superiores memoratorum Ordinis, & Congregationis suppressioni dicti Conventus S. Antonii, quantum ad eos spectat, consentiant, prædicti vero Franciscus, & Joannes Dominicus suas Parochialem Ecclesiam, & Cappellaniam supradictas respective resignare libere parati sint, si eorum indemnitati per infrascriptarum pensionum, seu præstationum annuarum assignationem provideatur: Nobis propterea prædictus Ambrosius Episcopus, necnon dilecti filii Universitas, & homines dictæ Terræ Bonitii humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur. Supplicat[...]

§.4. Nos igitur pio, & religioso ejusdem Ambrosii Episcopi desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ipsumque Ambrosium Episcopum, ac Universitatem, & homines prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, &c. & ab- Dat facu[...] Episcopo [Col]lensi ut [...]gat, & [...]regret [Con]ventum S. [Lau]rentii sup[pres]sis quibu[s] Convent[um] S. Anto[nii]

& absolutas fore censentes, necnon erectionum, & institutionum novæ parochialis Ecclesiæ, & Capellaniæ hujusmodi, ac dicti Conventus S. Antonii tenores, & alia quæcumque etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & specificatis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis prædictum Conventum Sancti Antonii, ejusque titulum, conventualitatem, ac dignitates, ministeria, munera, & officia regularia quæcumque, necnon titulos beneficiales, & collativos dictę Parochialis Ecclesię S.Laurentii,& Cappellaniæ, sicut præmittitur, erectarum (facta tamen prius per memoratos Franciscum, & Joannem Dominicum respective ipsarum parochialis Ecclesiæ, & Cappellaniæ in manibus tuis libera, & spontanea cessione, & resignatione) auctoritate nostra apostolica perpetuo supprimas, & extinguas, ac in supradicta Terra Bonitii prædictum Conventum S. Laurentii, sicut præmittitur, suppressum, ad statum Conventus restituas, & reintegres, seu de novo in Conventum Fratrum dictæ Congregationis Ilicetanæ Ord. prædicti, in quo de præsenti quidem octo Fratres,nempe quinque Presbyteri, unus Clericus professus, & duo Laici, seu Conversi: post mortem vero dictorum Francisci,& Joannis Dominici duodecim, videlicet octo Presbyteri, duo Clerici professi, & duo Laici, seu Conversi Fratres Congregationis, & Ordinis hujusmodi degere, & commorari debeant, ea lege, ut iidem Fratres donec ad numerum duodenarium pervenerint, tuæ,& pro tempore existentis Ordinarii Collensis jurisdictioni subjaceant, ipsique Fratres divina officia celebrent, aliaque spiritualia exercitia juxta eorum institutum obeant, & peragant in Ecclesia ejusdem Conventus Sancti Laurentii, quæ licet titulus parochialis in ea suppressus, & extinctus sit, nihilominus curata remaneat, & in ea curæ animarum exercitium continuetur, ipsaque cura animarum ab aliquo Fratre dicti Ord. per Definitorium prædictæ Congregationis Ilicetanæ tempore illius Capituli,vel Diœtæ intermediæ, extra Capitulum vero, seu Dietam hujusmodi, per Vicarium Generalem, ejusque Congregationis pro tempore existentem ad hunc effectum eligendo,seu deputando, ac antequam administrationem curæ animarum hujusmodi gerat, ad illam a te, seu pro tempore existente Ordinario Collensi approbando exerceri debeat, dicta auctoritate itidem perpetuo erigas, & instituas.

Pro sustentatione Conv. S. Laurentii varios proventus assignat.

§.5. Præterea eidem Conventui Sancti Laurentii sic reintegrato, seu de novo erecto, pro illius dote, ac Prioris, & Fratrum in eo pro tempore degentium sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, omnia, & singula prædictis Parocho, & Cappellano assignata, ac supradicto Seminario applicari ordinata, ut præfertur, & alia quæcumque bona mobilia, & immobilia, proprietates, census, redditus, proventus, obventiones, emolumenta, actiones, & jura, aliave quælibet tam ad ipsum Conventum S. Laurentii, illiusque Ecclesiam, quam ad supradictum Conventum S. Antonii a te supprimendum, & extinguendum quomodocumque, & qualitercumque respective spectantia, & pertinentia, ubicumque locorum existentia, ac illis in futurum quandocumque, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, & aliàs quomodolibet elargienda, eroganda, donanda, & assignanda ex nunc, prout ex tunc, postquam elargita, erogata, donata, & assignata fuerint,itaut liceat eisdem Priori, & Fratribus illorum omnium, & singulorum corporalem, realem, & actualem possessionem, & quasi possessionem per se, vel alium, seu alios suo, & dicti Conventus S. Laurentii nominibus propria auctoritate apprehendere, & apprehensa perpetuo retinere, fructus quoque, redditus,proventus, & emolumenta ex illis provenientia quæcumque, ac eleemosynas ipsis, eorumque Conventui hujusmodi pro tempore factas recipere, percipere, exigere, levare, locare, arrendare, recuperare, ac in suos communes usus, necessitates, & utilitatem, onerumque hujusmodi adimplementum convertere, & erogare, Diœcesani loci, seu cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate prædicta pariter perpetuo applices, assignes, & appropries, dictumque Conventum S.Antonii postquam sic, ut præfertur, suppressus, & extinctus fuerit,membrum,& Grangiam ejusdem Conventus S.Laurentii Priorem, & Fratres Missas, & Anniversaria ad quæ Fratres dicti Conventus S. Antonii ex legatis piis, aut alias quomodolibet tenebantur in Ecclesia ipsius Conventus Sancti Antonii, ita facta Missarum hujusmodi distributione, ut saltem singulis diebus Dominicis, & festis de præcepto una Missa inibi celebretur per Fratres ejusdem Conventus S. Laurentii pro tempore existentes, qui tamen hac occasione extra Conventum hujusmodi non pernoctent, vel aliquem Presbyterum secularem, eorum arbitrio, quoties ipsis placuerit deputandum, celebrari, & adimpleri facere perpetuo teneri, & obligatos fore, dicta auctoritate decernas, & declares.

Fratres S. Laurentii pristinis indulgentiis, immunitatib. &c. gaudere permittit.

§.6. Ad hæc eidem Conventui S. Laurentii sic reintegrato, seu de novo erecto, illiusque Ecclesiæ, ac Priori, & Fratribus pro tempore existentibus, necnon quibusvis Christifidelibus eamdem Ecclesiam pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis,indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, & indulgentiis, etiam illis, quibus ante ipsius Conventus suppressionem, mediante Confraternitate Cinctorum, sive de Centurati, vulgariter vocata,in Ecclesia hujusmodi erecta gaudebant, aliisque gratiis universis,tam spiritualibus, quam

quam temporalibus, quibus alii Conventus Congregationis, & Ordinis prædictorum, illorumque Priores, & Fratres de jure, usu, consuetudine, & alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quovis modo in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam æque principaliter, & pariformiter, ac absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, eadem auctoritate concedas, & indulgeas.

Pensiones cōcedit memoratis Francisco, & Dominico.

§.7. Ac demum memoratis Francisco quidem unam octuagintaquatuor, Joanni Dominico vero alteram pensiones, seu præstationes annuas triginta scutorum monetæ dictarum partium super omnibus, & singulis bonis, redditibus, & proventibus dicti Conventus S. Laurentii per eos quoad vixerint percipiendas, exigendas, levandas, ac in eorum usus, & utilitatem convertendas, eisque per Priorem, & Fratres ipsius Conventus S. Laurentii pro tempore existentes annis singulis pro una in Nativitatis, & pro altera medietatibus pensionum, seu præstationum annuarum hujusmodi in Annunciationis B. M. V. festivitatibus respective persolvendas; itaut pro dictis pensionibus annuis sic eisdem Francisco, & Joanni Dominico respective solvendis omnia, & singula bona dicti Conventus S. Laurentii specialiter obligata, & hypothecata sint, auctoritate prædicta reserves, constituas, & assignes: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impartimur.

§.8 Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, ac inde legitime secutura quæcumque, nullo unquam tempore sub quibusvis similium, vel dissimilum restitutionum, reintegrationum, erectionum, suppressionum, & extinctionum, applicationum, assignationum, & appropriationum, etiam effectum nondum sortitarum, ac indultorum, aliarumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, vel aliis contrariis dispositionibus etiam per quascumque literas, & Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ Regulas, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam per Nos, & quoscumque Successores nostros Romanos Pontifices, etiam in crastinum cujuslibet eorum assumptionis ad summi Apostolatus apicem, ac Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & de apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet pro tempore factis, & concessis comprehendi, aut comprehensas, & comprehensa censeri, sed semper ab illis exceptas, & excepta, ac quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, necnon restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per Priorem, & Fratres dicti Conventus S. Laurentii pro tempore existentes eligenda concessas, & concessa, firmaque, valida, & efficacia existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri.

Decr. irrita.

§.9. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus. & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices &c. judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Cont. tollit.

§.10. Non obstantibus præmissis, ac de non concedendis Indulgentiis ad instar, & quatenus opus sit de perpetuis suppressionibus, unionibus, & applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, necnon de præstando consensu in pensionibus, seu illarum reservatione aliisque nostris, & Cancellar. prædictæ regulis, tam hactenus editis, quam in posterum quandocumque edendis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure expressis fieri prohibendis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, ac prædictorum Ord. Congregationis, Conventuum, Ecclesiarum, & Seminarii, aliisve quibusvis &c. eisdem Ord., Congreg., Convent., Ecclesiis, & Semin. illorumque Superioribus, administratoribus Fratribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq. efficacioribus &c. etiam Motu proprio, & de apost. potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis.

§.11. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, &c. mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores &c. ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Aug. An.V.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8.Augustii 1659. Pontificatus nostri Anno V.

C C L.

Ex R. Secre.

Indulget, ut Clerici Congregationis Clericorum secularium Doctrinæ Christianæ in Gallia ab Anno 1647. citra admissi, vota simplicia emittere possint, non renovato probationis anno, atque omnes supradicti sive jam admissi, sive in futurum admittendi in d. Congreg., qui post

post emissa vota ex licentia Præpositi Generalis, vel Provincialis mittentur ad Sacros Ordines suscipiendos, ordinari possint a quocumque Catholico Antistite vel Dimissoriis illius Episcopi, in cujus Diœcesi existunt Collegia, seu Domus, in quibus degunt de familia, qui ad Sacros Ordines promoveri desiderant.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Procemium. ALias emanarunt a Nobis Literæ in simili forma brevis tenoris, qui sequitur, videlicet. Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Sacrosancti Apostolatus Officium humilitati nostræ per ineffab. divinæ bonitatis abundantiam &c. *Ut fusius in Tom.6. Par.4. fol.287.*

Supplicatio. §.1. Cum autem, sicut prædictus Franciscus Avias Nobis nuper exponi fecit, illi, qui in dictam Congregat. Clericorum secularium Doctrinæ Christianæ in Gallia ab Anno 1647. usque in præsentem diem admissi fuerunt, annum probationis expleverint, eoque expleto missi fuerint ad diversa Collegia, & Domos ejusdem Congregationis, in quibus tum in scholis faciendis, tum in aliis exercitiis, quibus dicta Congregatio ex instituto suo incumbit, occupantur, nec inde ad novam probationem faciendam, nisi difficulter, & cum gravi damno ipsius Congregationis revocari possint: Nobis propterea dictus Franciscus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Indulget Preposito Gen., ut clerici Doctrinæ Christianæ ordinetur a quolibet Antistite. §.2. Nos igitur ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicat. &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, perspecta narratorum veritate, ut omnes, qui a prædicto Anno 1647., usque in præsentem diem in dictam Congreg. fuerunt admissi, in eaque per annum integrum in probatione steterunt, postquam per alios duos menses in eadem probatione permanserint in Collegiis, vel Domibus, in quibus ad præsens commorantur, si alioquin habiles inventi fuerint, ad tria vota simplicia, necnon votum, seu juramentum perseverandi perpetuo in eadem Congreg. admitti libere, & licite valeant ad præscriptum præinsertarum nostrarum literarum; Atque, ut omnes Clerici sive jam admissi, sive in futurum admittendi in dictam Congregationem, qui post vota, ut præfertur, emissa ex licentia Præpositi Generalis, vel Provincialis mittentur ad Sacros Ordines suscipiendos ordinari possint a quocumque Catholico Antistite cum dimissoriis illius Episcopi, in cujus Diœcesi existunt Collegia, seu Domus, in quibus degunt de familia iidem Clerici, qui ad Sacros Ordines promoveri desiderant, auctor. apost. tenore præsentium indulgemus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Avenionen., & Narbonen. Archiepiscopis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel eorum alter easdem præsentes, ac præinsert. Literas nostras &c. & quoties pro parte Cler. secular. d. Cong. seu alicujus eorum, aliorumve, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum singulos ipsarum præsentium, & præinsertarum Literarum effectu respective pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos a quoquam desuper indebite molestari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, & censuras &c. invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.5. Non obstan. præmissis, necnon recolen. memor. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, &c. aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis &c. cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Aug. 1659. Pontificatus nostri Anno V. Dat. die 11. Aug. 1659. An.V.

CCLI.

Confirmatio Statuti Congregationis Missionis in Gallia, quo cavetur, quod omnes, & singuli in ipsa Congreg. quatuor votis simplicibus, nempe castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ac stabilitatis emissis, recepti, qui bona immobilia, vel beneficia simplicia possident, aut in futurum possidebunt, licet dominium illorum retineant, eorumdem tamen usum liberum non habebunt, sed de fructibus cum facultate, & arbitratu Superioris in pia opera disponere tenebuntur. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

§.1. ALias Nos supplicationibus dilecti filii Vincentii de Paul Superioris Generalis Cong. Missionis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati eandem Congregationem sub certis modo, & forma tunc expressis confirmavimus, & approbavimus cum emissione votorum simplicium castitatis, paupertatis, & obedientiæ, necnon stabilitatis in d. Congreg. ad effectum se toto vitæ tempore saluti pauperum rusticanorum applicandi post biennium probationis facienda, in quorum tamen votorum emissione nemo interesset, qui ea acceptaret sive nomine Congregationis, sive nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis nomine, & vota sic, ut supra emissa dissolvere posset solus Romanus Pontifex, necnon, & Superior Generalis Motiva.

ralis dictæ Congregat. in actu dimissionis e Congregat. itaut eadem Congregatio non censeretur propterea in numero Ordinum Religiosorum, sed esset de corpore Cleri secularis, & alias prout in nostris in simili forma brevis literis die 22. Septemb. 1655. desuper expeditis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Statutum collatum S. Pon. a Vincent. de Paul.

§. 2. Cum autem, sicut dictus Vincentius Nobis nuper exponi fecit, circa observantiam dicti voti simplicis paupertatis in Congregatione præfata multæ oriri possent difficultates, quæ ipsam Congregationem turbarent, nisi opportune super hoc a Nobis provideatur; Et propterea idem Vincentius Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret statutum fundamentale memoratæ Congregationis circa paupertatem editum tenoris, qui sequitur. Omnes, & singuli in nostra Congregatione dictis quatuor votis emissis, recepti, qui bona immobilia, vel beneficia simplicia possideant, aut in futurum possidebunt, licet dominium illorum omnium retineant, eorumdem tamen usum liberum non habent, itaut neque fructus ex hujusmodi bonis, vel Beneficiis provenientes retinere, neque in proprios usus, sine licentia superioris, quicquam convertere possint, sed de iisdem fructibus, cum facultate, & arbitratu dicti superioris in pia opera disponere tenebuntur. Si autem parentes, aut propinquos indigentes habuerint, superior curabit, ut suorum necessitatibus ante omnia de hujusmodi fructibus in Domino subveniant.

Statutum præinsertum confirmat S. Pont.

§. 3. Nos ipsum Vincentium Superiorem Generalem amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii interpretum consilio, statum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodol. intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas &c. existere, & fore &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria refellit.

§. 5. Non obstan. præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in præd. Lit. voluimus non obstare, cæterisq; contrariis quibusc.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, manu &c. sigillo Superioris Gen. Congr. præfatæ &c. eadem prorsus ubique locorum fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Aug. 1659. Prntificatus nostri Anno V.

CCLII.

Ex Reg. Secret.

Confirmatio Decreti Congreg. Episcopor. & Regul., quo eadem Congreg. injungit Comissario Generali Curiæ Ord. Min. S. Francisci de Obser., ut aliud Decretum d. Congreg. omnino exequi mandet super negotio prætensæ erectionis Custodiæ Recollectorum Lotharingiæ, & perpetuum silentium imponendum; Ejus autem Conventus, & Domos sub obedientia, & gubernio Provinciæ Franciç Parisien. omnino redigen., & subiicien.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicat.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Leo le Febure Minister Provincialis, & Fratres Provinciæ Franciæ Parisiensis Ord. Frat. Min. S. Franc. de Obser. nuncupatorum, quod alias pro eorum parte Ven. Frat. nostris S. R. E. Card. negotiis, & consultat. Episc., & Regularium præpositis exposito, quod licet iidem Card. per eorum Decretum die 9. Novembris 1657. emanatum audita relatione Procurator. Gen. dicti Ordinis eaque attenta mandassent, dilectum pariter filium Bonaventuram Hocquard prædicti Ord. Fratrem super illis, quæ ipsis Cardinalibus exposita fuerant, de cætero non audiri; Et quoniam ipse otiose, & absque ulla subjectione in Curia morabatur, eidem Procuratori Generali commisissent, quatenus illi injungeret, ut quamprimum ad suam Provin. rediret, & interim de Conventu non exiret absque licentia præfati Procuratoris, & Socio ab eodem assignando, quibuscumque non obstantibus, dictus Bonaventura nihilominus non solum eidem Decreto non obtemperaverit, sed etiam ad Capit. Gen. d. Ordinis ire ausus fuerit, suffragiumque tacito præfato decreto quasi Custos dederit; imo contra idem Decretum, quo a Curia Romana ejectus fuerat, & remissus ad suam Provinciam, non redierit ad eamdem Provinciam, sed Romam venerit: Ideoque per eosdem Exponentes prædictis Card. supplicato, ut prædictum decretum exequi mandarent, silentiumque perpetuum prætensæ erectioni Custodiæ S. Nicolai Recollectorum nuncupatorum in Lotharingia imponendo, necnon ejus Conventus, Domos, seu Hospitia obedientiæ, & gubernio Ministri Provincialis d. Provinciæ Franciæ Parisiensis Reformatæ subiiciendo: emanavit a Congregat. memoratorum Cardin. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum emanatum a Congr. Card.

Sacra Congregat. Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & audita relatione Commissarii Gen. Curiæ Ordinis hujusmodi, committendum, & injungendum censuit, prout harum serie committit, & injungit eidem Commissario, ac omnibus aliis dicti Ordinis Superioribus Regularibus, ad quos spectat, vel spectare poterit, ut præinser-

insertum Decretum omnino exequi, & effectum sortiri mandent, & præcipiant super negotio prætensæ erectionis d. Custodiæ Recollectorum nuncupatorum Lotharingiæ, Fratrem Bonaventuram, Hocquard de cætero non audien.; imo eidem negotio perpetuum silentium imponendum; ejus autem Conventus, & Domus sub obedientia, & gubernio Provinciæ Franciæ Parisien., omnimodo redigen., & subiicien. contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 2. Maii 1659.

M. Cardinalis Ginnettus.

Decretum præinsertum confirmat, & approbat.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes Decretum præinsertum Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas &c.; Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Aug. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLIII.

Indultum, ut Complutensis Academia recitare possit officium S. Thomæ de Villanova sub ritu dup. 2. classis cum Oct.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EManavit nuper a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacr. Ritibus præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Rituum Congregatio Rectoris Collegialium majorum Collegii S. Idelphonsi, ac aliorum Universitatis studii generalis Oppidi Complutensis Toletanæ Diœcesis in Sanctum Thomam de Villanova Archiepiscopum Valentinum piis votis benigne inclinata, quod ibidem adipiscendis Facultatibus, iisdemque mox gradu decoratus interpretandis, ac edisserendis Sanctus idem operam navasset, ejusque Costa cum parte carnis, ut asseritur, asservetur (quibus causis permotus san. mem. Innocentius X. eidem Universitati indulsit, ut inibi posset de eodem Sancto tunc Beatitatis tantum titulo insignito Officium recitari, ac Missa pariter celebrari) ut posthac Universitatis, ac Collegiorum eorumdem incolæ, tam seculares, quam Regulares tanti Coalumni memoriam, quo solemnius celebrant, eo impensius imitentur, quotannis de eodem nuper inter Sanctos relato, eis Officium duplex secundæ Classis cum Oct. reliquo autem Oppidi ejusdem Clero duplex majus sine Oct. recitandi facultatem tribuendam censuit. Die 19. Jul. 1659. Facta autem de prædictis Sanctiss. relatione, Sanctitas Sua annuit. Die 20. ejusd. mensis, eodemque anno 1659. I. Episcopus Sabinensis Cardinalis Sacchettus.

Facultatem recitandi officium sub ritu duplic. 2. clas. cum Octava S. Pont. Complut. Acad. concedit.

Decretum præinsertum approbat, & confirmat.

§.1. Cum autem sicut dilecti filii Rector, & Collegiales, & alii præd. Universitatis Studii generalis Complutensis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent. Nos specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicat. &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; supplicationibus eorum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

§.2. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædict. Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 25. Aug. 1659. An. V.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Aug. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLIV.

Præcipitur omnibus de Universitate observari Statutum 64. de obedientia Rectori præstanda.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Recenset statutum olim emanat. Universitatis Complutensis.

ALias pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & aliorum Universitatis Studii generalis Oppidi Complutensis Toletanæ Diœcesis Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod inter alia ejusdem Universitatis Sedi Apostolicæ immediate subjectæ Statuta dudum a bon. mem. Francisco dum vixit ejusdem S. R. E. Cardinale Ximenez nuncupato auctoritate fel. rec. Alexandri Papæ VI. Prædecess. nostri condita unum extaret sub cap. lxiv. incipiens.

§.1. Statuimus, & ordinamus, &c. in quo disponitur, teneri Lectores, Doctores, & Scholares juramentum obedientiæ deferre Rectori ipsius Universitatis, quod quidem juramentum præstandum est, antequam

quam prædicti de Universitate describantur in Matricula, alias privilegiis, & exemptioni bus non gaudeant. Et in eadem expositione subiuncto, quod sæpius nonnulli, qui prædictis privilegiis uti prætendunt, nihilominus se in matricula describi non faciant, ne cogantur præstare juramentum Obedientiæ, ideoque supplicato, ut caput hoc Statutorum confirmaretur, & non observantes privilegiis prædictis minime gaudere declararetur: Emanavit a prædicta Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet, die 15. Maii 1658. Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Statutum Academiæ Complutensis in præcitato Capitulo 64. de obedientia Rectori præstanda ab omnibus, &c. confirmatum a Sede Apost. esse observandum F. Cardinalis Paulutius Præfectus.

Statutum decretumApost. auctoritate confirmat. §.2. Cum autem sicut prædicti exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, et observatione, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apost. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicę firmitatis robur adiicimus, salva semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 25. Aug. 1659. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Aug. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLV.

Declarantur pœnæ, quas incurrunt non observantes statutum 64. de obedientia Rectori præstanda.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. Alias pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & aliorum Universitatis Studii generalis Oppidi Complutensis Toletanæ Diœcesis, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod inter alia ejusdem Universitatis Sedi Apostolicæ immediate subjectæ Statuta adesset 64. tenoris, qui sequitur, videlicet.

Tenor ... ab Uni... te C... si ema... §.1. Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli Regentes, Cathedratici, & alii quicumque Lectores, Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei, & Scholares universi hujus Academiæ, & Universitatis, cujuscumque qualitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentię existant, in omnibus, & singulis regimini, & gubernio Rectoris nostri Collegii pro tempore eligendi perpetuo subiaceant, teneanturque omnibus, & singulis mandatis ipsius licitis, & honestis, ac Constitutionibus nostris non contrariis obedire.

§.2. Et ad vocationem Rectoris præfati toties quoties ab eo, vel ejus mandato vocati fuerint, convenire: Statuta, & Constitutiones nostras in omnibus, & per omnia inviolabiliter observare: Honorem, utilitatem, & dignitatem ipsius Collegii semper, & ubicumque fuerint procurare: Exemptionem, & libertatem ejusdem tueri. Quæ omnia, & singula antequam scribantur in matricula Universitatis infra sex dies a die electionis Rectoris moderni computandos, si præsentes fuerint, vel infra alios sex dies postquam ad Universitatem venerint, teneantur sic jurare: Qui autem tale juramentum non præstiterint, nullatenus gaudeant privilegiis, & prærogativis ipsius Universitatis, nec scribantur in Matricula, in qua scribi debeant nomina, & cognomina omnium, & singularum personarum in eadem Universitate residentium, neque computentur, aut admittantur alicui cursus, quos peregerit antequam præd. juramentum præstiterit, &c. Pœnæ ... tur con... obedien...

Sequuntur pœnæ. §.3. Et in eadem expositione subjuncto, quod cum ex Statuto hujusmodi juramentum de exhibenda obedientia prædicta præstandum sit, qui vero illud non præstiterit, privilegiis, & prærogativis ipsius Universitatis nullatenus gaudere debeat: dubitaretur an inter privilegia, & prærogativas hujusmodi comprehenderentur stipendia debita ex gradibus conferendis, & actibus Universitatis, Cathedrisque moderandis, &c. Et an similiter vox activa, & passiva ad munia, & offic. Academię obeunda inter prærogativas, & privilegia prædicta computarentur; ideoque petita a prædictis Cardinalibus dubiorum hujusmodi declaratione, ut omnes in contrarium abusus de medio penitus tollerentur, emanavit ab eorumdem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris sequen., videlicet.

Decretum S. Congr. §.4. Die 26. Jul. 1659. Sacra Congregatio Eminentiss. DD. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum censuit, Propinas, & vocem activam, & passivam comprehendi inter prærogativas, & privilegia, de quibus in antedicto Cap. 64. Statutorum fit mentio. F. Card. Paulutius Præf.

§.5. Cum autem, sicut prædicti Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione, Apostolicæ confir. nostræ præsidio roborari summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum

rum singulares personas a quibusvis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum pręinsertum auctorit. apost. confirmat, & approbat S.P.

Decretum irritans.

§.6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. Sicque per quoscumque Judices ordinarios &c. irritum, & inane &c. contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 25. Aug. 1659. An.V.

Dat. Romæ apud S.M.M. sub annulo &c. die 25. Aug. 1659. Pont. nostri Anno V.

CCLVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declarationes sup. controversiis inter Procuratorem Generalem Ord. Minorum strictioris Observantiæ S. Francisci, ac Provincialem Prov. Rom., & Guardianum S.Francisci Transtyberim deUrbe.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

ILlius, qui charitas est Deus pacis, vices, (licet immeriti) gerentes in terris, ad illa propensis studiis intendimus, per quæ dissidia inter Religiosos viros in humilitatis spiritu, & sub arctioris vitæ jugo Altissimi obsequiis mancipatis enata sopiantur, ut ipsi sub laudabili institutorum suorum observantia quiete viventes, gratum divino Numini præstent famulatum.

Motiva.

§.1. Cum itaque inter dilectos filios Procuratorem Generalem Ord. Fratrum Minorum S.Francisci strictioris observantiæ nuncupatorum ex una, ac Ministrum Provincialem, & Definitores Provinciæ Romanæ, necnon Guardianum Conventus S. Francisci Transtyberim de Urbe ex altera partibus exortæ sint controversiæ Nos eas dirimere intendentes, ut discordiarum semina tollantur, & pax inter Religiosos conservetur, de voto nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus negotium examinandum, ac Nobis referendum commisimus, Procuratorem Generalem prædictum nunc, & pro tempore existentem præter Secretarium prope habere duos socios ejusdem Ord. professos ad suum beneplacitum diligendos, unum scilicet Sacerdotem, qui ei deserviat pro Scriba, & alterum Conversum, qui personæ ipsius Procuratoris curam gerat; Ac eosdem socios teneri recognoscere d. Procuratorem Generalem in eorum immediatum Superiorem, non autem Ministrum Provincialem, vel Guardianum antedictos; Ad hæc spectare ad eundem Procuratorem Generalem retinere, vel dimittere Fratres forenses, qui ad negotia peragenda Romam veniunt eisque obedientiam dare quando ob tarditatem, vel dilationem negotiorum suorum, aliave de causa ad tempus in aliquo Conventu Provinciæ Romanæ commorari debent: Ministrum vero Provincialem debere hujusmodi Conventum suo arbitrio assignare, & illius Guardiano injungere, ut eos recipiat; Præterea hujusmodi forenses infra triduum sui ingressus in Urbem subesse in omnibus eidem Procuratori Gen. dumtaxat; elapso autem triduo, subjectos esse curæ Guardiani d. Conventus S. Francisci in his, quæ morum correctionem, & regularem disciplinam concernunt. Postremo Fratres forenses hujusmodi si quidem pro eorum propriis negotiis e d. Conventu S. Francisci exire voluerint, utique teneri licentiam, ac benedictionem obtinere tam a Procuratore Generali, quam a Guardiano ad præscriptum Decreti Capituli Generalis Toleti ultimo celebrati. Verum si Procurator Generalis uti voluerit opera ipsorum forensium pro negotiis ad officium suum spectantibus, eosque secum ducere, tunc non teneri d.licentiam, aut benedictionem petere a Guardiano, auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus.

Quid faciendū sit statuit.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciæ, & Conventus hujusmodi aliisve &c.. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Sept. 1659. An.V.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Sept. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congr. Episcoporum, & Regularium quo super controversia inter Secretarium Gen. ex una, & Secretarium Provinciæ Romanæ Ordinis Minorum S.Francisci de Obser. ex altera vertente, declaratur, jus præcedentiæ competere Secretariis Gen. Curiæ.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. ALias pro parte dilectorum filiorum Secretariorum Gen. Curiæ Romanæ Ordinis Fratrum Min. S.Francisci de Observantia nuncupatorum, necnon Secretarii Provinciæ Romanæ ejusdem Ordinis Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Card. negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod inter præ. dictos Secretarios Gen. ex una, & Secretarium Provinciæ hujusmodi ex altera partibus exorta fuisset controversia super pręcedentia, ad quem scilicet, seu quos illorum pertinere deberet, eidemque Congre-

gregationi supplicato, ut controversiam hujusmodi dirimeret: emanavit ab ipsa Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

S. C. declarat jus præcedentiæ competere Secretarii gener. Curiæ. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac partibus, tam verbo, quam scripto in facto, & in jure informantibus, auditis, Emo Astallio referente, re diligenter, ac mature discussa, censuit, declaravit, & decrevit hujusmodi jus præcedentiæ competere Secretariis Gen. Curiæ, in contrarium allatis, & deductis pro parte Secretarii Provinciæ Romanæ non obstantibus quibuscumq. Romæ 11. Julii 1659.

M. Card. Ginettus.

Quod confirmat S. Pont. §.2. Cum autem, sicut dilectus filius Ferdinandus de Ariona Frater expresse professus, ac Secretarius Gen. Familiæ Ultramontanæ Ordinis præfati in Curia memorata Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi Apost. confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos eumdem Ferdinandum specialibus favoribus, & gratiis &c. & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censen. supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus; illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. scien., vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Sept. 1659. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Sept. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Ut Episcopus Patavin., & alii Commendatarii Monasteriorum Congreg. Camaldulen. Ord. S. Benedicti Monastico Regimini se non ingerant &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. SAcrosancti Apostolatus Officium humilitati nostræ per abundantiam divinæ bonitatis commissum exposcit, ut Religiosorum virorum sub suavi regularis vitæ jugo Altissimi obsequiis mancipatorum paternam curam gerentes illos a gravaminibus indebitis tueamur, ac eorum commodis, & felici directioni quantum Nobis ex alto conceditur consolamus.

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius Petrus Ferraccius Abbas Generalis Congregationis Camalduleri. Ord. S. Benedicti Nobis nuper exponi fecit, licet Sacri Concil. Trid. Decretis cautum reperitur, ut Priores Claustrales, aut in Prioratibus Conventuum habentibus Subpriores, qui correctiones, & Spirituale Regimen exercent, a Capitulis Generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatatoribus instituantur, nonnulli nihilominus Commendatarii quædam Monasteria Congregationis præfatæ in commendam obtinentes, & signanter Venerabilis Frater Georgius Cornelius Episcopus Patavin., qui Monasterium Abbatiam nuncupatum S. Mariæ de Vangadiccia ejusdem Congregationis in commendam ad sui vitam ex concessione, & dispensatione apostolica, ut asseritur, obtinet, forsan in vim Literarum Apostolicarum super eorumdem Monasteriorum Commendis expeditarum, in quibus ipsorum Monasteriorum cura, regimen, & administratio tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committitur, jus instituendi, ac destituendi Priores, & Officiales Claustrales, necnon visitandi, corrigendi, statuendi, ordinandi, & exercendi ea, quæ institutum regulare concernunt, ad se spectare electionibus, & depositionibus Priorum, & Subpriorum, aliorumque Officialium, ac etiam visitationibus, & Monachorum correctionibus sese ingerere, quinimo Superiores dictæ Congregationis Monasteria prædicta visitare, & reformare juxta ejusdem Congregationis Regularia Instituta cupientes repellere, & impedire prætendant, & præsumant, non sine gravissimo ipsius Congregationis, ejusque Monasteriorum præjudicio, & observantiæ Regularis detrimento. Hinc est, quod Nos inconvenientibus hujusmodi remedium afferre, dictumque Petrum Abbatem Generalem specialibus favoribus, & gratiis &c. & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, necnon Concilii prædicti Decretis, ac resolutionibus Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ in similibus casibus antehac emanatis inhærentes, dicto Georgio Episcopo, & aliis Commendatariis præfatis non licere Priores, Subpriores, aut Officiales Claustrales instituere, ac destituere, visitare Monachos, eosdemque corrigere, nec facultates ipsis Commendatariis in Literis Apostolicis concessas, & expressas, prout supra, ad ea, quæ institutum regulare concernunt, & ejusdem Concilii dispositione Monastico Regimini relinquuntur, trahi posse, aut debere, apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, ac decernimus, & statuimus. Supplic.

§.2. Quocirca dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis Nunciis, sive etiam Locorum Ordinariis, vel dictæ Congreg. Camalduleu. Conservatoribus per easdem præ-

præsentes injungimus, ut quotiescumque requisiti fuerint ab hujusmodi vexationib; ac violentiis manifestis Commendatarios per censuras, & alia juris remedia invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, cohibeant, & compescant; Salva semper in præmissis auctoritate Cong. eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.4. Non obstantibus præmissis, ac fe:re: Bonifacii Papæ VIII. Prædecess. nostri de una, & Concil. Gen. de duabus dietis &c. aliisque Apost., ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Concil. editis generalibus, vel specialibus Constit., & Ordinat., necnon quatenus opus sit, Congreg., & Ord. hujusmodi &c. quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis &c. eadem prorsus ubique locorum fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 19. Sept. 1659. An.V. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Anuulo Pisc. die 19. Septembris 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Ordinationes super admissione Clericorum secularium Doctrinæ Christianæ in Gallia ad vota simplicia, eorumque ad Ordines sacros promotione.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. SAcrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ per inneffabilem Divinæ bonitatis abundantiam impositum postulat, ut Congreg. Virorum in Ecclesia Dei pie, prudenterque institutarum, uberesque bonorum operum fructus assidue producentium statui, & utilitati opportunis rationibus consulere studeamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franc. Avias Præsb., aut Procurator Congr. Clericorum Secul. Doctrinæ Christ. in Gallia, quod eadem Congregatio an. 1647. a fel. rec. Innoc. P. X. Prædecess. nostro per quasd. suas in simili forma Brevis literas, a Congreg. Cleric. Regul. de Somascha nuncupatæ separata fuit, & pro futuris inde temporibus secularis remansit, atque ita, ut usque in hodiern. diem perseveravit; sed ex eo statu plurima passa est, & patitur incommoda; nam licet plurimi a præd. an. 1647. citra postulaverint, & adhuc hodie postulant in eamd. Congreg. Doctrinæ Christ. admitti, allecti vita exemplari illius personarum, & assiduis pietatis officiis in Instit. docendi Doctrinam Christ. tam in Missionibus, quam in Civitatibus, quibus indesinenter incumbit cum plurimo animarum fructu, ut publica fama est, & præter quamplurimis attestationib. authenticis tam Episcoporum, quam Civitatum in quibus ipsa Congreg. humaniores, sacrasque literas in accademiis publicis docet; sœpe tamen accidit, ut nonpauci nullis ligati vinculis perpetuis, postquam Congreg. hujusmodi plurimum temporis, & multas expensas in eis alendis, formandis, & educandis, tum in Instituto præfato, tum in scientiis acquirendis, consumpserit, existimans se habere Operarios; qui possint attendere obligationibus, & exercitiis, quibus ipsa Congreg. ex Instit. incumbit, ab eadem Congreg. recedant, ipsaque Congreg. ex illo Operariorum discessu deinceps non levia sentiat detrimenta.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, universa Congregatio Doctrinæ Christ. hujusmodi, quo incommodis, & detrimentis præfatis remedium adhibeatur, ipsaque Congreg. obbligationibus suis satisfacere, & ex laudabili suo Instituto cum majori Operariorum numero animarum saluti, & culturæ Vineæ Domini vacare valeat, se firmo aliquo stabilimento a Nobis muniri summopere desideret: Cumque plures in dictam Congreg. a præfato an. 1647. usque in præsentem diem admissi fuerint, qui jam expleverunt in ea integrum annum probationis, eoque expleto missi sunt a Superioribus in diversa Collegia, & domos ejusdem Congregationis ad exercenda diversa officia, a quibus revocare, & in unum locum eos omnes congregare ad novam annuam probationem faciendam esset admodum difficile, ut in eo faciendo præd. Congreg. grave damnum pateretur; Nobis propterea memoratus Franciscus sæped. Congreg. Doctrinæ Christ. nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ejusdem Congregationis votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, dictumque Franciscum a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, perspecta narratorum veritate, ac attentis, & visis per Ven. Fratres nostros S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositos mandatis specialibus, & liberis consensibus singulis domibus, & Collegiis prefatæ Congreg. Clericorum sec. Doctrinæ Christ. in Gallia per secreta suffragia capitulariter præstitis ad infrascripta petenda, factis in persona d. Francisci Avias Sacerdotis, & Procuratoris ejusdem Congreg., auctoritate Apost. tenore præsentium benigne indulgemus pro majori stabilimento, & conservatione præfatæ Congreg., ut firmis manentibus omnino secundum universum tenorem fel. rec: Innocentii PP. X. Prædecess. Petita gratia a S. Pontifice conceditur.

deceſſ. noſtri literis in ſimili forma Brevis ſuper negotiis præfatæ Congreg. emanatis ſub die 30. Julii 1647., & ſervata non obſtantibus quibuſcumque in contrarium, a ſingulis ejuſd. Congreg. tam præſentibus, quam futuris eadem omnino habitus forma, quæ de præſenti in omnibus ſuis Collegiis, & domibus utitur dicta Congreg., omnes tam, qui in eamd. Congreg. poſt dictas literas jam ſunt admiſſi, quam qui in futurum admittentur, expleto probationis anno, ſi idonei judicati fuerint, emittant tria vota ſimplicia obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, necnon votum, ſeu Juramentum in eadem Congreg. perpetuo perſeverandi; non diſpenſandum, vel relaxandum a quocumque Indulto, niſi a ſolo Romano Pont., aut a Capitulo gen., vel Definitorio memoratæ Congreg., cum facultate, ut ejus omnes Clerici poſt vota emiſſa, & juramentum, ut ſupra, præſtitum de licentia Præpoſiti Gen., vel Provincialis ad omnes Sacros, & Presbyteratus Ordines ſervatis ſervandis promoveri valeant ad titulum præfatæ Congreg., & ordinari a quocumque Catholico Antiſtite ad omnes Ordines cum ſolis Dimiſſoriis illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi exiſtunt Collegia, ſeu Domus in quibus degunt de familia iidem Clerici, qui ad Ordines promoveri deſiderant, contrariis quibuſcumque non obſtantibus; ita tamen ut Cap. gen. vel Definitorium minime diſpenſet, ſeu relaxet hujuſmodi votum, ſeu juramentum alicui ex promotis ad Sacros Ordines, niſi ſibi prius conſtiterit, etiam ex Literis teſtimonialibus Ordinarii loci eum aliunde habere unde commode ſuſtentari poſſit. Quod ſi aliquis hujuſmodi votis, & juramento, ut præfertur, emiſſis ſine diſpenſatione, & relaxatione prævia receſſerit a d. Congreg., eo ipſo remaneat ſuſpenſus donec hujuſmodi diſpenſationem, & relaxationem obtinuerit.

§.4. Præterea, ut omnes, qui a præd. an. 1647. uſque in præſentem diem in dictam Congreg. fuerunt admiſſi, in eaque per annum integrum in probatione ſteterunt, poſtquam per alios duos menſes in ead. probatione manſerint in Collegiis, vel Domibus, in quibus ad præſens commorantur, ſi alioquin habiles inventi fuerint, ad tria vota ſimplicia, necnon ad votum perſeverandi perpetuo in ead. Congreg., ut præferur, admitti libere, ac licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis pariter indulgemus.

Decretum irritans. §.5. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas &c. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari.

§.6. Quocirca Ven. Fratribus Archiepiſcopis Avenionen., vel Narbonen., aut dilectis filiis eorum Officialibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel eorum unus eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Clericorum ſecul. dictæ Congreg., ſeu alicujus eorum, aliorumve, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, fuerint requiſiti, per ſe, vel alium, ſeu alios ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum ſingulos ipſarum præſentium literarum effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos a quoquam deſuper indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmiſſis non parentes cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, aliiſque juris, & facti remediis appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his haben. ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecul.

§.7. Non obſtantibus præmiſſis, necnon rec: mem: Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſ. noſtri de una, & Concilii Gen. de duabus dietis &c. dummodo ultra tres dietas aliquis præſentium vigore in Judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis &c. Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus ſit, dictæ Congregationis ejuſque Domorum, & Collegiorum hujuſmodi, & aliis quibuſvis &c. conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus &c. hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Contr. tollit.

§.8. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis manu &c. eadem prorſus ubique locorum fides adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Tranſu. rum fid.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 26. Sept. 1659. Pontificatus noſtri Anno V. Dat. d. Sept. 1 An. V.

CCLX.

Declaratio quod nullum jus, nec etiam cumulative competat Adminiſtratoribus, ſeu Superioribus Monaſteriorum Pariſien., & aliorum Monaſteriorum Carmelitanarum Excalceatarũ Regni Franciæ viſitandi dicta Monaſteria, cum diverſis Ordinat. circa Viſitatores &c. Ex Reg. Secret.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœm. Ad paſtorale faſtigium, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam evecti, inter graviſſimas, multipliceſque curas, quibus aſsidue præmimur, eam peculiari ſtudio amplectimur, ut felici Sacrarum Virginum, & honeſtarum Mulierum, quæ ſpreta ſeculi vanitate Altiſſimi obſequiis ſeſe, ſub ſuavi Religionis jugo mancipaVrunt regimini, & directioni opportunis rationibus conſulere fatagamus, prout matura conſideratione prævia conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Du-

Motiva hujus Constitut.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1603. Idibus Novembris expeditas Literas Monasterium nunc Incarnationis nuncupatum Parisien. Monialium Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatarum nuncupatarum sub reformatione S. Tetesiæ, primum instituti hujusmodi in Regno Franciæ, sub certis modo, & forma tunc expressis perpetuo erexit, & instituit; Ac idem Monasterium sic erectum, ejusque Abbatissam, Conventuum, & Moniales, Rectores, Officiales, Ministros, Servientes, & Personas, necnon bona universa ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, subjectione, & potestate pro tempore existentis Episcopi Parisien., seu illius Officialis, aut Vicarii in spiritualibus generalis, necnon Protectorum, ac Generalium, & Provincialium, Ministrorum, aliorumque Prælatorum, & Superiorum Ordinis Fratrum mitigatorum ejusdem B. M. V. de Monte Carmelo in spiritualibus, & temporalibus penitus, & omnino itidem perpetuo exemit, & liberavit, ac sub B. Petri, & Sedis Apost., atque sua, & pro tempore existentis Rom. Pont. protectione, & inviolabili conservatione suscepit; ipsumque Monasterium sic erectum visitationi, correctioni, obedientiæ, superioritati, & omnimodæ Jurisdictioni in eisdem spiritualibus pro tempore existentis Commissarii Gen. Ordinis FF. Discalceat. seu Reformat. nuncupat. B. M. de Monte Carmelo, & donec illius regula reformata hujusmodi in memorato Regno Franciæ, ubi nullum adhuc eatenus virorum Monasterium sub ea militare reperiebatur, recepta, & introducta foret, pro tempore existentis Prioris Gen. Ord. Carthusien., cum diversis facultatibus, necnon curæ, gubernio, regimini, & administrationi trium Presbyterorum in eisdem Literis nominatorum quoad temporalia cum diversis itidem facultatibus respective subjecit, & alias prout in dictis Literis uberius continetur. Postmodum vero rec. mem. Paulus PP. V. itidem Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 9. Sept. 1606. expeditas Literas, cum accepisset prædictum Priorem Gen. Ord. Carthusien. vigore Decreti in Capitulo Gen. ejusdem Ord. editi onus hujusmodi recusasse, tunc existenti in prædicto Regno Sedis Apost. Nuncio, ut singulis trienniis donec aliud ab ipso Paulo Prædecessore, & Sede prædicta mandatum foret, etiamsi dicti FF. Carmelitæ Discalceati tunc forsan Parisiis, vel in aliis Civitatibus, seu locis Regni prædicti Conventus obtinerent, vel in posterum assequerentur, unum Sacerdotem ex duobus sibi nominandis, ac præsentandis per prædictos Administratores in Visitatorem dicti, & aliorum Monasteriorum Monialium Carmelit. Discalceat. in dicto Regno Franciæ, erectorum, vel in posterum erigendorum deputare, ac illum sic deputatum suo arbitrio, & infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium, non tamen ultra, cofirmare posset, facultatem concessit, Visitatorique hujusmodi super visitatione Monasteriorum prædictorum certas facultates attribuit. Et successive idem Paulus Prædecessor cum Paulo ante Congregat. Cleric. Oratorii nuncupatam deputato in illius Præpositum Generalem bon. mem. Petro dum vixit S. R. E. Card. de Berulle nuncupat. tunc in minoribus agente erexisset, Congregationemq. prædictam ex Presbyteris pietate, & doctrina conspicuis, ætate gravibus, zeloque erga Religionem Catholicam, & Sedem Apostolicam præstantibus compositam esse, & uberes fructus in Vinea Domini producere accepisset, revocata quam prius Nuncio prædicto tribuerat deputandi Visitatorem Monasteriorum prædictorum facultate, primodictum, cæteraque Ordinis Carmelitanarum Excalceatarum Monasteria in Regno Franciæ constituta hujusmodi tam eatenus erecta, quam ex tunc perpetuis futuris temporibus erigenda curæ, visitationi, correctioni, & Superioritati dicti Petri, ac pro tempore existentis Præpositi Gen., qui hujusmodi Monasteria, eorumque Superiores, Abbatissas, seu Priorissas, ac Moniales, & alias personas in eis degentes visitare posset, & valeret ad Sedis Apostolicæ beneplacitum subjecit, & supposuit per alias suas pariter in forma Brevis die 17. Aprilis 1614. emanatas, quas, necnon omnia, & singula in eis contenta subinde, cum cl. mem. Ludovicus tunc temporis Francorum Rex Christianissimus ei exponi fecisset dictum Petrum regimini, & gubernio Monialium prædictarum (cum multo illarum spirituali fructu, ac Christifidelium ædificatione vacavisse) approbavit, & confirmavit, & alias prout in ipsius Pauli Præd. Literis desuper etiam in forma Brevis die 14. Martii 1620. expedit. plenius continet. Post hæc autem piæ me: Urbano PP. VIII. etiam Prædecessori nostro pro parte Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium prædictarum, inter alia exposito, quod quondam Carolus de Condren. memorati Petri in Officio Præpositi Gen. Congregat. Oratorii hujusmodi Successor de consensu Presbyterorum dictæ Congregat.; & in eorum Comitiis Generalibus, se munus Visitatoris prædictarum Monialium Monasteriorum exercere nolle, seque eidem pro se, omnibusque suis Successoribus dictæ Congregat. Præpositis Gen. renunciare declaraverat, idem Urbanus Prædecessor supplicationibus dictarum Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc existenti suo, & Sedis præfatæ in Regno hujusmodi Nuncio, ut singulis trienniis aliquem Presbyterum secularem ætategravem, ac vitæ, & probitatis spectatæ ex duobus sibi per Presbyteros Administratores nominandis, & præsentandis in Visitatorem quorumcumque Monasteriorum Monialium Carmelitanarum Discalceatarum hujusmodi in dicto Regno eatenus ere-

erectorum, & deinceps erigendorum deputare, ad deputatum arbitrio suo, & infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium, & non ultra confirmare (prout ante prædictas Pauli Prædec. Literas die 17. Apr. 1614. emanatas fieri consueverat) valeret, ita quod in ejusdem Nuncii absentia, ille qui a Nuncio deputatus foret usque ad Successoris Nuncii adventum supplere posset, & deberet, facultatem concessit. Visitatori autem, sicut præfertur, deputato quæcumque Monialium prædictarum Monasteria in toto Regno supradicto erecta, & in futurum erigenda, eorumque Superiores, Abbatissas, seu Priorissas, & Moniales, cæterasque personas in eis degentes visitandi facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis impertitus est. Et subinde eidem Urbano Prædecessori pro parte dictarum Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium, Monasteriorum prædictorum iterum exposito, quod attentis ipsorum Monasteriorum tam eatenus erectorum, quam in posterum (Deo dante) erigendorum numero, eorumque ab invicem distantia, unus dumtaxat Visitator, sicut præmittitur, deputandus Visitationem singulorum Monasteriorum hujusmodi per se ipsum supplere nequibat: ipse Urbanus Prædecessor illarum supplicationibus sibi humiliter porrectis pariter inclinatus memorato Nuncio unum, vel duos alios tantum eorumdem Monasteriorum Visitatores, prout necessarium fore judicavisset modo, & forma, ac cum facultatibus in prioribus suis Literis expressis, & contentis arbitrio suo deputandi facultatem concessit, & alias prout in binis ipsius Urbani Prædecess. Literis unis die 11. Apr. 1632. & alteris die 29. Januar. 1633. respective in simili forma brevis desuper expeditis uberius continetur.

§.3. Cum autem, sicut a Ven. Fratre Cœlio Archiep. Cæsareæ nostro, & Apost. Sedis in Regno prædicto Nuncio Nobis nuper delatum fuit, licet memorata Monasteria Monialium Carmelit. Excalceatar. secundum Reformationem S. Teresiæ in Civitate Parisien., & in universo Galliæ Regno hujusmodi hactenus erecta, & in posterum erigenda visitationi, correctioni, superioritati, ac omnimodæ jurisdictioni visitatorum auctoritate hujus S. Sedis Apost. ab ejus Nunciis pro tempore in eodem Regno existen. deputatorum, & deputandorum juxta formam prædictarum Literarum Clementis, & Pauli, ac Urbani Prædecessorum nostrorum occasione erectionis, & propagationis, regiminis, & directionis Monasteriorum Ordinis hujusmodi in eodem Regno respective emanatarum subjaceant, & subjacere debeant; nihilominus dilecti filii Rectores, Superiores, & Administratores dictorum Monasteriorum jus ea visitandi saltem cumulative cum Visitatoribus deputatis ad se spectare prætenderint, prout in quibusdam ex eis de facto visitare præsumpserunt; Hinc est, quod Nos prosperiori Monasteriorum prædictorum statui, ordinique earumdem Monialium tam in spiritualibus, quam in temporalibus incremento quantum Nobis ex alto conceditur consulere, & ut Administratores prædicti deinceps se intra concessæ sibi auctoritatis limites, ut par est, contineant, regularisque disciplina firmius, & diutius in eodem ordine vigeat providere volentes, ac prædictarum Literarum Apostolicarum tenores, & datas etiam veriores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & verbatim insertis habentes, de Ven. FF. nostrorum S. R. E. Card. negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui easdem Literas Apost., ac memorati Nuncii relationem hujusmodi, necnon Literas dilectæ in Christo filiæ Priorissæ Monasterii Oppidi de Ponthoise in favorem dictorum Rectorum ad Nos datas viderant, & diligenter examinarunt, ac totum negocium attente, & mature discusserunt, consilio, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nullum jus, nec etiam cumulative prædictis Rectoribus, & Administratoribus, seu Superioribus competere visitandi hujusmodi Monasteria tenore præsentium decernimus, & declaramus; atque ita deinceps omnino, etiam sub Ecclesiasticis censuris servari mandamus. Præterea Visitatorum memoratorum Monasteriorum Monialium nominationem deinceps ad eorumdem Monasteriorum Administratores non pertinere; Visitatores autem Monasteriorum hujusmodi, incipiendo a modernis, qui sunt dilecti filii Petrus de Berulle in Sacra Theologia Magister Monasteriis de Ponnoy, sive de Pontelenio Abbas Commendat. die 25. Junii 1657., ac Ludovicus de la Rochechovard de Chandenier, Abbas de Torneu, die 2. Aug. 1658. a prædicto Cælio Archiepiscopo Nuncio confirmati, quorum hic quidem bon. mem. Francisci, dum vixit, S. R. E. de la Rochefoucault nuncupati; ille vero memorati Petri Card. respective Nepotes, ac ambo spectatæ vitæ, & probitatis Sacerdotes existunt, perpetuos fore, quemadmodum Rectores, & Administrat.

Nullum administratoribus visit. Monaster. nec etiam cumulative competere S. tif. decl.

§.3. Ad hæc dictorum Visitatorum numerum ultra duos augeri non posse, neque etiam minui; sed ipsos Visitatores, ut possint supervenientibus occurrere necessitatibus, delegandi ad tempus biennii, vel triennii ad summum eorum auctoritatem, & potestatem pro quorumdam Monasteriorum visitatione uni, vel pluribus Sacerdotibus vitæ irreprensibilis ab eod. Nuncio similiter approbandis facultatem habere.

§.4. Præterea quod uno, ex Visitatorib; perpetuis hujusmodi recedente, vel decedente, alter superstes alium vitæ probatæ virum in Sacro Presbyteratus Ordine constitutum infra trimestre, vel semestre a die recessus, vel decessus computandum Nuncio prædicto, ut ab eodem in Visitatorem deputetur, & confirmetur, nominare possit, & debeat, ita tamen, ut non possint

sint Visitatores hujusmodi successive, & immediate ex eodem Collegio, Congreg., Ord. Communitate, Societate, aut corpore particulari assumi, aut nominari, & deputari; Quodque, si nominatio hujusmodi per Visitatorem superstitem intra semestre, ut supra, præfixum facta non fuerit, aut si aliquando contingat Visitatores prædictos simul, vel alterum superstitem non facta alterius nominatione recedere, vel decedere, tunc illorum, seu alterius respective deputatio ad dictum Nuncium, & casu quo Nuncius non adesset, ad hanc Sedem devolvatur, statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans. §.5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis &c., aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas &c. sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit. §.6. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus sunt, vel dici quomodolibet possunt contraria prædictis Clem., ac Pauli, & Urbani Prædecessorum literis, & aliis præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ord. Congreg., & Monasteriorum hujusmodi, & aliis quibusvis &c. ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus &c. in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.7. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis manu &c. eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsismet præsen. adhiberetur, si forent exhibitæ &c.

Dat. die 2. Oct. 1659. An.V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pis. die 2. Octobris 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXI.

Declaratio Apostolica pro Universitate Studii Generalis Complutensis, ut deinceps in licentiis Theologiæ non ferant votum, nisi illi Doctores, qui vel per sex menses continuos ante dictum votum ferendum præsentes in dicta Universitate adfuerint, vel saltem adfuerint præsentes quatuor actibus singulorum concurrentium ad licentias ex iis, quos pro licentia obtinenda facere debent.

De hoc Collegio vide supr. Const. 254. & 255. hujus Pontificis.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Nuper pro parte dilectorum Filiorum Rectoris, & aliorum Universitatis Studii gen. Computen. Nobis expositum fuit, quod per statuta dictæ Universitatis Sedi Apost. immediate subjectæ dudum a bon. mem. Francisco dum vixit S.R.E. Cardinale Ximenez de Cyneros nuncupato, Ecclesiæ Toletanæ ex concessione, & dispensatione Apost. Præsule, auctoritate fel. rec. Alexandri Papæ VI. Prædecess. nostri condita, Cap. 44. 45. 46. & 47. inter alia cavetur, quod omnes Doctores Theologicæ Facultatis ejusdem Universit. actib. Theologicis, quos illi qui ad Baccalaureatus, & subinde ad licentiæ gradus in eadem Theologica facultate aspirant, octo numero successive obire debent, interesse, & in illis arguere, seu argumenta proponere tenentur, quodque iidem Doctores per cedulas secretas ex Baccalaureis formatis primum licentiæ gradu insigniendum habendo principaliter respectum ad sufficientiam literarum, deinde secundum, postea tertium, & sic deinceps similiter eligere debent, & alias prout in eisdem statutis uberius dicitur contineri.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, sæpe nonnulli Doctores prædictæ Theologicæ facultatis, qui Compluti non resident, in electione licentię gradu insigniendorum prędictum votum habere prætendant, licet sufficientiæ Baccalaureorum cognitionem non habeant, quippe qui prædictis eorum actibus non interfuerint, nec contra eos argumenta proposuerint, imo nec Compluti quidem tempore actuum hujusmodi resederint: Nobis propterea d. exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Motiva.

§.2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: ut deinceps in ejusmodi licentiis Theologiæ non ferant votum, nisi illi Doctores, qui vel per sex menses continuos ante dictum votum ferendum præsentes in dicta Universitate adfuerint, vel saltem adfuerint præsentes quatuor actibus singulorum concurrentium ad licentias, ex iis quo pro licentia obtinenda facere debent, auctoritate apostolica, tenore præsentium decernimus, & ordinamus.

§.3. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, &c. inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari. Decretum irritans.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictis, & aliis quibusvis memoratæ Universitatis etiam juramento &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus Contraria tollit.

bus

bus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Oct. 1659. An.V. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die 9. Octobris 1659. Pont. nostri Anno V.

CCLXII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Ordinationes circa Conventus Briocen., & Landernien. super quibusdam controversiis inter Fratres Recollectos, & Cordigeros Ord. S. Francisci in Gallia exortis, in Cap. Gen. d. Ord. emanat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Postulatio. §.1. EXponi Nobis, nuper fecit dilectus filius Nicolaus Bernardus FF. Minorum Ord. S. Francisci Recollectorum nuncupatorum Regni Galliæ in Romana Curia Agens Generalis, & Provinciæ Brittaniæ ejusdem Ordinis Procurator specialis, quod alias dilecto pariter filio Guielmo Trovillet ex parte Cordigerorum Conventus Briocen., ac etiam Cleri Civium, & fundatoris ejusdem Conventus Procuratore, necnon ipso Nicolao ex altera parte in Contradictorio auditis, emanarunt ad favorem d. Provinciæ Recollectorum Apostolicæ in simili forma Brevis literæ, quibus injungebatur Fratribus Cordigeris Conventus Briocen., ut Ministro Provinciali Recollectorum tanquam suo legitimo Superiori obedirent, sicut per spatium octodecim annorum fecerunt, ac præcipiebatur quatenus Fratres Provinciæ Turoniæ Pictavien. in supradicto Conventu instituti sine ulla legitima obedientia Superiorum Ord., qui per duos annos jam inobedientes, & rebelles remanent, sub censuris ecclesiasticis ad suam remearent Provinciam dictusque Conventus Briocen. pacifice relinqueretur, & Fratribus Recollectis traderetur, ut diurnum in ipso persolverent Officium, quia tantummodo septem Presbyteri de eadem Provincia professi supererant in d. Conventu, & ob ipsorum paucitatem nequibant in omnibus, quæ ad statum d. Familiæ, & chori functiones pertinent, satisfacere; Sed his non obstantibus d. Cordigeri prædictas Literas Apostolicas, ac Congregationes Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, necnon Capituli Generalis d. Ordinis Decreta spernunt; & contumaces, inobedientesque maximo cum scandalo absque ullo legitimo Superiore perseverant, dicentes, quod Cives nolint Recollectos admittere, & prætextu cujusdam arresti Parlamenti secularis rebelles jactant se non discepturos, nec prædictis Literis Apostolicis obtemperare volunt.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Nicolaus plurimum cupiat a Nobis ordinari, ut nullus in Superiorem instituatur tam in d. Conventu Briocen., quam etiam in Landerniensi (qui duo tantummodo Conventus supersunt in tota Provincia reformandi) quin sit de eadem Provincia, & sub gubernio Ministri Provincialis, nec etiam extranei dictos ingrediantur Conventus, sed illi, qui sunt intrusi reiiciantur, sicut prædictæ Literæ Apostolicæ de mensibus Februarii, & Martii 1658. expeditæ disponunt; neque duo Conventus hujusmodi ullo modo a Provincia Brittaniæ dismembrentur, sicut eędem literæ ordinant, sed semper sub obedientia Ministri Provincialis remaneant secundum conditiones in transactionibus ab utraque parte factas, & alias opportune in præmissis provideri, & ut infra indulgeri: Nos eundem Nicolaum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatæ Congreg. Cardinalium consilio, attentis narratis, ac audita per eosdem Cardinales relatione dilecti filii Ministri Generalis Ord. hujusmodi, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus Literas Apostolicas in forma Brevis, & decreta ejusdem Congregationis, necnon Ordinationes a novissimo Capitulo Generali d. Ordinis circa præmissa emanat. omnino servanda esse, ac propterea, quod nullus tam in Conventu Briocensi, quam in Landerniensi in Superiorem eligatur, & instituatur, nisi a Definitorio memoratæ Provinciæ Brittaniæ juxta solitum, hac posita conditione, quod Recollecti hujusmodi Provinciæ gubernent Conventus memoratos sub cantu Gregoriano in Missis, Vesperis, & Funeralibus; Item, quod d. duo Conventus nullo modo dismembrentur a Provincia, sed sub gubernio Provincialis sint, & esse debeant, eosq; Fratres extranei non ingrediantur, immo illi, qui reperiuntur intrusi eiiciantur, sub pœna autem excommunicationis ipso facto incurrendæ earumdem tenore præsentium inhibemus omnibus, & singulis Provincialibus Regni Galliæ d. Ord., ne suos Religiosos Fratres in præfatos duos Conventus mittant; Ministro vero Provinciali Turoniæ Dictauren. injungimus, ut suos Religiosos intrusos in Conventu Briocen. revocet, & discedere cogat, ac in suam Provinciam remeare. Ut autem hæc omnia debitum sortiantur effectum, eorum executionem Venerabili Fratri Episcopo Leonen., necnon dilectis filiis ejus Vicario, & Officiali tam conjunctim, quam divisim, qui per Ecclesiasticas Censuras, & pœnas compellendos, & rebelles compellat cum omni potestatis plenitudine committimus, & injungimus.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios &c. definiri

niri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit, attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus præmissis, necnon fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis &c. & aliis Constitut., & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ord., ac Provinciæ, & Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis &c. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis &c. hac vice dumtaxat specialirer, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides habenda.

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis &c. eadem prorsus fides ubiq; locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsisimet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Oct. 1659. An. V.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die 10. Octobris 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXIII.
Reformatio Collegii Cursorum Apost.

ALEXANDER PAPA VII.

Motu proprio, &c.

Quid factum sit a Paulo V circa hujusm. pretia refertur.

Alias felic. recordat. Paulus Papa V. Prædecess. noster, ut Collegium Cursorum a maximis interusuriis, quibus fere singuli premebantur pro alienis pecuniis, quas pro emptione eorumdem officiorum perceperant, liberaret, 25. officia militiæ Piæ vendibilia, & resignabilia ad instar aliorum Officiorum Militum Piorum sub certis tunc expressis conditionibus erexit, & instituit, & pretium, quod ex venditione, & integra expeditione dictorum singulorum 25. Offic. tunc erectorum in prima vice retraheretur, penes personam fide, & facultatibus idoneam per eosdem Cursores eligendam, seu in Sacro Monte Pietatis, aut Banco Archihospitalis Sancti Spiritus ad electionem eorumdem Cursorum deponi mandavit, æqualiter inter ipsos Cursores dividendum, ad effectum tamen satisfaciendi eorum Creditoribus, qui pecunias pro Officiis Cursoratus emendis contribuerant.

§.1. Indemnitati vero eorum, qui dd. Officia militum Piorum sic emerant, & securitati prospicere volens, mandavit, ut singulis mensibus ex certis ibidem eorumdem Cursorum massæ assignatis redditibus ab eisdem Cursoribus ex Cursoratus Officii emolumentis persolvendis, de quorum solutione eorum Magistro pro tempore existenti sub poena excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, rationem reddere deberent, & tenerentur, scuta 113. & bonon. lxxv. eisdem Militibus, sive eorum Depositario, æqualiter inter ipsos dividenda persolverentur, gravissimis impositis poenis, tam fraudantibus dictam massam, quam deficientibus in præd. solutione dictis Officialibus Militum Piorum sicuti ex eisdem massæ redditibus solvi mandavit fructus locorum Montium Pacis tunc dictorum, necnon alia onera eidem Collegio incumbentia, quibus integre solutis, quicquid ex dicta massa supererat, æqualiter inter eosdem Cursores dividi voluit, quibus etiam expresse inhibuit ne de cætero perpetuis futuris temporibus sub solutione CC. scutorum, & suspensionis ab exercitio Cursoratus officii per annum integrum pro prima, & solutione CCC. scutorum hujusmodi, ac suspensione ejusdem officii per duos annos pro secunda, necnon solutionis scutorum D. similium, pro una Cameræ Apost., vel alicui loco Pio, arbitrio ejusdem Prædec. & altera medietatibus eidem Collegio Cursorum irremissibiliter applicandorum, & perpetuæ privationis exercitii officii Cursoratus, ac excommunicationis majoris latæ sententiæ pro tertia vicibus hujusmodi per quemlibet ex ipsis contravenientem incurrendis poenis, aliquem appaltum Citationum cum quibusvis personis facere, vel inire, nec per interpositam personam etiam quovis prætextu, vel ingenio, quæsito colore, vel causa, & occasione aliquos libros, inscriptiones, notulas, & ut vulgo dicitur *ricordi*, tam parvos, quam minimos, vel etiam quæcumque computa etiam minima, cum quibusvis personis conficere auderent, seu præsumerent: sed bononenos ex dictis Citationibus, & expeditionibus provenientes in unum pro dicta massa conficienda congerere ad effectum solvendi ut supra, tenerentur; super qua massa, & illius augmento tunc assignato expresse voluit, & ordinavit, ne de cætero perpetuis futuris temporibus possent Domini Titulorum ipsorum Officiorum Cursoratuum aliquam ratam participare, nec ad effectum quomodolibet participandi, aliquod pactum, vel promissionem cum eisdem Cursoribus facere, vel inire, ad quorum omnium observationem voluit, ut tunc omnes existentes Cursores sese in ampliori Cameræ Apost., & quacumque alia juris valida forma, quicumque vero de eisdem Cursorum Officiis in posterum provideretur antequam ad illius exercitium admitteretur, & reciperetur, se obligare tenerentur, & alias prout in ipsius Prædecess. literis in forma Brevis sub Dat. prima Oct. 1614. Pontificatus ejusd. Prædecess. anno 10. plenius continetur.

Supradictum confirmatur.

§.2. Cum autem, sicut nobis non sine animi nostri molestia nuper innotuit, prædicti redditus per dictum Prædecess. hujusmodi massæ sic assignati, non solum fideliter non persolvantur, sed plures fraudes in eorum solutionibus ab eisdem Cursoribus committantur in ejusdem massæ, Cameræ nostræ Apost., quæ solvendi assignamenta dictis Militibus Piis, necnon Depositariæ ejusd. Cameræ pro dictis locis Montium Pacis suppressis, & aliis illorum loco erectis

ctis onus in se assumpsit, & aliorum, qui officium Cursorum hujusmodi de suis propriis pecuniis sub illorum vitæ periculo emerunt, damnum, & præjudicium, quibus, & aliis nonnullis etiam in dd. literis Prædecess. nostri contentis, quæ, ut experientia docuit, aut nullo modo, aut difficillime servari possunt, providere volentes, negotium hujusmodi nonnullis S.R.E. Cardinalibus, ac Romanæ Curiæ Prælatis, & aliis probis viris commisimus, qui sæpius congregati, ac partibus auditis, negotium hujusmodi mature examinatum, & discussum nobis retuleruut, proindeque securitati tam massæ Cursorum, quam Cameræ nostræ, aliorumque interesse habentium indemnitati ac Curialium commoditati opportune consulendum decernimus.

Contravenientes punit.

§. 3. Motu igitur proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed de nostræ, & Apost. potestatis plenitudine, prædictas Prędecessoris literas, earumque dispositionem super forma exigendi redditus per prædictos Cursores debitos, & notulas, ut præfertur, prohibitas, quoad censuras, & pœnas spirituales, & alias in prædictis literis comminatas, & fulminatas, easdem tamen quoad reliqua in illis deposita in suo robore, & observantia permansuras limitamus, reducimus, & moderamur. Statuentes ex nunc de cætero, quod perpetuis futuris temporibus quilibet ex dd. Cursoribus emolumentorum partem, quæ ex Citationibus, Inhibitionibus, Monitoriis, Renovationibus, aliisque quibuslibet expeditionibus, tam reproducendis, quam reproduci non solitis, præd. Massæ assignatam ad ejusdem creditum fideliter, & integraliter describi facere debeat, & teneatur. Quod si aliquid ex præd. emolumentis massæ assignatis fraudatum quoquo modo fuerit, aut Cursores sibi retinuerint, teneatur in pœnam quilibet Cursor, & etiam illorum Magister pro quolibet bononeno sic fraudato, vel retento, omni excusatione etiam invincibilis ignorantiæ remota ad solutionem juliorum x. monetæ Romanæ per causarum Curiæ Cameræ Apost. Generalem Auditorem eo ipso, nulla judicii forma servata, sed sola facti veritate inspecta, quorum x. juliorum, unam Denunciatori, seu Delatori, aliam vero medietatem massæ pręd. applicamus, cujus etiam securitati, ac proinde ejusd. Cameræ, & aliorum interesse habentium indemnitati magis consulentes, volumus, & decernimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ante Congregationem faciendam secunda die Dominica cujuslibet mensis, singuli Cursores in Banco Archihospitalis S. Spiritus, seu alio loco tuto, & securo, arbitrio pro tempore existentis Generalis Auditoris prædicti, integram massæ ratam ab ipsis ex emolumentis præcedentis mensis perceptis debitam deponant, quæ nulla ratione, etiam prætextu ratæ sibi postea ex eadem massa (solutis prout infra oneribus) tangentis retardari possit, & quilibet Cursor cedulam depositi in dicta Congreg. deferre, & Magistro tradere teneatur, sub pœna suspensionis ab Officio ipso facto, absque alia Judicis declaratione donec dictam ratam deposuerit, cedulamque Magistro, ut supra consignaverit, qui infra triduum a die habitæ Congregat. præd. notam Cursorum, qui in præd. deposito defecerint, eidem Auditori gen. tradere sub pœna privationis Officii Magisterii teneatur, ut ab eod. Auditore in casum non observantię suspensione puniri ejus arbitrio possint.

Hujusmodi pretium in aliquo loco servandum mandat.

§. 4. In ipsa vero die Congregationis Magister Cursorum in prima, seu sinistra facie libri ad hunc effectum singulariter habendi describat ordinatim suum, & cujuslibet Cursoris nomen, cum quantitate pecuniarum debitarum, tam ab ipso Magistro, quam a singulis Cursoribus, cum subscriptione ejusd. Magistri, ac Decani, vel in hujus defectum antiquioris Cursoris & duorum deputatorum supra massam in ead. facie. In secunda vero facie ejusd. libri ex opposito notabit solutionem a singulis, & quibuslibet in banco Archihospitalis S. Spiritus factam, juxta quietantiam desuper productam, sequenti vero folio registrentur singula mandata directa ad prædictum Bancum suscribendum a Magistro, & Decano simul, vel loco Decani ab antiquiori Cursore cum distributione supradd. pecuniarum solvendarum infrascriptis, videlicet. Primo loco Depositario gen. Cameræ Apost. in satisfactionem onerum a Collegio Cursorum debitorum. Subinde resvatariis Decretorum, & aliis creditoribus singulorum Cursorum respective ratione cujuslibet officii. Et denique Magistro, & aliis Cursoribus pro rata massæ singulos tangentis.

§. 5. Præterea Magister Cursorum pro tempore existens teneatur exhibere suprad. librum pro tempore existen. Auditori Gen. infra triduum a die habitæ Congreg. computandum, sub suspensionis per unum mensem a sui officii exercitio, aliisque pœnis ejusd. Auditoris gen. arbitrio in qualibet contraventione supra dispositorum, vel alicujus eorum. Et quia tum Curialibus, tum eisd. Cursoribus onerosa nimis redditur prohibitio faciendi citationes, aliasque expeditiones habita fide solutionis, ut ambas partes ab hujsmodi angustiis sublevemus, cuilibet ex Cursoribus permittimus, ut illorum arbitrio, absque ullarum pœnarum, aut censurarum incursu in præd. Prædecess. literis impositis citationes, intimationes, aliasque omnes expeditiones sub fide Curialium ipsis benevisorum expedire possint, & valeant, non retardata tamen hujusmodi, sive alia de causa solutione redditum massæ, ut supra debita, & singulorum mensium initio facienda, firma etiam remanente prohibitione sub eisdem pœnis, & censuris in dd. Prædecess. literis, & aliis etiam corporis afflictivis arbitrio

bitrio nostro, seu pro tempore existen. Gen. Auditoris præd. condemnandis, incurrendis, & exequendis, ne quemlibet appaltum, aut aliquam remissionem mercedis citationum, intimationum, seu aliarum quarumcumque expeditionum, cum quibusvis personis, tam Ecclesiasticis, & speciali nota dignis, quam Regularibus, & secularibus, quovis prætextu, quæsito colore, & occasione facere, aut inire cuilibet Cursori etiam Magistro liceat.

§.6. Ne vero suprad. dilata solutio ob morositatem alicujus debitoris nimis gravis, & damnosa reddatur Cursoribus: Volumus, & mandamus, ut de cætero quilibet Cursor libellum unum, seu plures inscriptos per Magistrum præd. (libro di N. Cursore) & ab eisd. Magistro, & Cursore subscriptos, in quibus per eumdem Curialem, aut ipsius Solicitatorem, seu Substitutum propria manu citationes, Intimationes, aliasque expeditiones, expressa quantitate, ac die debiti adnotentur, penes se retineant, cui libro retento plena fides in judicio, & extra habeatur. Exactio vero fiat juxta declarationem edicti desuper a dilecto filio Odoardo Vecchiarello, moderno Curiæ Causarum P. Apost. Auditore desuper stabiliendi, & publicandi. Consuetudinem demum, seu potius abusum, quod ad Officium Cursoris admittendus, ultra solitam admissionem, alia scuta triginta diversis vicibus titulo Convivii solvere cæteris Cursoribus teneretur, prorsus cassamus, & irritamus, & hujusmodi solutionem sub quovis prætextu fieri de cætero omnino prohibemus, imo ut eisdem Novitiis, qui præ cæteris in exercitio officii, & cum minori utilitate laborant, de aliqua subventione provideatur, mandamus, ut singulis mensibus si Novitii in Collegio existant (quos pro talibus durante biennio a die habitæ possessionis haberi volumus,) ex d. massa scuta sex monetæ inter ipsos dividenda, si plures sint, sin minus uni tantum per præd. Magistrum assignanda solvantur.

Decretum confirmat.

§.7. Decernentes præsentem nostrum motum proprium de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, aut quopiam alio defectu, notari, sed illum ab omnibus, & singulis quos concernit, & cencernet quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, & adimpleri debere. Sicque ab omnibus, & singulis censeri, & ita per eumd. Auditorem Gen., & quoscumque alios Judices ordinarios, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.8. Non obstantibus d. Prædecess. litteris, aliisque præmissis, ac d. Collegii Cursorum, quatenus in aliquo obstet, erectione, & etiam quatenus opus sit Pii Papæ IV. etiam Prædecess. nostri constitutione, in qua cavetur, quod indulta, & aliæ concessiones d. Cameræ interesse, aut gravamen quomodolibet concernentes intra certum tempus in ead. Camera registrentur, itaut dd. Cursores, & quilibet alii ad præsentes in d. Camera præsentandum, & inibi registrari faciendum minime teneantur, &c. & alias in contrarium facientibus quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio F.

Et cum absolutione a censuris ad effectum, &c. Et quod. præd. Pauli Prædecess. literarum prædd. tenores etiam veriores, ac Datæ habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis. Et de singulis statutis, & ordinationibus, mandatis, cassatione, irritatione, annullatione, prohibitionibus, singulis decretis, derogatione, aliisque præmissis, ut supra, quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ut supra in literis latissime extendendum. Et cum opportuna deputatione ejusd. Auditoris Gen. qui facultatem habeat citandi, in forma inhibendi, & exequi faciendi. Invocato etiam brachii secularis auxilio, si opus fuerit, cum opportuna derogatione quomodolibet contrariorum in literis latissime extendendum: & quod sola præsentis Motus proprii Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra, regula contraria non obstante: seu etiam præsentium transumptis etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeat., quæ præsen. adhiberetur, si forent originaliter exhibitæ, vel ostensæ, seu etiam desuper literæ Apostolicæ etiam per Breve nostrum, seu de Curia desuper expediri possint.

Datum Romæ apud S. Mariam Mariam Majorem Kalend. Octobris 1659. Pontificatus nostri Anno V.

Dat. Kal. Oct. 1659. An.V.

CCLXIV.

Super exemptione Religionis Beati Joannis Dei nuncupatæ de Fate ben fratelli, ab omnimoda Jurisdictione Ordinariorum.

Et fusius de hac materia vid. notata ad Constit. 576. Urban. VIII. Tom. 6. Par. 2. fol. 148.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Const.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Paganus Congregationis Fratrum Beati Joannis Dei Procurator Generalis, quod licet dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecess. noster per suas in simili forma Brevis literas die 6. Julii 1638. expeditas, de tunc existentium S.R.E. Card. negotiis Regularium præpositorum consilio declaraverit, ac decreverit, ut quoad d.Con-

d. Congreg. Conventus, & Hospitalia in quibus forent duodecim Religiosi, Episcopi nullatenus se ingererent, & quoad illos Conventus, seu Hospitalia, in quibus foret minor Religiosorum numerus, iidem Episcopi possent insimul cum Provinciali, vel alio majori ejusdem Congreg. Superiore ad revisionem computorum administrationis eorumdem Hospitalium procedere, ita tamen, ut contra personas in nihilo se immiscerent.

§.1. Venerabilis nihilominus Frater Archiepisc. Calaritanus Superioritatem in Hospitalia Congreg. prædictæ intra fines Diœcesis Calaritanæ existentia, illaq; tam quoad visitationem, quam quoad alia quæcumque sibi subjecta esse prætendit, hacq; occasione nonnullas dubitationes per Congreg. Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E.Card. Concilii Trid. Interpretum resolvi petit; super quibus emanavit decretum ejusdem Congreg. Card., prout continetur in scriptura tenoris, qui sequitur, videlicet: Calaritana. Supplex petit Archiepiscopus Calaritanus infrascriptas dubitationes per hanc Sacram Congreg. resolvi. Primo: An Fratres B. Joannis Dei, a Magistratu Civitatis vocati, & addicti servitio Hospitalis, cujus se ipse Magistratus protectionem gerere prætendit, sint exempti a Visitatione Archiepiscopi in his, quæ versantur circa administrationem, & rationem bonorum reddendam. Secundo: Quomodo procedendum contra d. Religiosos se opponentes prædictæ visitationi virtute privilegiorum. Tertio: An d. Religiosi prætermissa forma Sac. Concilii, & licentia Ordinarii in prima eorum fundatione, & receptione, sint nihilominus exempti a jurisdictione Archiepis., circa regularem observantiam, & personas, maxime dilapidando bona Hospitalis, vel scandalose vivendo. Die 27. Sept. 1659. Sacra Congreg. Eminentissimorum Card. Concilii Trid. Interpret. censuit servandam in omnibus dispensationem Brevis Urb. VIII. editi 9. Julii 1638.

F. Card. Paulutius Præfectus.

Confirmat decretum. §.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, d. Paulus decretum hujusmodi pro firmiori illius robore, & efficacia, apost. confirmationis nostræ præsidio communiri summopere desideret: Nos ipsum Paulum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum apost. auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus: salva semper in præmissis auctoritate præfatæ Cong. Card. Sac. Conc. Trident. Interpret.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit. §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis: cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc., die 5. Novembris 1659. Pontificatus nostri Anno V. Dat. Nov. 1659. An. V.

CCLXV.

Erectio Provinciæ Reformatæ S. Mariæ Unghariæ Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ. Ex Reg. Secret.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ divina dispensatione creditum exigit, ut paternam Religiosorum virorum sub suavi arctioris vitæ jugo Altissimi obsequiis mancipatorum curam gerentes, ea per quæ prospero, felicique eorum statui, & regimini consulitur, Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio constabiliamus.

Motivum. §.1. Alias si quidem pro parte dilectorum filiorum FF. Provinciæ S. Mariæ Ungheriæ Ordinis FF. Min. S. Francisci Strictioris Obser. nuncupat. Congregat. Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod ipsi quidem prius ante sex menses, vel circiter, varias gravissimas causas, quarum intuitu Provinciam hujusmodi a jurisdictione Commissarii nationalis, ad instar diversarum aliarum Provinciarum Familiæ Cismontanæ ejusdem Ordinis eximi desiderabant, dictæ Congregationi exposuerant, ipsis vero ab initio oppositum fecerat eamdem Provinciam ad exemptionem hujusmodi admitti, at privilegiis vicinarum Provinciarum gaudere non posse, nisi prius ostenderetur reformationem in illa pariter acceptatam fuisse, pro qua introducenda similes Commissarii deputari solent; quodque dicta Provincia S. Mariæ Ungheriæ Constitutiones Reformatorum, & quidem uti tales a Ministro Gen. Ord. prædicti recognitas semper observasset, ipsique exponentes credebant ex relatione dilecti pariter filii Visitatoris Gen. Austriæ, & Ungheriæ d. Ordinis, cui memorata Congregatio indagationem veritatis præmissorum commiserat, ad ipsam Congreg. transmissa constare eorũ, quæ exposuerunt veritatem.

Decret. Congreg. §.2. Et propterea dictæ Congregationi supplicato, ut exemptionem hujusmodi prædictæ Provinciæ concedet, illamque reformatam declararet, emanavit ab eadem Congregatione decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sac. Congr. Emorum S. R. E. Card. negotiis, & Consult. Episc. & Regul. præposita, attentis, narratis, ac auditis relationibus tam Min. Gen. Ord. hujus.

quam

quam etiam Commissarii Visitatoris Gen. Austriæ, & Unghariæ, asserentium memoratam Provinciam S.Mar. Unghariæ, ejusque omnes fratres, ac dicti Ordinis Religiosos jam acceptavisse, & suscepisse reformationem, ac secundum hujus instituta, leges, constitutiones, & statuta vivere, regi, & gubernari, censuit, decrevit, & declaravit eamdem Provinciam tamquam reformatam haberi, ac inter reformatas Provincias statuendam, computandam, & describendam, earumque omnibus gratiis, privilegiis, & prærogativis æque ac cunctæ similes aliæ Provinciæ Reformatæ utuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, uti, frui, potiri, & gaudere ipsam quoque debere, ac proinde ab obligatione recipiendi de cætero Commissarium nationalem esse eximendam, prout præsentis Decreti vigore statui, & computari, haberi, describi, gaudere, & eximi respective mandat, & præcipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 19. Sept. 1659. M. Ginettus.

Absolvit oratores a censuris.

§.3. Cum autem, sicut dicti Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolici muniminis patrocinio roborari summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicat. &c. harum serie absol. & absolutas fore censentes, supplicat. eorum nomine Nobis super hoc porrectis humiliter inclinati: Decretum præinsertum auctoritate apostol. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Cong. Card.

Confirmat Decretum.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.5. Non obstan. Constitut., & Ordinat. Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi quibusvis etiam juramento &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus &c. ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 5. Nov. 1659. An. V.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Nov. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXVI.

De numero Monachorum Professorum, qui existere debent in Monast. Congr. reformatæ del Tardon, Ord. S.Basilii Magni.

Ven. Fratri Camillo Patriarchæ Hierosolymitano nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

Nomine dilectorum filiorum Monachorum Provinciæ Reformatæ in Regnis Hispaniarum consistentis Ord. S. Basilii Nobis pro parte dilectorum pariter filiorum Matthæi a S.Didaco Presbyteri, & Francisci a Jesu Laici Monasterii Eremi del Tardon dictæ Provinciæ Monachorum, ejusdemque Provinciæ Definitorum, & Procuratorum Gen. in Romana Curia nuper expositum fuit, quod in quadam concordia alias inter duos Procuratores Presbyterum unum, & laicum alterum, ejusdemque Provinciæ, cujus Monachorum una pars Presbyteri, & duæ Laici existunt Romæ inita, quam felic. record. Innocentius Papa X. Prædecessor noster per suas in simili forma brevis expeditas literas, inserto eisdem literis toto, & integro illius tenore, de anno 1646. ut dicti exponentes asserunt confirmavit, inter alia stabilitum reperitus, quod prædictum del Tardon, usque ad nonaginta, de Galleguillos vero nuncupat. dd. Prov. Monasteria usque ad octoginta Monachos respective dumtaxat habere valeant, ac præterea quod Adjutor, seu Coadjutor Magistri Novitiorum Laicus existat, quodque in regula dd. Provinc. a rec. mem. Clemente Papa Octavo Prædecess. pariter nostro confirmata cap. 3. de Oratione, & Choro prohibetur ne novæ devotiones in præjudicium laboris manuũ assumantur, & quadam Const. a piæ mem. Paulo PP. V. etiam Præd. nostro confirmata, cap. 22. n. 1. mandatur, ut duo Clavarii in quolibet Monasterio eligantur, ac insuper in præd. concordia statuitur, quod Definitor antiquior convocet quater in anno Definitorium ad effectum audiendi causas recursum contra Abbatem Provincialem, & alios quoscumque: demum ejusd. Ordinis Const. prohibetur, ne Monachi retinere possint alia animalia, quã oves, & capras.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, subinde variæ difficultates, & incommoda exorta fuerint ob quæ præmissa reformari, seu declarari expediat, & propterea exponentes prædicti attento augmento redditũum, & capacitate Conventuum, ut in prædicto del Tardon usque ad 99., in illo vero de Galleguillos Monasteriis hujusmodi usque ad 90. Monachos respective, servata in reliquis quoad Sacerdotes, & Laicos forma Constitutionis d. Ordinis, & concordiæ supradictæ, habere possint, a Nobis indulgeri, ac quod infirmo, vel impedito d. Magistro Novitiorum licitum sit Abbati Provinciali una cum Definitorio circa concernentia spiritualitatem, & jurisdictionem alium Sacerdotem eligere, & subrogare, firmo tamen semper Coadjutore Laico, qui eodem modo adjuvare, & coadjuvare habeat, ac si verus Magister esset præsens, declarari: ut-

utque qualibet die in choro Litan. B.M.V. recitare valeant, concedi, necnon quod ex duobus clavariis hujusmodi unus Sacerdos, & alter Laicus esse debeat, etiam declarari. Insuper d. Abbati Provinciali, ac Superioribus ne audeant quocumque pretextu impedire quominus statuta die d. Definitorium convocetur, interdici, ac postremo ut ipsi Monachi tot sues, & scrofas, quot pro usu cujuslibet Monasterii necessarii fuerint, & non ultra alere possint, indulgeri summopere desiderent.

Exponentes a censuris absolvuntur.

§.2. Nos d. exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes,& eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episc. & Regul. præpositorum consilio,quibus preces suprascriptas examinandas remisimus consilio, fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus,ut constito tibi servatis servandis de veritate expositorum, & quod hujusmodi petitio fiat a Capitulo Prov. prædictæ Provinciæ capitulariter, & per vota secreta, iisdem Monachis exponentibus, quod in præd. Conventu del Tardon habere possint Monachos usque ad numerum 99., & in illo de Galleguillos usque ad numer.90., servata in reliquis forma prædictarum Literarum ejusdem Innoc. Prædec., & præcipue quoad Sacerdotes, & Laicos; ac prætera quod si contigat Magistrum Novitiorum aliquo gravi morbo, vel alio canonico impedimento detineri quominus Novitiis præesse possit, tunc, & tali casu deputetur per Definitorium Sacerdos necessariis præditus requisitis, qui suppleat vices Magistri Novitiorum, firmo tamen semper remanente Coadjutore Laico: Quodq; possint quotidie recitare in Choro Litanias Bmæ Virginis, pulsata tamen salutatione Angelica vespertina: ad hæc quod ex duobus Clavariis in quolibet Conventu juxta Constit. eligendis unus debeat esse Sacerdos, & alter Laicus. Insuper quod Definitori antiquiori ad quem spectat convocare quater in anno Definitorium pro recursibus, licitum sit illud convocare congruis temporibus, nec Provincialis id impedire valeat quovis prætextu sub poena privationis officii eo ipso incurrenda: Demum quod ad usum mensæ ipsorum Monachorum, ipsisque inservientium, hospitum, & eleemosynæ dumtaxat, & non alias, & in locis omnino separatis a pascuis ovium, & Caprarum a Constitutione permissarum emere, & alere possint tot sues, & scrofas, quot juxta eorum indigentiam, ac prædictorum mensæ inservientium,hospitum, & eleemosynæ usibus tantum noverint posse consumi, ea lege adjecta, ut nullo prætextu, seu quæsito colore animalia,aut carnes hujusmodi vendere, permutare, aut de eis, & super eis quoslibet alios contractus inire possint, auctorit. nostra Apost. concedas, salva tamen semper inpræmissis auctoritate Congr. eorumd.Cardinalium.

Contraria derogantur.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, ejusque Monasteriorum quorumcumque etiam Juramento &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores &c. ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Junii An. II.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2.Junii 1656. Pontificatus nostri Anno II.

CCLXVII.

Declarat modum habendum à Generali in visitando Congr. Monach. del Tardon.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus a Jesu Monachus, ac Procurator Gen. Congregat. Reformatæ del Tardon nuncupatæ, in Hispania consistentis Monachorum Ordinis S. Basilii, quod licet per lit. fel. rec. Clementis PP. VIII. Prædecess. nostri super institutione, seu approbatione ejusd. Congregationis die 23. Sept. 1603. expeditas, quæ incipiunt, *Altissimi dispositione &c.* caveatur expresse Monachos Congregat. Reformatæ hujusmodi Abbati Gen. d. Ordinis taliter subjacere, ut ipse per se, non vero per alium, nisi forte ex eadem Congregat. Reformata Monachum possit illos tam in capite,quam in membris, visitare, corrigere, & emendare, non vero in aliquo contra reformationem, seu constitutiones ab ipsis faciendas, & a Sede Apost. approbandas in communi, vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare, seu innovare, neque Monachos Reformatos a suis Monasteriis alia quacumque de causa auferre, seu alios ab ipsis, & ad breve tempus recipi facere, vel aliud quidquam ordinare, seu statuere,in quo ipsos posit perturbare, seu quomodolibet inquietare, nihilominus dilectus filius Modernus Abbas Gen. Ord. prædicti vigore quarumdam literarum rec. mem. Innocentii Papæ X. Præd. pariter nostri, etiam in forma Brevis die 25.Junii 1647. expeditarum memoratam Congr. Refor. cum consilio, & interventu Monachorum asistentium non Reformatorum ejusdem Ordinis visitare, quin etiam ipse Abbas Gen., & Monachi non Refor. Ord. hujusmodi Monachos dd. Congregat. Refor. ad expensas pro exhibitione, seu manutentione dd. Monachorum Asistentium non Refor. contribuere teneri respective prætenderunt, & prætendunt. Quare prædictus Franciscus Procurator

rator Gen. Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolvit Oratorem a censuris.

§.1. Nos igitur ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: De Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, attentis narratis, reque per eosdem Card. mature discussa, quoad visitationem servandas esse literas prædicti Clem. Prædecess. in forma Brevis expeditas, ut scilicet fieri debeat per ipsummet Abbatem Gen., & eo impedito per alium ex Congr. del Tardon, auctoritate apost. tenore præsentium decernimus.

§.2. Quoad contributionem autem pro Assistentibus, & eorum interventu in visitatione cum Abbate Generali literas memorati Innoc. Prædecess. non comprehendere d. Congreg., seu Provinciam del Tardon, ac proinde Assistentes non posse intervenire in d. visitatione, nec d. Provinciam del Tardon teneri ad aliquam contributionem pro dd. Assistentibus. Quo vero ad accessum ad Capitulum Generale licere Monachis del Tardon mittere eos tantum quos permittunt literæ in simili forma Brevis ejusdem Innocentii Prædecessoris, auctoritate, & tenore prædictis declaramus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quosc. Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quatenus opus sit, Ord., & Congreg. hujusmodi etiam juramento &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 11. Feb. 1658. An. III.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 11. Febr. 1658. Pont. nostri Anno III.

CCLXVIII.

Quod Generalis Congreg. Monachorum del Tardon, Ord. S. Basilii Magni visitet Congreg. eo modo, quo disponunt Brevia novissima Urb. VIII., & Innoc. X.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Alias pro parte dilecti filii Francisci a Jesu Proc. Generalis Congreg., seu Provinciæ del Tardon nuncupatæ Monachorum Reformatorum Ord. S. Basilii Magni in Hispania Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis exposito, quod fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecess. noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 23. Septembris 1603. expeditas literas inter alia decrevit, eosdem Monachos Reformatos Abbati d. Ord. Gen. taliter subjacere, ut ipse per se, non vero per alium, nisi forte ex eadem Congregatione Reformata Monachum, possit illos tam in capite, quam in membris visitare, corrigere, & emendare, non vero in aliquo contra eorumdem Monachorum Reformationem, seu Constitutiones ab ipsis faciendas, & a Sede Apostolica approbandas in communi, vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare, seu innovare, neque Monachos Reformatos a suis Monasteriis ad alia quacumque de causa auferre, seu alios ab ipsis etiam ad Breve tempus recipi facere, vel aliud quicquam ordinare, seu statuere, in quo ipsos possit perturbare, seu quomodolibet inquietare.

§.1. Dictisque Monachis reformatis Procuratorem ad Romanam Curiam eligendi, & ibidem pro d. Congreg. negotiis tractandis, quamdiu voluerint habendi facultatem tribuerit: rec. vero mem. Urb. PP. VIII. etiam Prædecess. noster per quasdam suas in eadem forma Brevis literas die 30. Octobris 1629. expeditas Abbati Gen. Ord. præfati pro tempore existenti preceperit, ut in posterum prædictas literas in forma Brevis memorati Clem. Prædecess. omnino observaret, & observari faceret, decernens illum, si unquam aliquem ex Monachis Reformatis hujusmodi contra dispositionem dictarum literarum ad Provincias non Reformatas transferre præsumpsisset, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrere.

Juxta Brevia Urb. VIII. & Innoc. X. visitanda est Congreg.

§.2. Nosque per nostras itidem in forma Brevis die 11. Februarii 1658. emanatas literas ordinaverimus, quoad visitationem servandas esse literas prædicti Clem. Prædecess., ut scilicet fieri debeat per ipsummet Abbatem Generalem, & eo impedito per alium ex Congreg. del Tardon, quoad contributionem autem pro Assistentibus, & eorum interventu in visitatione cum Abbate Gen., literas piæ mem. Innocentii X. Prædecess. pariter nostri non compræhendere d. Congreg., seu Provinciam del Tardon, ac proinde Assistentes non posse intervenire in d. visitatione, nec dictam Provinciam del Tardon teneri ad aliquam contributionem pro dd. Assistentibus: Præterea prædictus Urb. Prædecess. in quibusdam aliis suis in simili forma Brevis literis die 9. Jan. 1630. ad favorem dictæ Congregationis del Tardon expeditis Abbati Gen. memorati Ord. injunxerit, ut in visitatione d. Provinciæ Reformatæ expensas tantum necessarias, quæ tamen summam ducentorum scutorum monetæ Romanæ non excedant, recipiat.

§.3. Ac demum similis rec. Paulus Papa

pa V. pariter Prædeceſſ. noſter etiam per quaſdam ſuas in forma Brevis literas voluerit, & ſtatuerit, ut quamvis Provincialis Provinciæ hujuſmodi notabiliter deliquerit, a Definitorio tamen, niſi ob crimen ex quo de jure deponendus, ſeu privandus veniat, tam ex officio, quam per inquiſitionem, ſeu denunciationem, vel accuſationem, aut alio quovis modo contra eum nequaquam procedi, ſed ejus juriſdictionem uſque ad præfinitum tempus illæſam durare, ipſe Franciſcus Procurator Gen. pro majori obſervatione dictarum Literarum Apoſtol. plurimum cupiebat ordinari.

§.4. Primo, ut Abbas Gen. Ord. prædicti in viſitatione, quam per ſe ſolum facere poteſt, in Aſſiſtentes eligere debeat duos antiquiores Definitores d. reformationis, nempe Presbyterum unum, & Laicum, ſeu Converſum alterum, vel alios duos, qui a Definitorio ejuſdem Reformationis electi fuerint: ac eidem Abbati Generali prohiberi, ne exemptionem, aut privilegia dd. Monachis Reformatis concedat, ſed præfatas Literas Apoſtolicas obſervet, & ab omnibus proprias eorum leges, & inſtitutum faciat obſervari, attento quod hac in re nonnulla inconvenientia ſunt ſecuta, quibus reformatio hujuſmodi perturbata fuit.

§.5. Secundo prohiberi eidem Abbati Generali ne a Conventibus, Prælatis, aut Monachis particularibus eorumdem Reformatorum majorem quantitatem pecuniarum, aut alterius cujuſvis rei æquivalentis accipiat, quam quæ in viſitatione dictorum Reformatorum expendetur tam pro naulo, & ſtabulatione jumentorum, eorumque ſuſtentatione, quam pro alia qualibet impenſa, itaut expenſæ hujuſmodi ſummam ducentorum ſcutorum monetæ Romanæ prædictæ excedere non debeant, juxta ſupradictas Urb. Prædeceſſ. literas, idque ſub pœna privationis officii, & inhabilitatis perpetuæ tam per dantes, quam per recipientes incurrenda.

§.6. Tertio prohiberi Monachis reis, ne prætextu gravaminis ad alios Superiores, quam primo ad Definitorium reccurrere poſſint, prout per quaſdam Urbani, & Innoc. Prædeceſſ. in ſimili forma Brevis literas cavetur.

§.7. Quarto declarari, quod quando Superior Provincialis d. reformationis Conſtitutionibus, ſeu Literis Apoſtolicis, per quas pœna privationis officii imponitur, contravenerit, Definitores in eorum Definitorio, vel extra illud, eveniente caſu procedere valeant ad declarandum eum in pœnam hujuſmodi incurriſſe, eumq. officio privare, non obſtante ſupradicta Conſtitutione, ac inſuper declarari utrum jus, de quo inibi fit mentio, ſit jus commune, an vero jus particulare d. Religionis, videlicet leges, & Conſtitutiones a Romanis Pontificibus editæ. Emanavit a prædictorum Cardinalium Congreg. Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet.

§.8. Sacra Congregatio Eminentiſſim. S.R.E. Card. negotiis, & conſultationibus Epiſc., & Regularium præpoſita, attentis narratis, reque Eminentiſſimo Carpineo referente diligenter, & mature diſcuſſa, cenſuit decernendum, & declarandum, quemadmodum præſentium tenore decernit, & declarat ut infra videlicet, ad primum quod Gen. viſitet juxta formam, & diſpoſitionem Brevis ſan. mem. Clem. VIII. Ad ſecundum idem Gen. ſervet omnino Breve ſan. mem. Urb. VIII. Dat. ſub die 9. Januarii 1630. adeo ut expenſæ, quæ dantur pro viſitatione, omnibus computatis non excedant ſummam ſcutorum ducentorum monetæ Romanæ, nec etiam a ſponte dantibus aliud quidquam ultra d. ſummam ſub expreſſis pœnis recipere audeat. Ad tertium, quod ſerventur pariter literæ in forma Brevis emanatæ de anno 1641. a fe: re: Urbano VIII. de anno 1646. a ſimil. mem. Innoc. X. in iis quæ concernunt appellationem, ſeu recurſum ad Definitorium. Et ad quartum, quod quando Provincialis crimen commiſit, ex quo de jure deponendus, vel privandus venerit, itidem procedendum eſſe in caſibus tam de jure communi, quam de jure Conſtitutionum dictæ Reformationis d. Prov. del Tardon a S.Sede Apoſt. confirmatis. Ac proinde ita circa præmiſſa de cætero omnimode exequi, & reſpective obſervari mandat, & præcipit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Romæ 14. Febr. 1659. M. Card. Ginettus.

Confirm. Decretum.

§.9. Cum autem ſicut d. Franciſcus Procurator Gen. Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervatione apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: Decretum præinſertum auctoritate apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate Congreg. memoratorum Card.

Decretum [validi]tatis.

§.10. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas &c. inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios &c. definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus &c. contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.11. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, Congregationis, ſeu Provinciæ, & Ord. hujuſmodi etiam juramento &c. in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus &c. hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq. contrariis quibuſc.

Tranſump. credi jubet.

§.12. Volumus autẽ, ut earumdem præſentiũ tranſumptis manu &c. eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ

quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 12. Nov. 1659. An.V. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 12. Novembris 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Decernit quædam statuta Ord. FF. Min. S. Francisci de Observantia circa electionem Guardianorum omnino observanda esse, ac proinde omnes electiones, quæ de cætero in Prov. Granaten. Ord. hujusmodi fient tam Præsidentium in Guardianos, quam illorum qui ante Congreg. Provincialem intermediam Guardianorum Officia renunciaverint, si in eo triennio reelegentur, esse cassandas irritandas, & annullandas.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. Alias pro parte dilectorum filiorum FF. Prov. Granaten. Ord. Min. S.Francisci de Observantia nuncupatorum Congreg. Venerabilium FF. nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet per statuta d. Ord. Romana quidem anno 1612. *tit. de Prælatis* §. 11., & Segobiensia anno 1621. respective edita *tit. de Guardianis*, caveatur expresse, ut nullus Guardianus triennio expleto, possit continuare (etiam cum titulo Præsidentis) neque in eodem Conventu, nec in alio. Provincialis autem Minister, qui consenserit, suo sit privatus officio: Ac insuper per eadem statuta Romana §.3. disponatur, quod si quis Frater Conventui vacanti præfectus fuerit Præsidens, non poterit Guardianus eligi ejusdem Conventus (pro illa vice dumtaxat) Minister vero Provincialis, qui contrafecerit, vel consenserit, sit officio privatus, & electio irrita, & nulla, prout ex tunc a Capitulo Generali declarata fuit: nihilominus in dicta Provincia non sine tranquillitatis, & Observantiæ Regularis detrimento invaluissent abusus, ut quando post Capitulum Provinciale aliqua ex causa vocarent aliquæ Guardianiæ, eligerentur in Præsidentes illi, qui in Capitulo Officium finivissent; ac Præsidentes per vacantiam Guardianiarum electi eligerentur postea in Guardianos eorumdem Conventuum; Et Guardiani electi in Congregationibus intermediis, vel particularibus aliquibus mensibus ante futuram Congregationem, in qua Officia finire deberent, renunciarent, ut eligerentur in ea Congregatione, ad hoc ut suffragium darent in futuro Capitulo, quippe quorum suffragia essent certa, & a gubernantibus Provinciam experta; Sicque per multos annos in Officiis perpetuarentur: Et in eadem expositione subjuncto, quod tales abusus libertati electionum adversarentur, fomentum ambitionis continerent, scandalum Religiosorum benemeritorum inducerent, ac in totius familiæ detrimentum, ob malum exemplum, cedere possent: eaque propter prædictis Cardinalibus supplicato, ut opportunum præmissis remedium adhiberent: emanavit ab eorumdem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Sac. Congregat. decretum §.2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac auditis relationibus tum Ministri Generalis, tum etiam Commissarii Generalis Curiæ Ordinis hujusmodi, censuit supramemorata statuta omnino observanda esse, ac proinde omnes electiones, quæ de cætero in præfata Granatensi Provincia fient, tam Præsidentium in Guardianos, quam illorum, qui ante Congregationem Provincialem intermediam Guardianatuum Officia renunciaverint, si in eo triennio reeligantur, esse cassandas, irritandas, & annullandas. Ministrum vero Provincialem illis consensum præstantem esse omnimode privandum. Hujusmodi autem electiones, si quæ ante hac factæ fuerint, ad tollenda incommoda, & inconvenientia, quæ ex earum annullatione, seu cassatione orirentur, duxit confirmandas esse, earumque omnes, & quascumque invaliditates, & defectus supplendos, prout præsentis decreti vigore observari, cassari, irritari, & annullari, privari, confirmari, & suppleri respective vult, mandat, & præcipit. Romæ die 3. Octobris 1659. M. Card. Ginettus.

Confirmatur decretum. §.3. Cum autem, sicut d. Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus; Salva semper in præmissis auctoritate Congreg. prædictorum Cardinalium.

Decretum irritans. §.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Prov., & aliis quibusvis &c. cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Nov. 1659. An.V. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 18. Novembris 1659. Pontificatus nostri Anno V.

Ut

CCLXX.

Ut de cætero Commissi in Congr. S. Bernardi Monachorum Italiæ Ordinis Cistercien. exacto biennio ad habitum Conversorum admitti, & post annum Novitiatus profiteri possint.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ferdinand. Ughellus Abbas, & Tusciæ* ac Hilarion Rancatus Lombardiæ Provinciarum Congregat. S. Bernardi Monachorum Italiæ Ordinis Cistercien. respective Procurat., quod ante viginti, vel circiter annos in capitulo ejusdem Congregat. ordinatum fuit, ne ex tunc in posterum habitus Conversorum dd. Congregat. cuiquam præstari posset, nisi qui quinquennio continuo Commissus in ipsa Congregat. fuisset, eaque ordinatio postmodum Constitutionibus Congregat. prædictæ a felic. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro confirmatis inserta fuit. Verum tot annorum experientia compertum est, Ordinationem hujusmodi eidem Congregat. multifariam esse nocumento, attento quod Commissi, ut plurimum tam diuturnæ moræ tædio non perseverent, sed egrediantur, non sine Monasteriorum ipsius Congregat. dispendio, cum non reperiantur, qui tam longam probationem subire velint: Ut proinde eorumdem Monasteriorum Superiores Conversorum professorum defectu, nec opera Commissorum pro bonorum temporalium ad ipsa Monasteria spectantium cura, & administratione uti volentes, eam curam secularibus cum gravi Monasteriorum hujusmodi detrimento, demandare cogantur.

* Sic.

Confirmat decretum. §.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dilecti pariter filii Definitores memoratæ Congregat. in Capitulo ipsius Congregat. novissime celebrato, præmissis mature consideratis, decreverunt, Nobis esse supplicandum, ut quinquennium prædictum ad duos annos reducamus, quibus elapsis Commissi, si alias idonei reperti fuerint, ad prædictum habitum Conversorum, & subinde peracto novitiatus anno ad professionem regularem admitti possint: Nobis propterea dicti Ferdinandus, & Hilarion humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Ferdinandum, & Hilarionem a censuris absolvit S. P. §.2. Nos igitur ipsos Ferdinandum, & Hilarionem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicat. &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero Commissi in Congr. prædicta exacto biennio ad habitum Conversorum ejusdem Congregationis, si ad id alias idonei existant, servatis servandis admitti, peractoque subinde novitiatus anno professionem regularem per dictos Conversos emitti solitam expresse emittere libere, licite, & valide possint, & valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Præsentes litteræ firmæ & validæ sint. §.4. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria respuit. §.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinat. Apost., necnon dictæ Congregat. &c. quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Transumptis credendum. §.5. Volumus autem, ut earumdem præsentiũ transumptis manu &c. eadem prorsus ubique locorum tam in judicio, quam extra illud fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Dec. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Dec. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXI.

Ex Reg. Secret. Confirmat Decretum circa receptionem oblatorum, probationem, & admissionem ad habitum in Provincia SS. Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis S. Francisci.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio. ALias pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, & Definitorum Provinciæ SS. Ludovici, & Elzearii Congregat. Gallicanæ Tertii Ordinis S. Francisci Nobis exposito, quod Regula d. Tertii Ord. Cap. 2. & Concil. Trident. sess. 25. c. 15. determinant unum annum probationis pro Novitiis, Constitutiones vero generales ejusdem Tertii Ord. ab hac S. Sede approbatæ determinant duos annos pro Novitiatu Fratrum Oblatorum, seu servientium, qui emittunt tria vota solemnia Religionis, ac insuper quartum votum de non procuranda alia conditione a sua, C. 1. §. 2. de Fratribus Oblatis, fel. autem rec. Clemens PP. VIII. Præd. noster per quamdam suam Constitut. die 19. Martii 1603. emanatam ordinavit, ut unaquæque Religio sua specialia instituta observare teneatur circa FF. Oblatorum receptiones.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod pro consolatione quorumd. FF. Oblatorum, qui tunc in d. Tertio Ordine existebant, Superiores ipsius Tertii Ord. consenserunt alias ut a re: me: Urban. Papa VIII. Prædecess. pariter nostro procuraretur dispensatio pro dd. FF. Oblatis super ipsorum quarto voto, & licentia transeundi ad statum FF. Conversorum, seu Laicorum, cum assumptione Caputii, sicut de facto idem Urbanus Prædecess. die 16. Aug. 1641. dispensavit cum FF. Oblatis, qui tunc in d. Tertio Ord. existebant, quod

quodque ab illo tempore in aliquibus Conventibus d. Congregat. Tertii Ord. diversis, & differentibus modis factæ fuerunt receptiones dd. FF. Oblatorum, siquidem aliqui Superiores sibi persuadentes præd. Constitutiones Gen. Tertii Ord. determinantes duos annos pro Novitiatu FF. Oblatorum, esse contrarias Regulæ Tertii Ord. & Concilio Triden. prædd. requirentibus unum tantum annum probationis in Novitiis, admittunt in Ordinem FF. Oblatos sine Caputio, cum uno tantum an. probationis.

§.2. Et ulterius occasione liter. d. Urbani Prædecess. in simili forma Brevis super præmissis emanatarum, per quas ipse Urbanus Prędecess. dispensavit cum dd. Oblatis, qui tunc erant in Ord. super quarto voto, eisque concessit transitum ad statum Laicalem post decem annos a sua receptione; FF. Oblati, qui de novo recipiuntur in Ord. quartum votum ab Oblatis emittendum non emittunt, ac post tempus aliquorum annorum assumunt Caputium sine ulla auctoritate hujus S. Sedis, & dispensatione Constitutionum Gen. d. Tertii Ord., contra quas novus status, seu conditio in Religionem inducitur.

§.3. In aliis vero Conventibus Tertii Ord., & Congreg. hujusmodi admittuntur dd. FF. Oblati, seu Servientes, juxta formam Constitutionum Gen. Ord. cum quarto voto, de non procuranda alia conditione a sua, idque eo magis, quod cum fit dispensatio, ipsa est de voto jam facto, non vero de faciendo: & præd. Urbanus Prædecess. dispensavit cum Oblatis, qui votum emiserant, & tunc temporis in Ord. existebant; minime vero ordinavit aliquid circa Oblatos in futurum recipiendos, aut quoad hoc Constitutiones Gen. Ord. immutavit. Istas autem diversas, & differentes FF. Oblatorum receptiones non minimam parere in d. Congreg. Tertii Ord. confusionem, & plures scrupulos, ac dubia ingerere in animos: Et propterea Nobis humiliter supplicato, ut dignaremur declarare.

§.4. Primo, an constitutiones Gen. d. Tertii Ord. requirentes duos annos probationis in Oblatis, seu FF. Servientibus, vota solemnia emittentibus, sint contrariæ tam Regulæ ejusd. Tertii Ord., quam Decreto Concilii Triden., unum annum probationis exigentibus in Novitiis? Secundo, an occasione relaxationis, & dispensationis factæ a memorato Urbano Prædecess. cum FF. Oblatis, qui tunc temporis existebant in Ord. super ipsorum quarto voto de non procuranda alia conditione a sua, & super assumptione Caputii post decē annos possint de novo recipi Oblati, seu Servientes cum uno anno solum probationis, ac admitti ad Caputium, & statum Laicorum; possitque talis usus, & status novus introduci contra Gen. Statuta Ord. sine debita auctorit. Sedis Apost.. Tertio, an Fratres Oblati, qui in tali statu novo, & non approbato a Sede præd. fuerunt admissi in Religionem, sint vere Religiosi, & professi. Quarto, an d. dispensatio concessa ab Urbano Prædecess. præd. pro Oblatis, qui tunc temporis existebant in Ord., impediat quominus recipiantur in Ord. FF. Oblati juxta formam Constitut. Gen. d. Tertii Ord. ab ead. Sede approbatarum?

§.5. Nos negotium hujusmodi Ven. FF. Æmilio Camerinensi, & Carolo Clusinensi Episcopis demandavimus, a quibus emanavit Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Illmi, ac Rmi D. D. de Alteriis Episcopus Camerinen., & D. de Vecchis Episcop. Clusinen. auctoritate Apost. sibi specialiter commissa omnibus mature perpensis censuerunt, & declaraverunt sicuti hoc præsenti decreto censent, & declarant. Primo, non obstare Concilium Triden., nec Regulam Tertii Ord. quominus Oblati, seu Servientes juxta tenorem Constitutionum Gen. d. Ord. debeant biennio integro probari, & eo expleto ad professionem admitti. Secundo, non posse admitti ad Caputium, seu statum Laicorum FF. Oblatos, seu Servientes, qui admissi sunt in Religionem post Breve san. me. Urb. VIII. cum d. Breve loquatur tantum de illis Oblatis, qui tunc existebant in Ord.. Tertio, dictos Oblatos de novo receptos in statu novo, & non approbato a S. Sede, non esse veros Religiosos. Quarto d. Breve Urbani non impedire quominus recipiantur in Ord. FF. Oblati juxta formam Constitutionum gen. d. Tertii Ord. a S. Sede approbatarum, non obstantibus quibuscumque in contrarium. Romę 9. Oct. 1659. E. Episc. Camerinen. Secret. C. de Vecchis Episc. Clusinen. S. C. C. Sec.

§.6. Cum autem sicut prædd. Exponentes Nobis denuo exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apost. confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apost. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adiicimus.

§.7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari. *Decretum irritans.*

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost., cæterisque contrariis quibuscumque. *Contraria tollit.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Dec. 1659. Pontificatus nostri anno V. *Dat. die 10. Dec. 1659. An. V.*

CCLXXII.

Quod Monachi S. Basilii Hispaniarum possint deferre Cucullam amplam talarem, manicatam, quam floccum vocant: *In Causa Salamantina Cucullæ.*

niaque alia faciendi, & statuendi pleno jure pertineat, non tamen de novo acquisito, sed tantum, acsi prædicta exemptio nullum quoad hanc partem sortita fuisset effectum.

Secundo. Quod si quando in prædictis Parochiis aliquem ex Religiosis Monasterii Dissertinensis per dd. Dominum Abbatem, vel alios, ad quos spectet præsentari contigerit, is debeat iisdem exemptionibus, & privilegiis gaudere, quæ in simili casu cum Episcopatu, & Abbate Wingartensi conventa sunt, vel per alias conventiones inter Episcopatum, & Conventum, & ejusdem omnimodam exemptionem ad idem Menasterium Dissertinense spectant, neque, exceptis iis, quæ tangunt curam Animarum, & jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, ullum Rm̃us Dñus Episcopus super iisdem Religiosis jus habeat.

Tertio. Quod contemplatione dictæ reintegrationis in pristina Episcopali jurisdictione, ac cessione ejusdem respective per Dñum Abbatem facta, debeant idem Dñus Episcopus, & Capitulum restituere vere, & realiter eidem Dño Abbati, ac Monasterio Dissertinensi florenos octingentos, firma, & rata permanente ad favorem Episcopatus reliqua summa soluta, & in eorumdem debitorum extinctionem applicata. Et ulterius, ut D. Episcopus magis benevolentiam suam erga dd. D. Abbatem testetur, ejusque Monasterii in quantum possit utilitati consulat, concedit ipsi sponte cum consensu, & promissione Capituli de non contraveniendo per totum consueti studii cursum scilicet per septem annos unum locum pro ad ipsius D. Abbatis libitum eligendo Alumno in uno ex Collegiis, ad quæ nominationem Rm̃us D. Episcopus habeat.

Quarto. Conveniunt, & declarant, ut nullum per hoc alicui ex partibus, vel aliis quomodolibet interesse habentibus maxime circa jus nominandi, præsentandi, & conferendi præjudicium illatum, vel jus quæsitum de novo intelligatur extra illos terminos in quibus ante præterito anno factam unionem, & exemptionem respective se haberent neque per supradictam transactionem præterquam in expressis ullo modo aliquid de antiquis conventionibus, inter partes easdem, vel alias jus habentes innovatum sit, omniaque prædicta non antea suum effectum, & valorem sortiri debeant, quam per SSm̃um approbata, & confirmata fuerint (in quem finem utraque pars supplicare intendit) veraque, & actualis solutio florenorum octingentorum intervenerit, quam Illm̃us Dñus Nuntius ea conditione fieri consensit, ut redditus Episcopatus annui extinguendis debitis assignati nullo modo tangantur, neque novum debitum sumatur, sed de alio medio opportuno iidem Rm̃us Dñus Episcopus, & Capitulum provideant, interimque a molestiis, & novitatibus contra Literarum Apostolicarum obedientiam omnino abstineant.

In quorum fidem tam Illm̃us, & Rm̃us Dñus Nuntius, quam Rm̃us Dñus Episcopus, & Capitulum Curiense ex una, & Dñus Abbas suo, & Conventus nomine partibus ex altera se subscripserunt, & sua respective sigilla apposuerunt. Actum in Arce Episc. Curien. hac die 16. Oct. 1656.

Federicus Patriarcha Alexandrinus Nuntius Apostolicus ab utraque parte electus ita laudavi, ac declaravi. Loco ✝ sigilli Dñi Nuntii Joannes Episcopus Cunensis. Loco ✝ sigilli, Domini Episcopi Adalbertus Abbas Dissertinensis nomine quoque Monasterii pro quo de rato promitto. Loco ✝ sigilli D. Abbatis NN. Præpositus, Decanus, & Capitulum Curien. Loco Sigilli Capituli.

Quæ omnia iisdem loco, die, mense, & anno, ut supra coram Rm̃o Dño Episcopo, & Capitulo Curiensi ex una, & Dño Abbate Dissertinensi nomine quoque Monasterii, & Religiosorum de rato promittere partibus ex altera in præsentia Illm̃i, & Rm̃i Dñi Nuncii supradicti lecta, & bene considerata per ipsas partes acceptata fuerunt, & inviolabiliter præfatam concordiam, & compromissi tenorem observare juramento promiserunt, atque ad majorem corroborationem se subscripserunt, & propriis respective sigillis dictam concordiam muniverunt, meque infrascriptum Notarium requisiverunt, ut unum, vel plura publicum, seu publica instrumentum, aut instrumenta, conficerem atque traderem, prout opus fuerit, & requisitus ero.

Quapropter Ego Balthasar de Comitibus de Cartignano Montis Alti Diœcesis apostolica auctoritate Notarius, & hujus Nunciaturæ Cancellarius præsentibus Perillustribus, ac R. R. D. D. Felice Paradiso fil. Dñi Juliani de Monte Alto, & Francisco Maria Lezana fil. D. Bernardini Vallis Solidæ Mediolanen. Diœces Testibus ad id specialiter vocatis habitis, atque rogatis qui præinserta omnia, & singula fieri, & acceptari una mecum viderunt, & interfuerunt præsens instrumentum confici propria manu conscripsi meumque solitum Notariatus signum apposui rogatus, & requisitus. Loco ✝ Signi.

§. 2. Quare iidem Episcopus, ac Capitulum, & Canonici, necnon Abbas exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardin. Conc. Trident. Interpretum, qui prænarratam compositionem, & conditiones in ipsa contentas examinarunt, consilio, eamdem compositionem, seu transactionem auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti

Exponent. censuris solvit.

Decretum Congr. confirmat S...

facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §.4. Decernentes præsentes literas semper firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obstantibus præmissis, necnon apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit Ecclesiæ Curien. ac Monasterii Dissertinensis hujusmodi, & aliis quibusvis &c. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus &c., hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Jan. 1659. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Januar. 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CCLXXV.

Nonnullæ Declarationes super controversiis inter Generalem Ord. Min. de Observantia, & Provincialem Prov. Sanctorum Ludovici, & Elzearii tertii Ord. Sancti Francisci.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Minister Provincialis Prov. SS. Ludovici, & Elzearii FF. tertii Ord. S. Francisci, quod Definitorium Cap. Gen. Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum, die 15. Junii 1658. ordinavit, ut deputaretur Commissarius, sicut fuit deputatus dilectus pariter filius Eutropius Bertrandus Frater Recollectus secundodicti Ord. ad gubernandos Conventus d. tertii Ord., qui erant in Aquitania independenter a Jurisdictione Ministri Provincialis, cum auctoritate alia statuendi in præjudicium d. Jurisdictionis, quibus opportune providit Congreg. Ven. FF. nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita per suum decretum die 24. Januarii 1659. emanatum, & per nostras in simili forma Brævis literas die 11. Februarii subsequentis confirmatum, amovendo dictum Commissarium a Ministro Gen. secundodicti Ord. deputatum, & declarando, Provincialem exercere debere suam Jurisdictionem in tota Provincia, etiam in Conventibus Aquitanis: a quibus tamen Decreto, & literis quidam Fratres d. Prov. appellarunt ad Nos melius informandos, atque protestati sunt de nullitate erectionis ejusdem Prov. licet a quadraginta quinque annis circiter factæ, & de electione Ministri Prov., & Officialium, ac de celebratione futuri Definitorii Provincialis, cum tamen nulla legitima causa fuerit talis protestationis faciendæ, tum quia eadem congreg., & postea fel. rec. Innoc. PP. X. Præd. noster die 26. Maii 1649. declaraverant fuisse rite, & bene erectam d. Provinciam tum quia electiones Ministri Provincialis, & aliorum Officialium canonice factæ fuerunt, absque ullo defectu, sicut memoratæ Congregationi ostensum fuisse asseritur. Quinimo tacito præfato Decreto die 24. Januarii emanato, inscio, & minime citato Ministro Provinciali prædicto, sub assertis quibusdam narrationibus, dilectus etiam filius Leo Tolosanus Frater d. tertii Ord. per subreptionem obtinuit ab eadem Congreg. die 24. Februarii Decretum etiam per nostras in forma Brevis literas die 22. Martii proxime præteriti confirmatum, ut mitteretur ad dictam Prov. Commissarius cum potestate alternativam. * Provincial. aut Commissarium Nationalem concedendi Aquitanis, & alia plura statuendi in præjudicium Constitutionum Generalium præfati tertii Ord., consuetudinis Provinciæ, & jurisdictionis Ministri Provincialis, quibus omnibus providit præfata Cardinalium Congreg. per suum Decretum sub die 20. Junii proxime præteriti editum. Attentis autem pluribus excitatis a prædicto Leone Tolosano in partibus Aquitanis eadem Congregatio per suum Decretum die 23. Martii proxime præteriti mandavit ipsi Ministro Provinciali supradictæ Provinciæ tertii Ordinis quatenus assignaret Conventum extra Aquitaniam d. Leoni Tolosano, sicuti assignavit Conventum S. Ludovici penes Lugdunum, præcepitq; ei, & ejus Socio dilecto pariter filio Didaco Pisquasguensi laico, ne sub pœnis apostasiæ secederent in partes Aquitaniæ, sed iidem Leo, & Didacus nihilominus ausi sunt petere Tolosam, seu pergere in partes Aquitaniæ. Ac insuper dilectus filius Minister Generalis secundo d. Ord. prædictum Leonem Tolosanum ad pristina jura (ut fertur) rehabilitavit, & restituit; Quibus etiam supra memoratis providit sepedicta Congreg. per aliud suum Decretum die 11. Julii proxime præteriti emanatum.

*Sic.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat occasione dd. Decretorum quædam difficultates inter prædictum Ministrum Gen. ex una, & dictum Ministrum Provincialē exponentes ex altera partibus ortæ sint, quas ipsi pro bono pacis sopiri plurimum desiderant: Nobis propterea iidem Gen., & Provincialis Ministri humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Generalem, & Provincialem Ministros specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de præfatorum Cardinalium, qui omnia præfata, & præsertim appellationem per Fratres Aquitanos, & alios interpositam viderunt, remque partibus informantib. & præcipue prædict.

dicto Ministro Generali Ord. Min. de Observantia, mature discusserunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, standum esse in Decretis per eorumdem Cardinalium Congreg. sub die 24. Januarii 1659. cassanda,& irritanda esse omnia acta, & gesta per supradictum Eutropium Bertrandum Commissarium alias per Ministrum Gen. deputatum, & ab eadem Congregat. amotum, exceptis literis obedientialibus fratribus Aquitanis concessis pro transitu de uno in alium locum, & reducenda esse omnia ad eumdem statum, in quo erant ante ejus ingressum in Prov., prout per præsentes cassamus, irritamus, & reducimus: Licere Ministro Generali deputare Visitatores, seu Commissarios, dummodo in futurum de eodem tertio Ord. Congregationis Gallicanæ deputentur (salvis tamen juribus Successorum in Generalatu) juxta consuetudinem, seu consuetam petitionem a Definitorio faciendam, posse quoque Ministrum Provincialem deputare Præsidem, seu Commissarium pro celebratione futuri proximi Definitorii Provincialis. Porro benigne concedimus, ut quando in Aquitania numerus Conventuum fuerit auctus usque ad octo, possit ad Nos, seu ad eamdem Cardinalium Congregationem haberi recursus pro opportuna provisione; Interim autem volumus, quod omnes subjaceant jurisdictioni Ministri Provincialis, imponendo super præmissis perpetuum silentium, & signanter tam super validitate erectionis d. Prov., quam jam alias memoratus Innocentius Prædecess. sub die 26. Maii 1649. declaravit fuisse semper bene erectam, & electione etiam legitima Ministri Provincialis, & aliorum Officialium, quam super omnibus aliis prænarratis. Præterea declaramus pariter, & decernimus standum esse in Decretis per dd. Congreg. sub die 13. Martii proxime præteriti, & præcipiendum sicuti per præsentes præcipimus stricte prædicto Leoni Tolosano, & ejus Socio Didaco Puisquasquensi laico, quatenus post tres dies a significatione earumdem præsentium secedant recta via absque ulla mora, & diversiculis in Conventum S. Ludovici penes Lugdunum sibi a Ministro Provinciali assignatum, subjaceantque in omnibus, & per omnia jurisdictioni Ministri Provincialis juxta declarationem factam a Ministro Generali sub die 13. Septembris currentis anni, non obstantibus eorum oppositionibus, appellationibus, & aliis quibuscumque: nec suffragetur aliter eidem Leoni rehabilitatio a d. Ministro Gen. concessa, nisi a pœna privationis actuum legitimorum incursa pro sua inobedientia contumaci, non vero ad alios casus juxta eandem declarationem Ministri Gen. salvis in omnibus aliis juribus dictorum Ministrorum Generalis, & Provincialis. Et ut præfata omnia plenum consequantur effectum Venerabilibus Fratribus Lugdunum, & Tolosan. Archiepiscopis, & dilectis filiis eorum Officialibus, seu alteri ex ipsis per præsentes committimus, ut sub censuris, & aliis eorum arbitrio pœnis prædicta omnia auctoritate nostra executioni demandari faciant, & mandent.

Standum esse in Decretis S. Cong. declarat, & statuit S. Pontifex.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas firmas &c. & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus oppositionibus, appellationibus, & aliis quibuscumque in contrarium deductis, & præcipue Decreto d. Congreg. die 24. Februarii proxime præteriti a memorato Leone Tolosano obtento, & per nostras in simili forma Brevis literas die 22. Martii subsequentis confirmato, necnon rec. mem. Bonifacii PP. VIII. Prædecess. pariter nostri de una, & Concil. Gen. de duabus dietis &c. & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 9. Januarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXVI.

Præceptum Nunciis Apostolicis pro tempore, apud Helvetios commoran. circa consignationem scripturarum Nunciaturæ Successori faciendam.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum sicut Venerabilis Frater Federicus Patriarcha Alexandrin. noster, & Sedis Apost. in Dominio Helvetiorum, & Rhætorum Nuncius Nobis nuper exponi fecit, ipse plurimas scripturas directionem illius Nunciaturæ, ac conservationem Jurisdictionis Ecclesiasticæ concernentes variis ex locis adhibita, exacta diligentia recuperaverit, & collegerit, illasque in formam Archivii redegerit, & in multa magna volumina cum suis indicibus, & quovis alio apto ordine, ad faciliorem pro rei, & casus exigentia earumdem scripturarum usum compingi curaverit, seu compingi facere intendat, maxime vero intersit dd. Scripturas conservari, ne ad alias, quam pro tempore existentium in memorato Dominio nostrorum, & Sedis præfatæ Nunciorum manus deveniat: Idcirco Nos in præmissis opportune providere, ac eundem Federicum Patriarcham, & Nuncium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Federico prædicto, & aliis futuris pro tempore nostris, & d. Sedis Apostolicæ in eodem Dominio Helvetiorum, & Rhætorum Nunciis, sub nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii pœnis, Apostolica auctoritate

ritate tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut ipsorum quolibet suo in dicta Nunciatura Successori scripturas, & volumina hujusmodi conservare, & consignare, ac de illorum consignatione per eos facienda a Successoribus suis in eadem Nunciatura, quibus illa consignaverint, quietantiam autenticam reportare omnino debeant.

Decretum irritans. §.2. Decernentes irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Jan. 1660. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die nona Jan. 1660. Pont. nostri Anno V.

CCLXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Moderatio Constitutionis ne Monachi Ordinis S. Benedicti Congreg. Portugalliæ Sacros Ordines suscipiant ante lapsum sexennii ab ingressu Religionis &c.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Rangel Abbas Gen. Congreg. Portugalliæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, quod alias per quandam Constitutionem in quodam Capitulo Gen. d. Congregat. editam, non tamen a Sede Apost. approbatam, prohibitum fuit, ne Monachi ejusdem Congregationis, nisi post sexennium ab ingressu Religionis Sac. Ord. susciperent.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prohibitio hujusmodi in Capit. Gen. d. Congregat. novissime celebrato relaxata fuerit, eo quod multi Presbyteri ipsius Congregat. proxime præteritis annis obiisse reperiuntur, ipsaque Congregatio proinde penuriam patitur sacerdotum, qui Missas perpetuas illi incumbentes celebrent: Nobis propterea prædictus Vincentius Abbas Gen. humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apost. dignaremur.

A censuris absolvitur Vincentius. §.3. Nos igitur ipsum Vincentium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut ad quinquennium proximum tantum Monachi Congr. præfatæ, licet sexennium ab eorum ingressu eamdem Congregat. præteriisse minime reperiatur, nihilominus Sacros Ordines, servatis alias servandis, suscipere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Decreti confirmatio. §.4. Decernentes easdem præsentes Literas firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit. §.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumq;

Dat. die 15. Jan. 1660. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 15. Januar. 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Quod Provincia Franciæ tertii Ord. Sancti Francisci Congreg. Galliæ uti possit Brevi ab Urb. VIII. emanato sub die 20. Augusti 1641. super facultate admittendi Oblatos, seu Servientes ad Caputium, & statum laicalem.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ Franciæ Congreg. Gallicanæ tertii Ord. S. Francisci de Pœnitentia nuncupat. quod Constitutiones Generales ejusdem Congreg. a Sede Apostolica in forma communi confirmatæ permittunt receptionem Fratrum Servientium, seu Oblatorum, qui vice Caputii pileum ferant, & præter tria vota essentialia, quartum de non procuranda alia conditione a sua emittant, ac biennio integro probentur. Atque ita recepti fuerunt usque ad annum 1641. quo tempore de Superiorum consensu cum eisdem Fratribus oblatis, seu servientibus super quarto voto de non procuranda alia conditione ab eadem Sede dispensatum fuit, & Superioribus permissum, caputium illis concedere, & ad statum laicalem eos promovere post septem annos a votis emissis, & unum recollectionis, cum aliis clausulis, prout in Literis Apostolicis desuper in simili forma Brevis eodem anno expeditis dicitur contineri. Quia vero dicti Fratres facti laici, aliique laici per dictas literas nullo jure suffragiorum, nisi in receptione novitiorum ejusdem status, & conditionis ad professionem gaudere permittebantur, cum Fratres laici juxta Constitutiones Ord. suffragia dedissent tam in receptione Clericorum laicorum, & Oblatorum, seu servientium ad professionem, quam in electione Discretorum ad Capitula mittendorum, eaque de re conquerebantur, ideo de consensu Superiorum eisdem Fratribus laicis præsentibus, & futuris etiam a statu oblatorum ad statum laicalem assumptis, vel assumendis, tale jus suffragiorum restitutum fuit per Literas Apostolicas pariter in forma Brevis die 25. Maii 1644. emanatis. Et postea nempe die 20. Apr. 1656. a Ministro Gen. facta fuit declaratio super statuto biennii novitiatus eorum ad unum dumtaxat annum reductus fuit.

§.2. Cum autem, sicut expositio subjungebat, juxta dd. facultates omnes Fratres oblati, seu servientes, qui erant in tota Congreg. circa prædictum annum 1641. ad

ad statum laicalem admissi fuerint, & Caputium receperint, & una d. Congregationis Provincia S. Ivonis, seu Normanniæ nuncupata omnes suos Fratres hactenus admiserit cum uno tantum probationis anno, & tribus votis solemnibus solitis cum concessione Caputii, & promotione ad statum laicalem post octo annos ab emissa professione nemine in tota congregatione reclamante, aut contradicente, supradicta vero Prov. Franciæ, seu S. Francisci aliquot annis a receptione hujusmodi Fratrum abstinuerit, sed experientia docuerit ipsam Provinciam multa pati incommoda ex defectu talium Fratrum, ideoque nuperum Capitulum provinciale ejusdem Prov. Franciæ eorum receptionem juxta dd. facultates, & ad instar d. Prov. S. Ivon., seu Normanniæ faciendam esse decreverit: Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem diligenter, & mature discusserunt, & examinarunt, consilio, eidem Provinciæ Franciæ suffragari, ipsamque uti posse literis fel. rec. Urb. PP. VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis die 20. Augusti 1641. emanatis super facultate admittendi Oblatos, seu servientes ad Caputium, & statum laicalem, servata tamen in omnibus forma earumdem literarum; Et quoad jus suffragandi servata pariter forma literarum etiam in forma Brevis ejusdem Urbani die 25. Maii 1644., & rec. mem. Innoc. PP. X. Prædecess. pariter nostri die 6. Aprilis 1648. respective expeditarum; Quo vero ad dispensationem, seu declarationem Ministri Gen. Ord. Min. factam die 20. Aprilis 1646. quod sufficiat unus annus novitiatus, servandas omnino esse Constitutiones præfati tertii Ord. Congreg. Galliæ, ex quibus requiritur biennium auctoritate apostolica tenore præsentium, decernimus, & declaramus.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus in contrarium allatis, ac Constitut., & Ordinat. Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Jan. 1660. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 2. Januarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXIX.

Quod Fratres Minores de Observantia S. Francisci Provinciæ Valentiæ non possint transire ad Recollectos absque licentia Ministri Provincialis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiv. Alias pro parte dilecti filii Jacobi Quintana Procuratoris Provin. Valentiæ Ord. FF. Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congreg. Ven. FF. nostrorum S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regul. præpositæ exposito, quod vigore concordiæ dudum inter FF. Min. de Observantia nuncupatos ex una, & FF. Recollectos Provinciæ, & Ord. prædict. ex altera partibus initæ, & a fel. rec. Grægorio PP. XIII. Prædecess. nostro confirmatæ, qua cavetur, quod FF., qui ex domibus non Recollectis ad Recollectas transire voluerint, consensum prius in scriptis habeant Guardiani, & Conventus domus, ad quam transire intenderint, consensus vero hujusmodi per vota secreta exquiratur, & eo obtento licentia humiliter petatur a Ministro Provinciali transeundi ad præd. domum, quam ipse Minister benigne concedere teneatur: multi non zelo virtutis, nec ut ferventius Deo servire possent, sed per voluntatis inconstantiam, & mutabilitatem tenderent ad aliquem Conventum Recollectorum, & acciperent vota; ac licet Minister Provincialis videret talem transitum esse contra bonum regimen d. Provinciæ, & nullo modo convenire, ipso invito transirent ad Recollectos, freti particula suprad. concordiæ, qua dicitur quod Minister Provincialis licentiam concedere teneatur.

§. 1. Et in ead. expositione subjuncto, hoc videri esse contra mentem d. Gregorii Prædecess., & Religionem, ideoque ad tales abusus evitandos d. Congreg. supplicato, ut declaret d. particulam; ita scilicet ut Minister Provincial. ejusmodi licentiam concedere teneatur, si judicaverit secundum Deum ita expedire, & non aliter, & sic de aliis affirmativis, & negativis in ead. concordia positis: emanavit ab ead. Congr. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet,

Decr. Sacræ C. §. 2. Sacra Congeg. Eminorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac audito Ministro Gen. Ord. hujusmodi circa præmissa declarandum censuit, prout præsentium tenore declarat, & decernit, ex vi præcitatæ clausulæ in mem. concordia a Gregorio XIII. confirmata appositæ, Ministrum Provincialem Provinciæ præd. pro tempore existentem, ad concedendum licentiam ejusmodi transitus non teneri nisi quando secundum Deum illam concedere judicaverit expedire, & sic de aliis affirmativis, & negativis in ead. concordia contentis: quibuscumque in contrarium non obstantibus. Romæ 19. Decembris 1659.

§. 3. Cum autem, sicut d. Jacobus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmo-

juimodi Apost. confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Jacobum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Decreti confirmatio. §.4. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apost. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adiicimus, salva semper in præmissis auctoritate præd. Congr. Card..

Præsentes literas observari mandat. §.5. Decernentes easd. præsentes lit. semper firmas &c. inviolabiliter observari, sicque in præmiss. per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost., cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 22. Jan. 1660. An.V. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Jan. 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXX.

Confirmat Decretum Capituli Gen. Congreg. Hispaniarum FF. Discalceatorum nuncupat. SSmæ Trinitatis Redempt. Captivorum, scilicet quod Prælati locales, seu Conventuales non amplius habeant vota in Capitulis Gen., sed solum Superiores Gen. Diffinitores Gen., Provinciales, & Socii seu Discreti.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpeuam rei memoriam.

Procemium. AD Pastorale fastigium meritis licet imparibus, Divina dispositione evecti, illis, quæ pro felici, prosperoque Congreg. Virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum regimine, & gubernio provide, & salubriter decreta, & constituta esse conspicimus, libenter cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

Supplicatio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Gen. Congreg. Hispaniarum FF. Discalceatorum nuncup. Ord.SSmæ Trinitatis Redempt. Capt., quod iidem FF. in eorum Capitulo Gen. die 10. Maji proxime præteriti in Civitate Toletana celebrato, qui juxta literas Apost. in simili forma Brevis per d. Congreg. obtentas, intervenerunt, & in quo vocales fuerunt dilecti pariter filii Minister Gen., Diffinitores Gen., Provinciales, & Ministri Conventuales ipsius Congreg., considerantes eamd. Congreg. benedicente Domino dilatam esse in tres Provincias, & plurimas domos inter se valde distantes, quippe in Regnis Castellæ, Boeticæ, Aragoniæ, Navarræ, Cataloniæ, & Valentiæ positas: constitoque ipsis per experientiam occasione accessus Ministrorum Conventualiũ ad Capitulum Gen., longissima itinera suscipi, magnasque fieri expensas, quin etiam propter diuturnam illorum a Conventibus absentiam minus vigere in eis regularem observantiam; ac perpenso eos, quos Vocales assignari, ut infra petitur, majoris esse observantiæ, doctrinæ, & experientię, necnon animadvertentes in multis Religionibus, tam antiquitus, quam non ita pridem institutis Prælatos locales, seu Conventuales non concurrere, nec habere vota in Capitulis Gen., Provinciales, & Socios seu Discretos, prout FF. Discalceati nuncupati Ord. B. Marię de Monte Carm. & Eremitarum S. Augustini respective observant; aliisque demum mature discussis, & ponderatis.

§.2. Statuerunt, & decreverunt per secreta suffragia, quod Ministri Conventuales d.Congreg. non adeant Capitulum Gen. ipsius Congreg., quod de triennio in triennium celebratur, nec in eo habeant vota. Item quod obtineri debeant ab hac S. Sede literæ Apost. approbationis, & confirmationis hujusmodi determinationis, cum derogatione quarumvis aliarum Apost. in forma Brevis literarum eid. determinationi contrariarũ. Præterea a Nobis petendum esse, ut assignemus pro vocalibus Capituli Gen. ejusd. Congr. Ministrum Gen., Deffinitores Gen., Provinciales, & unum Socium pro unaquaq. Provincia ipsius Congreg., ut cum Provinciali veniens ferat vocem Provinciæ, qui tamen Socius debeat esse unus ex Ministris Conventualibus ipsius Provinciæ. Ad hæc, quod post obtentas a Nobis confirmationis hujusmodi literas, pro hac prima vice, & pro Capitulo proxime celebrando, præd. Socius pro unaquaq.Provin.eligatur per secreta suffragia a Ministro Gen., & a duobus Deffinitoribus Gen., necnon Provinciali illius Provinciæ, pro qua eligetur Socius. A Capitulo vero proxime futuro fiat electio Socii pro unaquaque Provincia post finitas electiones Prælatorum, concurrentibus tantum ad d. electionem Ministro Gen., duobus Deffinitoribus, Provinciali illius Provinciæ, & Socio jam tunc existente in Capitulo. Si autem per mortem, inhabilitatem, vel aliam justam causam d. Socius sic pro unaquaque Provincia in Capitulo Gen. electus non potuerit intervenire, & adesse Capitulo successive futuro, tunc electio novi Socii fiat a Ministro Gen., & duobus Deffinitoribus Gen. existentibus pro illa Provincia, & a Provinciali ipsius Provinciæ, cui defecerit socius, & hoc per secreta suffragia ante Capitulum tempore sufficienti, ut Socius sic electus possit accedere ad Capitulum.

§.3. Quare idem Procurator Gen. Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur ipsum Procuratorem Gen. specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statutum, & decre- Procurat.Generalium rem censuris absolvit S. P.

tum hujusmodi a d. Capitulo Gen., sicut præmittitur, editum, auctoritate Apost. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolib. intervenerint, supplemus.

§.4. Præterea in vocales Capituli Gen. d. Congregat. Ministrum Gen., Diffinitores Gen., Provinciales, & unum Socium pro unaquaque Provincia ipsius Congreg., qui una cum Provinciali veniens ferat vocem Provinciæ, & debeat esse unus ex Ministris Conventualibus ipsius Provinciæ, sicut per statutum, & Decretum supra expressum petitur, authoritate, & tenore præfatis assignamus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes easd. præsentes lit. semper firmas, &c. inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.6. Non obstantibus præmissis, necnon fel. rec. Clementis VIII., quæ incipiunt, *Ad militantis Ecclesiæ regimen*: die 20. Augusti 1599., & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecess. nostrorum, quarum initium, *In supremo militantis Ecclesiæ solio*: die 14. Aug. 1613: respective emanatis in simili forma Brevis literis, per quas conceditur, quod Ministri Conventuales habeant vocem in Capitulo Gen. d. Congreg. & aliis ordinationibus, & Constitutionibus Apost., ac ejusd. Congreg., illiusque Provinciarum, Domorum, & Conventuum quorumvis etiam juramento, &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.7. Volumus autem, ut earumd. præsentium transumptis, manu &c. ead. prorsus fides adhibeatur ubique in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 4. Feb. 1660. An.V.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Febr. 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXXI.

Declaratio Brevis san.mem. Innocentii X. super modo recipiendi, & profitendi Novitios in Monasteriis Reformatis Congreg. del Tardon, Ord. S.Basilii Magni.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Alias pro parte dilecti filii Francisci a Jesu Procurat. Gen. Congregat., seu Provinciæ Reformatæ del Tardon nuncupatæ, Monachorum Ord. S. Basilii Magni in Hispania, Venerabil. FF. nostris S. R. E. Card. negotiis, & consult. Episcoporum, & Regularium præpositis exposito, quod felicis rec. Clemens Papa VIII. Præd. noster per quasdam suas super Reformatione Monachorum d. Congr. die 23. Sep. 1603. expeditas in simili forma Brevis literas, quarum initium, *Altissimi dispositione &c.* quo vita communis, & Regularis observantia rectius, & strictius inter multos posset observari, voluerat, ut omnes Conventus, Congr. hujusmodi numerosam Monachorum multitudinem habere procurarent, nec in unoquoque Monasterio minor vigintiquatuor Monach num. haberi posset.

§.1. Et quia tempore ejusdem S.Basilii paucissimi fuerant Sacerdotes, imo fere omnes laici extiterant, excepto Abbate, qui etiam aliquando laicus fuisse reperiebatur, & ita omnes communiter psallebant, quod ipsius Clementis Præd. tempore propter majorem intelligendi Latinam, quam tunc Græcam linguam difficultatem, majoremque Officii Romani in Choro prolixitatem fieri non poterat, idem Clemens Præd. mediam, & suis temporibus convenientem viam sequutus, licet majorem, & principaliorem partem Monachorum ex laicis esse vellet, prout per easdem literas voluit, & ordinavit, sufficientes tamen Choristas, & Sacerdotes ad Chori, & Divinorum Officiorum Ministeria haberi permiserat, ut ita alii aliorum opera adjuvarentur: quodque quia in dictis literis non fuerat statutum qualis esset numerus Sacerdotum, & Choristarum sufficienter ad supradicta, indeque aliæ dissensiones inter Monachos laicos ex una parte, & Sacerdotes, & Choristas ex altera ortæ fuerant, rec. mem. Urbanus Papa VIII. etiam Præd. noster per binas suas pariter in forma Brevis literas, ultimas quidem die 27. Apr. 1641. expeditas, quæ incipiunt: *Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, &c.* præceperat numerum Sacerdotum esse tantum quartam partem, tam in duobus Monasteriis erectis, quam in futurum erigendis; petentes vero habitum Religionis excludi absque voto Capituli Conventualis non posse. Et ut tolleretur controversia circa modum recipiendi, tam Sacerdotes, & Choristas, quam Laicos, mandaverat, quod omnes, qui vellent ingredi Religionem pro Laicis, si haberent requisita reciperentur, & ad proportionem Laicorum reciperentur Sacerdotes pro quarta parte, ut scilicet si recepti fuissent tres Laici, reciperetur unus Sacerdos, vel Chorista.

§.2. Quodque cum Monachi Sacerdotes ad piæ mem. Innoc. PP. X. Prædecess. pariter nostrum pro majori numero Monachorum eorum status recurrissent, idem Innocentius Prædecess. per suas in simili forma Brevis die 14. Octobris 1746. expeditas literas, quarum initium: *Pastoralis officii &c.* assignato numero præfixo Monachorum pro quolibet Monasteriorum antiquorum S. Basilii del Tardon, & S. Antonii del Valle, voluerat eorumdem Monachorum duas partes esse semper ex laicis, & tertiam partem respective ex Sacerdotibus, & Choristis; interea tamen quam-

quamdiu Sacerdotes, & Choristæ dictam tertiam partem non implevissent, alternative ad professionem reciperentur, id est, unus Sacerdos, & Chorista, & alter Laicus, & sic successive: postquam vero dd. tertiam partem complevissent, nullus pro utroque statu reciperetur amplius, nisi illi tantummodo, qui desiderarentur, ut dictæ tres partes intra numerum pro quolibet Monasterio assignatum perseverarent, usquedum Monasteria reducerentur ad numerum nonaginta, & octoginta respective. Illi vero, qui ex dicto numero in hujusmodi Monasteriis tractu temporis deessent, indistincte reciperentur usquedum numerus præfixus pro Choristis, & Laicis completus esset.

§.3. Pro Monasteriis autem de novo fundandis Capitulum Provinciale assignaret numerum Monachorum, qui in quolibet eorum commode sustentari posset ad præscriptum Sac. Conc. Trident. sess. 25. de Regularibus, cap. 3. & quoad receptionem Novitiorum ordo supradictus in illis observaretur. Professiones vero in hujusmodi Provincia aliter factæ nullius roboris existerent, nullamque in sic professo obligationem inducerent, ac præmissa ab omnibus, quos illa concernerent, exacte, & sub pœnis contentis in prædictis Urbani Præd. literis die 27. Apr. 1641. expeditis observari mandaverat.

§.4. Et in eadem expositione subjuncto, quod in Monasteriis S.Mariæ del Buen successo del Retamal, & S.Michaelis de Brenna, Congr., seu Provinciæ huiusmodi postea fundatis, Provinciales, & Prælati ad usum deduxerant, ut in illis reciperetur, & professionem faceret unus Chorista, & unus Laicus, dicentes hoc modo esse intelligendas, & exequutioni esse demandandas prędictas Innocentii Præd. literas quousque Sacerdotes, & Choristæ adimplerent tertiam partem numeri præfixi pro quolibet Monasterio, & hoc modo professi essent, & profiterentur multi, quod clare, & manifeste apparebat contra disposita, & ordinata in dictis Innocen. Præd. literis disponentibus, ut duæ partes essent semper ex Laicis, & tertia pars respective ex Sacerdotibus, & Choristis, quia alternativa de recipiendo ad professionem Choristam, & statim Laicum, fuerat solum ordinata pro duobus Monasteriis antiquioribus S. Basilii Eremi del Tardon, & S. Antonii del Valle, ad reducendum Monachos Laicos de tribus ex quatuor partibus, & augendum Sacerdotes, & Choristas de quarta parte, in qua erant, ad tertiam: quodque in prædd. duobus Monasteriis antiquioribus S. Basilii Eremi del Tardon, & S. Antonii del Valle tractu longi temporis in recipiendo unum Choristam, & unum Laicum evenerat numerum Monachorum Laicorum esse minorem duabus ex tribus partibus, & Superiores pro observantia prædd. Innocentii Prædecess. literarum requisiti hoc agere recusarent.

§.5. Ac propterea supplicato memoratis Card., ut declararent modum habendum in recipiendo, & ad professionem admittendo Novitios in dicta Congregat., tam in Monasteriis antiquioribus, quam in aliis deinde fundatis, & in posterum fundandis juxta legitimum, & verum sensum, & an recipi deberent in Monasteriis noviter fundatis, & in futurum fundandis unus Chorista, & statim unus Laicus, vel duo Laici, & unus Chorista a principio; utque mandarent observari prædd. literas Innocentii Prædecess. juxta lit. in suo vero, & legitimo sensu, & quod Superior, vel Monachus in aliquo contraveniens ipso facto incurreret pœnas inflictas a prædd. Urbano, & Innocentio Prædecess.: emanavit ab eorumd. Card. Congreg. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.6. Sacra Congr. Eminentiss. S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & re Emo Carpineo referente mature discussa, censuit quoad numerum Monachorum in Monasteriis Congr. S. Basilii del Tardon servandas esse (prout servari sub infrascriptis pœnis mandat, & præcipit) præcitatam Bullam Sanct. mem. Innocentii X., necnon lit. in forma Brevis SSmi D. Nostri Alexandri PP. VII. & in recipiendis Novitiis, ac ad professionem admittendis hujusmodi ratio habeatur, ut nunquam in dd. Monasteriis extent ultra duas partes Monachorum ex laicis, & tertiam ex Sacerdotibus, seu Choristis, & d. numerum ullo unquam tempore, nullaque ex causa excedere possint, prædictaque locum habere, tam in Monasteriis jam erectis, quam in aliis quibuscumque, & quandocumque de novo erigendis, sub excommunicationis S. Sedi Apost. reservatæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ d. Congreg. Superioribus, & aliis quibuslibet ad quos spectat, aliter facientibus, vel fieri permittentibus, seu mandantibus, pœnis eo ipso incurrendis, contrariis quibuscumq. non obstantibus. Romæ die 16. Jan. 1660. *Innocentii X. bullam declarat atque exponit S. P.*

§.7. Cum autem sicut præd. Franciscus Procurator Gen. Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apost. confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret. Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apost. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præd. Congreg. Card..

§.8. Decernentes easd. præsentes lit. semper firmas, &c. inviolabiliter observavari. Sicque in præmissis per quoscumque Iudices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari. *Decretum confirmat.*

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac con- *Derogatio contrariorum*

consuetudinibus, & ordinationibus Apost. necnon quatenus opus sit Provinciæ, seu Congreg. Reformatæ hujusmodi, ejusque Monasteriorum quorumvis &c. in contrarium premissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq. contrariis quibuscumq.

Transumptis fides habenda. §.10. Volumus autem, ut præsen. transumptis manu &c. eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16. Feb. 1660. An.V. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Feb. 1660. Pontificatus nostri anno V.

CCLXXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Ut electio Vicarii Generalis Congr.Hispaniarum, & Indiarum FF. Augustinianorum Discalceatorum fiat servata inter quatuor Provincias Congr. hujusmodi; itaut eveniente casu, quo Vocales Indiarum Capitulo tempori adessenon valeant tunc unus Frater Provinciæ subsequentis in ordine in Vicarium eligi debeat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ECclesię Catholicę regimini auctore Deo præsidentes, ad ea, per quæ felici Congregationum virorum leve Christi jugum sub arctioris vitæ regula trahentium directioni, & gubernio consulitur, propensis studiis intendimus, illaque libenter cum a Nobis petitur Apostolici muniminis præsidio constabilimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Gen. Congregationis Hispaniæ, & Indiarum FF. Discalceatorum nuncupatorum Ord. Eremitarum S. Augustini, quod in ejusdem Congregationis Capitulo Gen.novissime in Oppido Civitate nuncupato de Calayud in Aragonia celebrato determinatum fuit pro majori quiete electionis Vicarii Gen. dictæ Congreg. hujusmodi,servata inter B.M.V. in Columna Aragoniæ, & S. Augustini Castellæ novæ, & veteris, necnon S. Thomæ de Villanova Bethicæ superioris, & inferioris, ac S. Nicolai Tolentinatis respective nuncupatas Insularum Philippinarum in Indiis Provincias Congregationis præfatæ alternativa, sicut in Congregatione Italiæ FF. Discalceatorum ejusdem Ord. observatur, incipiendo a memorata Provincia Aragoniæ, fieri debere; itaut eveniente casu,quo Vocales Indiarum Capitulo pro tempore celebrando tempori adesse non valeant,tunc unus Fratrum Provinciæ subsequentis juxta ordinem supra expressum in Vicarium Generalem primodictæ Congregationis eligi debeat. Quare dictus Procurator Gen. dilectorum filiorum FF.Provinciarum prædictarum nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Procuratorem Generalem, & Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes,& eorum singulares personas a quibusvis excommuuicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati prænarratam alternativam electionum Vicarii Generalis Congregationis hujusmodi, tanquam Religiosorum tranquillitati, & bono regimini memoratarum Provinciarum proficuam, & consentaneam modo, & forma supra expressis, quatenus (ut asseritur,in Capitulo Generali novissime celebrato legitime fuerit obtenta, auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac juxta præfati Capituli decretum desuper emanatum fieri, & observari circa eandem alternativam mandamus, & præcipimus.

Decretum irritans. §.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit. §.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis,necnon quatenus opus sit Congregationis Hispaniæ, & Indiarum ejusque Provinciarum hujusmodi, & aliis quibusvis &c. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisq. contrariis quibuscumque.

Dat. Feb. An.V. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 23. Februarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXXIII.

Ex Reg. Secret. Confirmatio quorumdam Decretorum Capituli Provincialis Prov. S.Joannis tertii Ord. S. Francisci in Gallia, per quæ providetur diversis casibus per statuta generalia omissis in casu mortis Provincialis, & vacationis officiorum Definitorum actualium d. Provinciæ, nempe, ut alii certa forma subrogentur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Prov. S. Ivonis in Gallia Tertii Ord. Sancti Francisci, quod ipsi in eorum Capitulo Provinciali congregati ad evertenda gravia continuorum tam ad hanc Sanctam Sedem, quam ad dilectum filium Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum in occurrentibus casibus, quibus per statuta generalia primodicti Ord. provisum non est,recursuum inconvenientia, nonnulla Decreta, semel iterumque consentiente eodem Ministro Generali,unanimiter ediderunt tenoris,qui sequitur,videlicet.

Si

Si Provincialem Ministrum in officio mori contigerit, Guardianus loci, ubi obierit, & Secretarius defuncti, scripturas quascumque ad Provinciam, & negotia quovis modo spectantes, nihil omnino legendo, minoribus Provinciæ, & loci Sigillis bene munitas ad Provincialem novissime absolutum, vel eo deficiente ad antiquiorem in Religione Patrem, qui Provincialatus, vel Provinciæ Vicariatus, vel utriusque defectu, qui Definitoriatus officio functus fuerit una cum sigillis Prov. deferant, & assignent; Prædicta vero, ubi Provincialis absolutus, aut unus ex supradictis juxta præscriptum ordinem acceperit, is absque mora convocato Definitorio faciet Vicarii Provincialis electionem, in qua votum activum ipse cum Definitoribus, tam actualibus, quam qui olim facere habebit; passivum vero omnes, quos ad Provincialatum habere statuta decernunt: Quod si Minister Generalis intra tres dies consistat, consulendus est, & ejus responsio expectanda, si tamen longius absit, eo inconsulto fiat electio: In Capitulo autem Provinciali proxime sequenti, si biennio integro, seu in duobus Definitoriis consecutivis Provinciæ Vicariatu functus fuerit, ad Provincialatum minime assumi valeat, sed toto triennio consequenti Exprovincialatus jure gaudeat.

Si quis Definitor actualis moriatur, sive alia ratione vacaverit, ejus loco subrogetur, & pro subrogato habeatur, ipso facto, qui antiquior in Religione Provincialatus, vel Vicariatus Provincialis, & iis deficientibus Definitoriatus munere alias functi sunt, si vero tales defuerint, subrogentur Guardiani actuales in Religione antiquiores, subrogatus autem ultimum locum in consessu habeat inter reliquos Definitores, & in Capitulo Provinciæ proxime subsequenti ad hujusmodi Definitoriatus munus assumi minime valeat, si biennio integro in eo munere extitit, seu duobus Definitoriis adfuerit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, d. Exponentes Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præinserta Decreta attente, ac mature discusserunt, & examinarunt, consilio, eadem Decreta, tanquam Provinciæ præfatæ bono regimini consentanea, auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac proinde juxta eorum formam, & tenorem in casibus expressis, perpetuis futuris temporibus in eadem Provincia observari mandamus, & precipimus.

Præstat Pontifex.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Præsentes literes confirmat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, primodicti Ordinis, & Provinciæ, aliisque quibusvis &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die 26. Februarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Dat. die 26. Febr. 1660. An.V.

CCLXXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Absolutio, & Dispensatio super minus canonica Consecratione impensa, & respective suscepta ab Episcopis Civitatum Assumptionis, & Tucamanen. in Indiis Occidentalibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. Alias pro parte Ven. Fratris Episcopi Civitatis Assumptionis nuncupat. Provinciæ Paraquariensis in Indiis Occidentalibus Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum exposito, quod ipse Episcopus possessionem Ecclesiæ Civitatis Assumptionis hujusmodi apprehendisset, & se a Ven. etiam Fratre Episc. Tucamanen. consecrari curasset, non præsentatis Literis Apostolicis provisionis, & præfectionis suę in Episcopum ejusdem Ecclesiæ, quæ tamen revera concessę prius, & expeditę fuerant, deque ipsa concessione, & expeditione præviis quibusdam informationibus aliqualiter constabat; Quodque consecratio hujusmodi ab unico prædicto Episcopo Tucamanen. assistentibus duobus de Capitulo Canonicis peracta fuisset, non exhibito Apost. dispensationis indulto, quod tamen re ipsa pridem concessum fuerat, & sub aliquali hujus concessionis notitia, aut saltem præsumptione (quia scilicet Sedes Apostolica solita sit circa numerum Episcoporum dispensare cum Episcopis consecrandis in Indiis) prænarrata consecratio facta fuerat: Ac quęsito primo. An prædicta possessio non præsentatis Literis Apostolicis apprehensa fuerit legitima? Secundo. An prænarrata consecratio, ut supra peracta fuerit valida? Præfata Cardinalium Congreg. die quidem prima Septembris 1657, respondit ad primum, non fuisse legitimam. Ad secundum vero eadem Congregatio die 15. Decembris d. anni, re mature discussa, secundum ea, quæ proponebantur, respondit supradictam Consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem characteris

cteris fuisse validam; Quantum vero spectat ad licitam executionem Ord., fuisse irritam, & inanem, & Episcopum ita consecratum, ac respective consecrantem, indigere absolutione, & dispensatione.

§. 2. Quare pro parte eorumdem Civitatis Assumptionis, & Tucumanen. Episcoporum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum statui, opportune in præmissis providere de benign. apost. dignaremur.

Supradicti Episcopi a censuris absolvuntur.

§. 3. Nos igitur specialem eisdem Episcopis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, ipsos Civitatis Assumptionis, & Tucumanen. Episcopos, & eorum singulos a censuris, & pœnis ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis, sicut præmittitur, peractæ quoquo modo respective incursis, & quas ipsi incurrisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, auctoritate apostolica tenore præsentium absolvimus, & plenarie liberamus: Ac cum eisdem Episcopis, & eorum singulis super irregularitate per eos premissorum occasione quomodolibet contracta, ita, quod illa, & eisdem præmissis non obstan., dummodo nullum aliud Canonicum eis respective obstet impedimentum clericali charactere, quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis uti, ac in susceptis per eos pariter rite quatuor minoribus, necnon Sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, Episcopaliaque munia obire, exequi, & exercere libere, & licite possint, & valeant auctoritate, & tenore prædictis dispensamus.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus præmissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Pœnitentiæ per Episcopos adimpleri mādat.

§. 5. Volumus autem, ut d. Episcopi pœnitentiam, quam eis respective Sacerdos idoneus propter præmissa imposuerit, omnino adimpleant, alioquin præsentes quoad absolutionem, eis in foro conscientiæ nullatenus suffragentur.

Dat. die 27. Feb. 1660. An. V.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die 27. Februarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CCLXXXV.

Aggregatio Monasteriorum S. Viti de Urbe Claræ Vallis de Castagnola Senogallien., Casæ Marii Verulan., Fossæ novæ Terracinen., de Ferraria Thean., Regalis Vallis Nolan., ac Casæ novæ Aprutii Pennen., seu nullius respective Diecesis, & eorum Religiosorum Congreg. Romanæ Cistercien., cum Congreg. Italiæ Provinciæ Tusciæ ejusdem Religionis sub directione, & gubernio Patrum Regiminis nunc, & pro tempore existen. d. Provinciæ Tusciæ, cum diversis pactis, & conditionibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exord.

Pastoralis officii humilitati nostræ divinitus crediti ratio postulat, ut paternam Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum curam gerentes, ea libenter concedamus, quæ felici prosperoque illorum regimini, & gubernio conducibilia fore in Domino arbitramur.

Suppl.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vincentius Burellus Abbas Præses Congregat. Romanæ, & Ferdinandus Ughellus Abbas Monaster. SS. Vincentii, & Anastasii ad tres Fontes Procurator Congr. Italiæ, & Provinciæ Tusciæ Monachorum Ord. Cistercien., quod idem Vincentius Præses, cæterique Superiores d. Congreg. Romanæ una cum Superioribus Congr. Italiæ Provinciæ Tusciæ Ordinis hujusmodi, prævia matura deliberatione tractatum inter se habuerunt, ut quædam Monasteria, videlicet S. Viti de Urbe, Claræ Vallis de Castagnola Senogallien., Casæ Marii Verulan., Fossæ novæ Terracinen., de Ferraria Theanen., Regalis Vallis Nolan., ac Casæ Novę Aprutii nuncupat. Pennen., seu nullius respective Diœcesis, atque eorum Religiosi unirentur & aggregarentur prædictæ Congregationi Italiæ sub directione, & gubernio Patrum regiminis nunc, & pro tempore existentium memoratæ Provinciæ Tusciæ, ad hoc, ut in eisdem Monasteriis magis conservetur, & incrementum accipiat divinus cultus, & monastica disciplina, sine tamen præjudicio contributionum Capitulo Generali debitarum.

Sequ. Exposit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat d. Exponentes unionem hujusmodi a Nobis fieri plurimum desiderent, sub conditionibus tamen, & pactis infrascriptis, videlicet; Quod Superiores Prelati ad præsens existentes in Monasteriis, quæ unienda, & congreganda venerint Congregationi Italiæ sub Provincia Tuscię maneant Superiores Prælati eorumdem respective Monasteriorum usque ad proximum Capitulum in Congregatione celebrandum juxta normam, & dispositionem Constitutionum ipsius Congregationis Cistercien. Italiæ, gratiis, privilegiis, gaudeantq; iisdem, & cum iisdem honoribus, & oneribus, quibus gaudent cæteri Abbates ejusdem Congreg., nomine autem Abbatis minime gaudent, nisi in suis respective Monasteriis degant actualiter saltem sex Monachi; Quod quotiescumque ex ipsis Monasteriis uniendis aliquam Prælaturam vacare contigerit habeatur ratio per Patres Regiminis juxta debitam justitiam distributivam, ut eligatur ex iisdem Religiosis, qui aggregandi venerint, dummodo reperiantur habiles, habeantque cætera requisita ad normam Constitutionum Congre-

gregationis Italiæ, alias eligantur ad arbitrium Patrum Regiminis. Ex eo quoque, quod Monasteria, quæ aggreganda veniunt, distent a Monasteriis, in quibus Capitulum celebrari solet, ideo Prælati Monasteriorum S. Viti de Urbe, ac Claræ Vallis in Castagnola tamquam proximiores cum suis respective Discretis eligendis ad normam Constitutionum semper ad prædicta Capitula accedere teneantur; cœteri vero Prælati, videlicet Fossæ Novæ, Casæ Marii, de Ferraria, Casæ Novæ, ac Regalis Vallis teneantur per sex menses ante celebrationem Capituli docere Patres Regiminis ex redditibus Monasteriorum tantum superesse, ut commode, & sine ullo detrimento eorum Monasteriorum se cum suis respective Discretis eligendis, ut supra, ad prædictum Capitulum accedere, & ab ipso recedere, necnon taxam ipsius Capituli celebrandi solvere valeant, ac possint, super quod decretum a Patribus regiminis obtinere debebunt, ad effectum, ut tamquam Capitulares admitti possint. Quod Pater Præses, ac Visitatores prædicta Monasteria unienda per se ipsos, sicuti alia Monasteria Congregationis visitare teneantur. Quod tot nationales Monasteriorum uniendorum ad habitum Religionis admittantur, quot ex redditibus ipsorum sustentari queant, approbandi tamen, & admittendi ad habitum Religionis suscipiendum per Patres Regiminis. Ex eo quod Monasterium S. Viti, & ipsius redditus instituta sint pro Collegio, & educatione Juvenum Monasteriorum præd. pro navando operam studiis, ideo ad talem effectum conservetur, imo potius Patres Regiminis curabunt augeri redditus, ut si fieri possit constituatur formale Collegium totius Congreg. Et quia sæpe sæpius contingit, ut Superiores, sive Religiosi Monasteriorum Fossæ Novæ, Casæ Marii, & aliorum in Regno Neapolitano existentium pro negotiis eorumdem Monasteriorum moram non patientibus ad Urbem accedere debeant, ideo Patres Regiminis possint delegare facultatem Abbati trium Fontium, sive Abbati S. Viti, prout eis melius visum fuerit concedendi licentiam ad Urbem accedendi, salva tamen in hujusmodi licentiis concedendis dispositione Constitutionum. Quod pro expensis publicis faciendis ad bonum commune, & universale Congreg. Monasteria aggreganda concurrere debeant, taxanda per Patres Regiminis, sive Patres Definitores, habita ratione facultatum eorum. Quod Monasteria prædicta aggreganda debitas contributiones Capitulo Gen., sive Patri Gen., aut Procurat. Gen. legitimum, & speciale mandatum procuræ habenti solvere teneantur. Quod saltem unus Abbas ex prædictis Monasteriis uniendis (cessante legitimo impedimento, cum sufficiente Patrum Regiminis ad Capit. Generale in Gallia adire teneatur.

§.3. Nobis propterea ipsi Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate apost. dignaremur. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione nonnullorum dilectorum filiorum Rom. Cur. Prælat., quibus hoc negotium commissimus examinandum, suprascripta Monasteria, & eorum Religiosos Congr. Rom. Cistercien. cum Congr. Italiæ Prov. Tusciæ, cum conditionibus, & pactis supra exaratis, auctoritate apost. tenore præsentium perpetuo unimus, & aggregamus. Exponentes à censuris absolvuntur.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos &c. definiri debere, ac irritũ, & inane, si secus &c. contigerit attentari. Clausulas necessarias apponit.

§.5. Non obstan. præmissis, ac Constitut., & Ordinat. Apost., necnon quatenus opus sit prædictarum Ordinis, & Congreg. ac Prov., & Monasteriorum hujusmodi, aliisve quibusvis &c. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V. Dat. die 5. Mart. 1660. An. V.

CCLXXXVI.

Revocat omnes contractus, qui contrariantur paupertati, & bono regimini Ordinis Cisterciensis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Gen. Ord. Cisterciensis, quod licet omnes Monachi d. Ord., tam stricte ad observantiam paupertatis teneantur, ut Capitulum Gen. ejusd. Ord. an. 1605. celebratum revocaverit omnes, & quascumque licentias, & dispensationes cujuscumque privati rerum, & bonorum usus, proprietatis, possessionis, & dominii per quoscumq. Superiores d. Ord. ex quibuscumque causis concessas, eamque revocationem ipsius Ord. Capit. Gen. an. 1651. renovaverit cum injunctione observationis exactæ Decreti Concilii Trid. sess. 25. cap. 2. de Regularibus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ opponentibus sese huic executioni, & observantiæ, & inhabilitatis ad quævis officia, gradus, & dignitates, ac insuper contractus a quibusd. Abbatibus Regularibus cum suis Monachis initos pro separatione mensæ Conventualis ab Abbatiali censuerit esse rescindendos tanquam paupertati Religiosæ contrarios, eosque in posterum a quoquam attentari prohibuerit, nullusque sit in Regno Galliæ præd. Ord. professor, qui in suo Novitiatu ad vitam communem, & præd. paupertatis observantiam non fuerit instructus, educatus, & obligatus. Exordium.

Ni-

§.1. Nihilominus nonnulli Religiosi ejusd. Ord. in Gallia dd. Abstinentes, seu strictioris observantiæ, sub prætextu introducendi in Monasteria abstinentiam a carnibus, quarum usus certis diebus a Sede Apost. concessus est, certos ineunt contractus, transactiones, & concordata cum antiquis Ord. hujusmodi Religiosis, quibus certas pensiones in pecuniis, & fructibus promittunt, & distribuunt, eosque a majori, & præcipuo onere Chori, aliisque observantiis, ad quas ex professione tenentur, liberantes evidenti relaxationis, & perditionis periculo exponunt, dummodo eis solis privative quoad alios Monasteriorum administrationem, & regimen tam in spiritualibus, quam in temporalibus, liberamque Officialium, & Superiorum electionem, tam quoad vocem activam, quam passivam cedant.

§.2. Cum autem, sicut ead. expositio subjungebat, contractus, transactiones, & concordata hujusmodi, non in ædificationem, sed in evidentem præsentium Religiosorum ruinam spiritualem vergant, dictusque Procurator Gen. propterea de opportuno in præmissis remedio a Nobis provideri summopere desideret. Nos ipsum Procuratorem Gen. specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, &c. absolventes, & absolutum fore censentes.

Contractus supradictos revocat, atque condemnat.

§.3. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regul. præpositorum, qui rem diligenter, & mature discusserunt consilio, attentis narratis, contractus, transactiones, & concordata, de quibus supra agitur, fuisse, & esse illicita, ideoque hucusque inita nulla, & invalida fuisse, auctoritate Apost. tenore presentium declaramus, & decernimus; prohibemusque, ne in futurum sub ejusd. nullitatis, & invaliditatis, necnon sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorumque, graduum, & dignitatum quarumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad ea, & quælibet alia in posterum obtinenda per hujusmodi contrahentes, transigentes, & concordantes eo ipso incurrendis pœnis, talia concordata, transactiones, & contractus ullatenus celebrentur.

Clausulæ apponuntur necessariæ.

§.4. Decernentes pariter easd. præsentes lit. semper firmas, &c. inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. necnon quatenus opus sit, d. Ord., ejusque Monasteriorum quorumvis etiam juramento, &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. ad præmiss. effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisq. contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumd. presentium transumptis manu &c. ead. prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur; quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 8. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXXVII.

Confirmat Decreta noviter edita, pro regularis disciplinæ instauratione in Religione Min. Convent. S. Francisci,

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exord.

INscrutabili divinæ Sapientiæ arcano in Sacra Principis Apostolorum Cathedra, meritis licet imparibus, collocati, illis quæ pro felici religiosorum Ord. in Ecclesia Dei pie, sancteque plantatorum, ac uberes bonorum operum fructus proferre jugiter satagentium directione, & gubernio provide dignoscuntur emanasse, libenter cum a Nobis petitur, Apost. muniminis adjungimus firmitatem.

Suppl.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilect. filius Ludovicus de Vatesio Procurator Gen. Ord. FF. Min. S. Francisci Conventualium nuncupat., quod alias a Definitore gen. ejusd. Ord., ad necessarium regularis disciplinæ præsidium, & incrementum, edita fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet:

Generale Definitorium Romæ congregatum an. 1659. Præsidente Rmo P. Magistro Jacobo Fabretto de Ravenna Ministro Gen., cupiens eid. Ministro adjutricem dare manum pro instauratione Regularis disciplinæ Ord., non ab observantia Urbanarum Constitut. declinare, sed ejusd. observantię indemnitati consulere arbitratur, dum dubia aliquot contingentia enodare, & nonnulla, quæ tempori minus adaptata comperta sunt, modificare (ablegatis, quę in contrarium inoleverunt corruptelis) opportunum censuit idcirco sequentes declarationes, sanctionesque subtexere, & SSmo exhibere decrevit, ut Apost. confirmationis robore implorato, insertas eas dd. Urbanarum Constit. volumini habeamus, veluti totius operis coronidem.

Primo igitur districte injungitur cuilibet Provinciæ Definitorio, ut in proximo futuro Capitulo requisita examinare non negligat Magistrorum suorum ad Lauream promotorum ab ultimo Capit. Gen. ad hęc usque tempora; soli vero admittantur per secreta suffragia, qui ad præscriptum Urb. Constit. instituti probabuntur; arceantur vero in fraudem promoti, & absque expressa Sedis Apost. facultate.

Teneatur etiam idem Definitorium in proxima Congreg. Provinciali requisita itidem examinare cujuslibet Definitoris perpetui meritorum titulo instituti post Capitulum

tulum Gen. præfatum, & hi solum approbentur secretis suffragiis, de quorum meritis legitime constiterit, ad tenorem dictarum Constitut., cæteris exclusis, quavis possessione non obstante, & omni meritorum æquiparantia explosa, excepta lectura triennali supra cursum duod. annor. quam in supplementum indulgendam fore decernimus Regentibus studiorum, quibus non contigit sortiri munus Regentiale in aliquo Religionis Collegio.

In posterum etiam idem Definitorium cujusvis Provinciæ Vocalium, Magistrorum, & Definitorum suorum, quos absque expressa Sedis Apost. facultate noviter institui contigerit, requisita ut supra, recognoscere, & examinare teneatur in primo Capitulo Provinc., & Capitulari Congreg. post eorum institutionem, & illi dumtaxat admittantur ad votum electivum qui per secreta suffragia ab eod. Defin. approbati fuerint, tanquam canonice instituti.

Prærogativas minores, quibus consueverе Ministri Gen. FF. simplicium aliquos declarare graduatos, annuimus concedendas esse iisd. FF., non solum ob Magisterium Novitiorum, ob meritum operum Musicalium, ad tenorem Constitutionum, verum etiam ob missiones, ob conspicuas conciones, ob curam animarum, ob munus confessarii, ob lecturam Seminariorum, & hujus ponderis similia onera spatio duodecim saltem annorum laudabiliter peracta, & hoc ad alliciendum præmio eorum animos, qui plerumque fastidiunt talium functionum subire labores.

Verum Provinciæ paternitatem ex merito decernitur indulgendam esse solis Sacræ Theologiæ Magistris, non tamen solo titulo laborum in exercitio lecturarum ad præscriptum Constitutionum, verum etiam titulo Concionum, dummodo quindecim annor. curriculo munus hujusmodi obierint in insignioribus Ecclesiis, super quibus interveniat testimonium Definitorii per secreta suffragia exprimendum, non vero per solas subscriptiones, cum aliquando exortas potius quam impetratas esse non ignoremus.

Cum vero in orbe Religionis præcellere etiam censeantur præstantes vitæ sanctimonia, vel regiminis experimento, nostra interesse arbitramur, hos etiam ad Provinciarum paternitatem promoveri, quippe qui enituntur, non privato, sed publico velificare commodo, non suæ, sed Religionis ancillari gloriæ: exoratur itaque Sanctitas Sua, ut (abrogata lege posterius lata) jubeat horum etiam habendam esse rationem in distributione quatuor Provincialatuum Titularium ad pristinam formam Constitutionum Urbanarum.

Porro ad compescendum omnem hujusmodi Prælaturæ, & cujuscumque etiam alterius dignitatis consequendæ in Religione ambitum, eorum maxime quos ad Principum favores confugere non putent pro consequutione illarnm, præter pœnas in Constitutione 116. Pauli V. fel. rec. comminatas, hoc similia implorantes suffragia pœnam etiam excommunicationis latæ sententiæ Sanctissimo reservatæ, ipso facto incurrere, subireque decernimus.

Ne de cætero in Provinciis Definitorum excessivus sit numerus, statuitur, ut in Provinciis primæ classis sint tantum decem, & octo Definitores perpetui, secundæ classis duodecim, tertiæ classis novem, quartæ classis sex: declaramus tamen PP. Provinciæ naturales nunquam a Definitorio expungendos esse, etiamsi plures numero sint; si vero Definitorum naturalium minor præscripto sit numerus, ex reliquis Definitoribus ob meritum institutis suppleatur juxta eorum antianitatem usque ad præscripti normam calculi, si qui supersint eorumdem Definitorum ex merito excedentes numerum præfixum, nomen utique Definitoris retineant, præcedantque simplices Sacræ Theologiæ Magistros, non vero suffragia ferant in electionibus, nisi postquam eos ordine supradicto contigerit subrogari in locum demortui. *Sequuntur motiva.*

Cum etiam hisce temporibus excessivum experiamur numerum Collegialium laureandorum, decernitur, ut in posterum in Collegiis Assisiensi, Patavino, Bononiensi, & Neapolitano (reliquis in pristino statu permanentibus) numerus ad duodenarium reducatur, quorum sex tantum antiquiores in fine Collegii sortiantur Baccalaurei ad Collegium promovendi, vocatis singulis trien. pro quolibet Collegio duodecim tantum, ex quibus sex peritiores seligendi sunt.

Ad crebras perturbationes eliminandas ob præcedentes controversias, declaramus inter privatos ubique primum locum deberi Patribus officio Generalatus, vel Vicarii Apostolici functis, qui uni tantum Superiori (scilicet digniori, si plures adsint) actu præsenti in Conventu, vel Civitate locum cedere tenentur; secundum locum, post Superiores actu deberi iis, qui fuerunt Gen. Ord. Procuratores in Rom. Cur.; tertium locum Provincialibus, & Assistentibus Ord. officio absolutis; quartum Patribus Provinciæ ex merito institutis, quibus cedere etiam teneantur, si qui urgentiori aliqua ratione, gratioso Decreto ad paternitatem eam habilitarentur; quintum Sacræ Theologiæ Magistris; sextum Baccalaureis Collegialibus, si quos aliqua impotentia contingeret non promoveri ad Magisterium, cæteris non Collegialibus Baccalaureis ab hac prærogativa subductis, septimum Patribus simplicibus graduatis, scilicet patentibus literis a Generali ob meritum decoratis; octavum cæteris non graduatis, salvo in quolibet gradu ordine antianitatis ad formam Urbanarum Constit.

Declaratur demum Decretum Urbanæ Constitut. de non admittendo ad probationem, vel professionem ante aggregationem, ita esse intelligendum, ut nullus deinceps Novitius ad probationem admittatur, nisi de prævia aggreg. legitime constiterit.

Quoniam vero optima rationis urgentia Sa-

Sacra Congreg. Universalis Inquisitionis aliqualem meritorum æquiparantiam inire nos edocuit, ut prædictum Definitoriale munus in præmium vertatur pari passu Insignioribus Ministris S. Officii, idcirco in promotione ad Paternitatem Provinciæ Consultores Inquisitionis in Cur. Rom. Assistentibus Ordinis æquiparandos esse decernimus: Vicarios Gen. (dummodo Sacræ Theologiæ Magistri sint) Regentibus Gymnasiorum: Consultores itaque ad instar Assistentium, naturalem Paternitatem Provinciæ, sui muneris ratione nanciscantur; Inquisitores vero (si Patres Provinciæ ex merito instituti fuerint antequam onus Inquisitionis sortiantur) naturalem pariter Paternit. novi oneris exercitio consequantur; si vero prius Patres non extabant, ad Paternitat. tantum ex merito, ad instar Regentium, ut præfertur, promoveantur; ut autem præmia non contingant præcocia, quæ virtutis incrementa morantur, d. Paternitatem non sortiantur præfati Ministri, nisi proportionata methodo cum Regentibus, Concionatoribusque Religionis, nempe Consultor in Curia post sextum, Inquisitores post duodecimum, Vicarii dicti post decimumquintum sui oneris expletum annum: si autem contingeret horum Ministrorum aliquos duplici Ministerio, intermedio tempore, functos esse, scilicet Regentis in Religione, & Inquisitoris, vel Vicarii in S. Officio, tunc promiscue calculus annorum computetur ab utriusque muneris functione, itaut defectus præscripti temporis in primo Ministerio suppleatur ex secundo.

Ministri vero inferiores S. Officii ab ipsismet Inquisitoribus deputati, æquiparentur tantum Magistris Seminariorum, & Patribus simplicibus graduatis, ut promoveri possint post duodecimum sui oneris annum ad votum electivum in Capitulis Provincialibus, pro electione Ministri Provincialis ferendum.

Si quis vero horum Ministrorum Baccalaureus sit, studiisque Scholasticæ addictus, & in concursu, & examine pro promovendis ad Collegia idoneus repertus fuerit, alicui Collegio Religionis adscribatur, dispensetur autem a residentia Collegii toto tempore, quo jussus fuerit suam alibi navare operam in obsequium S. Officii; elapso autem triennio, pari jure, & methodo cum aliis ejusdem Collegii Concollegialibus Lauream Magisterii consequi valeat.

Nullus demum præfatorum Ministrorum ad eas promoveatur prærogativas in retributionis vicem, nisi prius per literas commendativas, & patentes de Sac. Congregationis licentia obtentas, sui Ministerii laudabiliter functi merita probaverit.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Ludovicus Procurator Generalis Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & inviolabili observatione, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio roborari plurimum desideret: Nos ipsum Ludovicum Procuratorem Gen. specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Decreta inserta firmat.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, d. Ord., ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, & aliis quibuslibet &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, manu &c. eadem prorsus fides adhibeatur ubique in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Dat. Mar. An. V.

CCLXXXVIII.

Quod in causa Fabricæ Genuensis Collegii Societatis Jesu, & FF. Min. de Observantia Nunciatæ, Presbyteri Societatis non possint impediri quominus cœptam Ecclesiam perficere possint.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri Regulares Collegii Genuensis Societatis Jesu, quod in causa fabricæ inter ipsos Exponentes ex una, & dilectos pariter filios Fratres Conventus Genuensis Ord. FF. Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum ex altera partibus vertente, alias, videlicet die 23. Augustii 1652. Congreg. tunc existentium S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus pluries auditis, juribusque hinc inde deductis mature perpensis, censuit revocandam esse prohibitionem, omneque prorsus removendum impedimentum, prout per suum Decretum eadem die emanatum revocavit, & removit prædictis Exponentibus, quominus cœptam d. Collegii Genuensis Ecclesiæ structuram prosequi, & perficere possent; dummodo in angulo ejusdem Ecclesiæ Orientem versus, & e regione fenestræ magnæ

Exposit.

gnæ ambulacri infirmariæ FF. Min. prædd. proprium murum ad Balbos olim pertinentem transgredi, aut aliquam servitutem, etiam stillicidii, in subjectam aream, seu vacuum inferius eorumdem FF. Min. inducere nequirent, & ita observari mandavit, contrariis quibuscumq; non obstan.

§.1. Et subinde cum in Signatura Gratiæ fel. rec. Innoc. PP.X. Prædecess. nostro deductæ fuissent novæ instantię dd. FF. Min. super fabrica novæ Eccl. Collegii supradicti, idem Innoc. Prædecess. negotium hujusmodi ad prædictam Cardinalium Congregationem remisit, ut desuper aliquem ex Auditoribus causarum Palatii Apost. deputaret, quæ Cardinalium Congregatio eam rem demandavit tunc existenti eorumdem Auditorum Decano, ut ille, vel alius, qui ipsi Decano videretur ex dd. Auditoribus, in causa hujusmodi procederet.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, & subsequenter ambę partes ab Auditorio Rotæ Rom. inhibitionem in forma expediri curaverit, causaque diu siluerit; Nos vero successive, prædictis omnibus narratis, & bene cognitis causam, & partes prædictas ad memoratam Cardinalium Congreg. remisimus, ut eademmet negotium expediret, & super expeditione perpetuum silentium imponeret; Et subinde prædictis Fratribus Minoribus coram dilecto filio nostro Marco Antonio tit. Sanctæ Mariæ de Pace S.R.E. Presbytero Cardinale Franciotto nuncupato, ejusdem causæ Ponente, ac coram dilecto filio Secret. d. Congreg., ipsaque Congreg., pluries citatis, necnon in contradictorio auditis, pluribusque dilationibus concessis, & denique facta oppositione per dd. FF. Min., mediantibus præcibus Nobis porrectis, ut denuo causa ad Auditorium Rotæ præd., vel Signaturam nostram remitteretur, Nos per d. Cardinalium Congreg. procedi mandamus: Cumque exhibita fuerint ex utraque parte jura, & scripturæ, dictique Exponentes, ut tandem huic controversiæ finis imponatur, opportune a Nobis in præmissis provideri plurimum desiderent.

§.3. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de pred. Congreg. Ven. FF. nostrorum ejusdem S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, quæ patribus pluries citatis, auditis, & informantibus rem exacte, & mature discussit, ac in Decretis sub die 23. Augusti 1652. standum esse censuit, consilio, auctoritate apostolica tenore præsentium revocamus prohibitionem, omneque prorsus removemus impedimentum præd. Presbyteris Societ. Jesu, quominus cœptam Collegii Genuensis Ecclesiæ structuram prosequi, ac perficere possint, dummodo in angulo ejusdem Ecclesiæ Orientem versus, e regione fene- *(Decretum confirmat.)*

stræ magnæ ambulacri infirmariæ dd. FF. Min. de Oobservantia, proprium murum dd. Presbyterorum Societ. Jesu, ad Balbos olim pertinentem transgredi, aut aliquam servitutem, etiam stillicidii, in subjectam aream, seu vacuum inferius eorumdem FF. Min. inducere nequeant. Ac dd. FF. Min. super negotio fabricæ præd., & omnibus præmissis perpetuum silentium auctoritate, & tenore prædictis imponimus, atque ita servari mandamus: salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari. *(Decretum irritans.)*

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Conventus, & Ord. præd., aliisve quibusvis &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq; *(Contraria tollit.)*

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V. *(Dat. die 12. Mar. 1660. An.V.)*

CCLXXXIX.

Statuit celebrationem Capitulorum Generalium Congreg. Camaldulen. Ord. Sancti Benedicti de cætero faciendam esse de quinquennio in quinquennium &c. *(Secret. Brev. Ex Regest. in)*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidentes, ad ea libenter intendimus, per quæ Congregationum virorum leve Christi jugum sub laudabili vitæ monasticæ instituto trahentium utilitati opportune consultum iri in Domino arbitramur. *(Procemium.)*

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii, Abbas Gen., ac Visitatores, necnon Procurator Gen., & Definitores Congregationis Camaldulen. Monachorum Ord. S. Benedicti, quod eadem Congregatio felici quidem in dies per Dei gratiam in spiritualibus augetur incremento sed magnam in temporalibus patitur diminutionem, illiusque Monasteria ob malam temporum conditionem, & nunc præsertim propter vilitatem prætii granorum, & aliorum bladorum, in quibus præcipue ipsorum Monasteriorum redditus consistunt, difficultatemque illa vendendi necessitate extrema præmuntur; itaut familias alere, onera incumbentia supportare, ac Ecclesias, ut decet, tueri vix possint. Qua temporalis status declinatione considerata Superioris d. Congreg. ei quidem rei consulere conati sunt, renovatis libris æstimorum, repartitis melius oneribus, di- *(Supplicatio.)*

diminuto numero eorum, quibus alimenta ab iisdem Monasteriis præstari solebant, prohibita novorum ædificiorum constructione, victu ad majorem frugalitatem restricto, moderatis etiam Superiorum provisionibus, ac denique rescissis cæteris omnibus expensis, nec tamen his omnibus, aliisque non inutilibus remediis adhibitis, optatum effectum habuit eorum industria: idque (ut quidem Prælatis senioribus experientioribusque videretur) ex eo, quod eorumdem Monasteriorum damnum, & impossibilitas illa prosperiorem in statum reducendi, ex brevitate guberniorum, seu administrationum triennalium derivat, docente experientia triennium rebus bene constabiliendis non sufficere; Nam Prælati primo quidem triennii hujusmodi an., ob graves expensas, & contributiones, quæ occasione Capitulorum Gen., itinerum, mutationis familiarum, aliarumque necessariarum provisionum fiunt, Monasteria pecuniis, aliisque assignationibus exhausta reperiunt, ac ut plurimum æs alienum contrahere coguntur, vixque tantum agere possunt, ut illa, quæ ad gubernium spectant, in aliquem convenientem statum redducant, secundo vero an. æri alieno quod primo an. contraxerunt, dissolvendo vix sunt pares, tertio autem rebus Monaster. componendis dant operam, ne illas implicatas relinquant, ac novas provisiones facere debent pro expensis, & contributionibus imminentis Capituli generalis: Unde Monasteriorum levamento, & utilitatibus incumbere nequeunt, quippe qui tempore, pecuniisque ad id necessariis destituantur. Atq; ita progreditur guberniorum successio, non sine ingenti præfatorum Monasteriorum detrimento.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, si Capitula Gen. Congreg. præfatæ de quinquennio in quinquennium celebrarentur, prout observatur in Cong. Cassinen. cujus institutis d. Congreg. Camaldulen. in cæteris se conformat, majores expensæ; Nempe Capitulorum Generalium hujusmodi, itinerum, ac mutationis Prælatorum, & Familiarum rarius fierent; Prælati vero majorem interea administrationum suarum peritiam adipiscerentur, & eorum auctoritas, & existimatio apud personas quibus cum est contrahendū cresceret, ipsique etiam spe videndi industriæ suæ fructum allecti, in culturam bonorum, unde redditus Monasteriorum præcipue dependent, sedulius, & vigilantius incumberent: Cumque dilecti filii moderni Congreg. præfatæ Camaldulen. Prælati aliqua munerum suorum prorogatione pro extinguendo ære alieno prosequendoque his calamitosis temporibus gubernio indigeant, ne in deteriora labantur res ejusdem Congreg., in qua (benedicente Domino) pax, & concordia nunc viget, itaut ex dilatione proxime futuri Capituli Gen. ipsa Congreg. nullum videatur detrimentum, sed maximum acceptura sublevamen. Nobis propterea dd. Exponentes, ad quos (ut asserunt) cura regiminis ejusdem Congreg. spectat humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, attentis narratis, celebrationem Capitulorum Gen. d. Congreg. Camaldulen. de cætero faciendam esse de quinquennio in quinquennium, itaut proxime futurum ejusdem Congregationis Capitulum Gen. demum finito jam cepto quinquennio habere debeat, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus: ea tamen lege, ut una dieta inter quælibet duo Cap. Gen. saltem tertio cujuslibet intercurrentis quinquennii hujusmodi anno celebretur.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.4. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictæ Congregationis Camaldulen. ejusque Monasteriorum quorumcumque, & aliis quibusvis &c. quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCXC.

Confirmat conventiones super jure Patron. Ducis Medinæ Sydoniæ in tres Conventus FF. Congreg. Hispaniæ Ord. B. Mariæ de Mercede Provinciæ Andalusiæ, & in totam Congreg.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Christo Proc. Gen. Congreg. Hispaniæ Ord. FF. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalc. nuncupat., quod cum dilectus filius Nobilis Vir Dux Medinæ Sydoniæ favorabilem semper, ac beneficum se præstiterit Recollectioni d. Congr., eidemque tres Conventus in Provincia Andalusiæ proprio ære, ac magnis sumptibus fundaverit, necnon publico, & solemni Instrumento alias sub anno 1621. se, suosque Hæredes, & Success. & bona in perpetuum obligaverit singulis Capit. gen. ipsius Congr. per sexennia celebrandis scuta sexcen. pro expensis uniuscujusque Cap. sustinendis eid. Congr. titulo eleemosynæ contribuere, & donare, prout

prout & trecen. singulis triennis pro expensis Cap. Provinc. Provinciæ Andalusiæ itidem eod. modo contribuere,& largiri, propterea d. Congr. gratitudinis nomine eid. Duci, ejusque in Ducatu pro tempore Successf. universalis patroni titulum, ad infrascriptos effectus,& prærogativas dumtaxat, & non alias indulsit, necnon jus patronatus honorificum cum prærogativis, & præeminentiis de jure Fundatoribus Reg. Monasteriorum debitis super prædd. tres Conventus ab ipso,ut supra in Provincia Andalusiæ fundatos concessit, seu concedi cupit cum indultis, & conventionibus contentis in Capitulis,tenoris,qui sequitur,videlicet.

Conventiones observandæ. §.1. Et primo presupposita contributione prænarrata per D. Ducem pro tempore, ut supra facienda, eid., & Successf. facultatem concedit nominandi,seu assignandi locum, & Monasterium, in quo Capit. Gen. pro tempore celebrari debeat: Ita tamen ut nominatio, seu assignatio præd. debeat fieri in anteced. Capit. pro subsequenti, & quatenus assignatus locus Recollectioni aliquam ob causam non placeret, liberum illi sit alibi ad suum libitum propriis expensis celebrare.

§.2. Et Religiosi omnes,qui ex universa recollectione in ipso Capit. gen. aderunt, per id temporis,quo idem Cap. perduraverit quotidie (si prænarrata eleemosyna scutorum sexcent. a D.Duce contributa,ut supra fuerit) Missam offerre teneantur pro Animabus Defunctorum Antecessf. D. Ducis pro tempore viventis.

§.3. Necnon semel in unoquoq. Capit. gen. Missa cantata solemnis cum vigilia pro antedd. Defunctis celebretur, descendentibus Religiosis omnibus interessentibus Capitulo in medium Ecclesiæ, ad canendum responsorium prope tumulum funebri apparatu erectum: Ita tamen ut per hujusmodi celebrationes Missarũ lectarum, & cantatæ, nullatenus impediatur satisfactio onerum, seu Missarum, quæ tunc,vel ex anterioribus quibuscumque obligationibus celebrandæ sint.

§.4. De fructibus operum omnium actus Communitatis nuncupat., quæ in unoquoque Cap. gen. fiunt,d. D. Dux,ejusque Successf., ut supra participes reddantur.

§. 5. In singulis Cap. gen. præcipietur, ut intra tempus ab uno Cap. gen. ad aliud intercedens, in unoquoque Monasterio totius Recollectionis Missa cantata,& a singulis Sacerdotibus una Missa lecta pro Patronis vivis, atque defunctis celebrentur.

§.6. Morientibus autem Duce,vel Ducissa pro tempore in quolibet Monasterio universæ Recollectionis Missa cantata cum officio Defunctorum recitetur, & singuli Sacerdotes Missam unam pro anima Ducis respective, vel Ducissæ defunctæ celebrare teneantur.

§. 7. Morientibus vero hodiernis DD. Duce, & Ducissa, in suffragium animarum suarum participes reddantur bonorum operum totius Recollectionis.

§.8. Prout & dd. hodierni Dux, & Ducissa, sicut etiam, & eorum Succesf. in Ducatu participes fiant spiritual. fructus,quem Religiosi totius Recollectionis orando, jejunando,aliaque pia opera,tam communia, quam particularia exercendo,ac præsertim Captiv. redimendo apud Deum lucrantur.

§.9. Itidem supposita prænarrata contributione scut. trec. per D. Ducem, & Successf. in Ducatu, ut supra facienda, eid. conceditur facultas nominandi, vel deputandi locum,seu Monasterium, ubi singulis trienniis celebrari debeat Cap. Prov. Provinciæ Andalusiæ; ita tamen ut nominatio ipsa fiat in anteced. Cap. pro subsequenti,& si locus nominatus aliquam ob causam Cap. minus placeat, liceat alibi propriis expensis celebrare, ut de Cap. gen. supra dictum est.

§.10. Religiosi omnes Sacerdotes, qui in Cap. Prov. Provinciæ Andalusiæ intervenient quotidie durante d. Cap. Missam celebrare teneantur pro Ducibus Patronis vivis, atque defunctis. Insuper ibi una Missa solemnis pro defunctis Patronis canetur, descendentibus Religiosis omnibus interessentibus Cap. ad medium Ecclesiæ, ad canendum responsorium prope tumulum funebri apparatu erectum. Ita tamen ut per hujusmodi celebrationes missarum, lectarum, & cantatæ, ut supra, non impediatur satisfactio onerum, & missarum ex Instituto Recollectionis, seu ex anterioribus obligationibus celebrandarum.

§.11. Et Patroni pro tempore participes reddantur fructus omnium operum, seu actuum Communitatis,quæ in singulis prædict. Cap. Provinc. Andalusiæ fient.

§.12. In quibus Cap. Prov. Andalusiæ, & in unoquoque eorum præcipiatur, quod quilibet Sacerdos ipsius Provinciæ intra tempus ab uno Cap. ad aliud intercedens in unoquoque Monast. ejus Provin. Missa cantata,& a singulis Sacerdotibus Missa una lecta pro Patronis vivis, atque defunctis celebrentur.

§.13. Sacerdotes Religiosi inservientes respective in Cap. Gen., & Prov Andalusiæ, ac proinde obligati ad celebrationem Missarum, ut supra, si durantibus dd. Cap. antedd. obligationibus non satisfecerint,teneantur ante celebrationem novi Cap. gen. aut Provin. respective satisfacere. Ita tamen ut nullatenus impediatur satisfactio aliorum ex Instituto Recollectionis debitorum, vel ex anterioribus obligationibus, ut supra dictum fuit.

§.14. In præfato Monasterio S. Lucar singulis feriis sextis, & Sabbathis in perpetuum per omnes horas diei, ac noctis debeat ab aliquo Fratre alterna vice fieri oratio ad Deũ pro animabus Fundatorum,ipsorumque Majorum, & Consanguineorum.

§.15. Postquam facta fuerit electio Commendatorum pro tempore trium Conventuum a dd. Patronis, ut supra, Fundatorum debeat significari D. Duci, & Patrono pro tempore, ad effectum ut si voluerit, suum honestum impartiatur assensum, juxta dispositionem Sac. Canonum.

XVI. Valeat Patronus pro tempore sibi assu-

assumere unum Religiosum ex d. Provincia Andalusiæ in Confessarium, cum facultate ipsum secum, etiam extra Provinciam abducendi: Ita tamen ut ad prædicta Superioris Regularis consensus accedat, qui si commode, & absque regularis disciplinæ detrimento fieri possit, illum præstabit. Præd. Confessarius in locis in quibus Recollectionis Conventus extiterit, in ipso, non autem extra Claustra commoretur.

XVII. Quatenus Patronus Dux pro tempore velit in locis sibi subjectis novum Monasterium FF., aut Monialium Ord. Recollectionis fundare, ex tunc censeatur habitus, & præstitus consensus quantum ad Recollectionem spectat: Ita tamen ut in reliquis serventur Constitutiones Bonif. VIII. Clementis VIII., atque Urbani VIII. Summorum Pontificum, aliaque prout de jure circa Fundat. novorum Conv. requiritur.

§.2. Cum autem sicut ead. Expositio subjungebat, præmissa in Divini cultus augmentum, dictæque Congreg. progressum sint cessura: Nobis propterea d. Antonius humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur eumd. Antonium specialibus favoribus, & gratiis &c.

Confirmat decretum.

§.3. Hujusmodi supplicationibus inclinati de Ven. FF. nostrorum S. R. E. Card. Conc. Trid. Interpretum consilio prædd. omnia Indulta, & respective conventiones modo suprascripto correctas, & reformatas auctoritate Apost. tenore præsentium concedimus, & respective approbamus, salva semper in præmissis auct. Congr. Card.

Clausulæ.

§.4. Decernentes &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos &c. ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus Constitutionib. &c. necnon quatenus opus sit, Congregat., & Provinciæ Andalusiæ hujusmodi, earumque Conven. quorumvis etiam juramento, confirmatione Apost., vel quavis firmitate alia roboratis statutis &c. Quibus omnibus, & singulis &c. ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq. contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Apr. 1660. An. V.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc., die 9. Aprilis 1660. Pontificatus nostri anno V.

CCXCI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Prorogatio concessionis fructuum unius mensis Eccl., & Beneficiorum Hispaniarum, & Sardiniæ pro Rege Catholico.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.
Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

ORthodoxæ fidei conservandæ, & propagandæ zelus, ac singularis erga hanc Sanctam Sedem devotio, aliaque Catholici nomine optimo jure insigniti Regis præclara merita, quæ in Majestate tua cœlesti gratia refulgent, plane exigunt, ut illi reddamur ad gratiam liberales.

§.1. Alias siquidem per fel. rec. Urb. PP. VIII. Prædecess. nostrum considerato, quod tu claræ mem. Philippi II., & Philippi III. Hispaniar. Regum Catholicorum, Avi, & Genitoris, aliorumque Majorum tuorum exemplo Christianæ Reipublicæ utilitati inservire, & non solum Catholicæ fidei defensioni, sed illius etiam prorogationi totis viribus incumbere desiderans, adeo ingentia expensarum onera subieras, ut non solum Regnorum tuorum ordinarios redditus, verum etiam omnia illorum æraria fere exhauseras, idem Prædecessor ad egregia utriusque Philippi Regis, Avi, & Genitoris, aliorumque Majorum tuorum, tuaque propria merita hujusmodi paternæ dirigens considerationis intuitum, laudabiles, & Deo maxime gratos conatus tuos adjuvandos ducens, tibi omnes, & singulos fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, in quibus etiam pensiones annuas quantumvis liberas, immunes, & exemptas, quas de cætero super illis apostolica auctoritate reservari contingeret, comprehendi voluit, unius integri mensis a die possessionis per infrascriptos Portionarios, necnon provisos, præfectos, seu institutos de Ecclesiis, seu aliis Beneficiis infra expressis habitæ, seu quæ per eos stetisset quominus possessionem hujusmodi adipiscerentur, computandi proportionabiliter ad ratam anni, & valoris deductis oneribus, quarumcumq; Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, mensarumq; Abbatialium, Prioratuum quoque, Præposituarum, Præpositatuum, Præceptoriarum, dignitatum etiam majorum, & principalium, Canonicatuum, Præbendarum, personatuum, administrationum, officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium (non tamen quoad curata eorum, quorum centum, quo vero ad simplicia, quorum fructus, redditus, & proventus valorem annuum viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excederent) necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacen., Cistercien., Præmonstraten., ac quorumcumq; aliorum Ordinum Regularium, ac Militiarum, præterquam S. Joannis Hierosolymitani, cæterorumq; locorum etiam exemptorum in Regnis Hispaniarum, & Insularum illis adjacentium, ac Sardiniæ, & de tuo Jurepatronatus, sive ad nominationem tibi legitime competentem disponi solitorum tantum existentium, de quibus quovis modo, etiam per translationem vacaturis quascumque personas quavis etiam Cardinalatus dignitate fulgentes ad præsentationem, seu nominationem tuam præfici, vel provideri, sive illas in eis quomodolibet instituti, seu quibus pen-

pensiones ipsas reservari contingeret, ut præfertur, per personas in dignitate ecclesiastica constitutas a tunc, & pro tempore existente suo, & Sedis Apostolicæ in Regnis prædictis Nuncio ad hoc specialiter deputandas a quibuscumq; Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Præceptoribus, Canonicis, Præbendatis, Rectoribus, & personis Secularibus, & Regularibus etiam militiarum hujusmodi, necnon Pensionariis prædictis cujuscumque dignitatis, etiam Cardinalatus, & conditionis forent, percipienda, exigenda, & levanda, tibique integre persolvenda ad 15. annos tunc proximos concessit, & assignavit: Et subinde voluit, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, & mandavit, ut personæ ad Ecclesias seu alia Beneficia supra expressa per te pro tempore præsentandæ, seu nominandæ in illarum præsentationis, seu nominationis expeditione de solvendo infra 4. menses a die adeptæ per eos Ecclesiarum, seu aliorum Beneficiorum hujusmodi possessionis computandos omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta unius integri mensis Ecclesiarum, seu aliorum Beneficiorum hujusmodi ad ratam illarum, & illorum valoris, ad quem fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujusmodi quinque annis tunc proxime decursis annuatim ascendissent, computatis, ad omne tuum, seu Ministrorum tuorum mandatum per cedulam bancariam, seu alias idonee caverent, & cavere tenerentur. Et postmodum rec. mem. Innoc. PP. X. Prædecess. pariter nostro pro parte ejusdem Majestatis tuę exposito, quod 15. anni ad quos concessio, & assignatio hujusmodi tibi per d. Urb. Prædecess. facta fuerat, dudum expiraverant, tuq; nihilominus post lapsum eorumdem annorum cum causæ ob quas concessio, & assignatio hujusmodi tibi facta fuerat adhuc durarent, a personis ad Ecclesias, seu alia Beneficia præfata per te interim præsentatis, seu nominatis cedulas bancarias, seu alias idoneas cautiones de solvendo omnes, & singulos fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta unius integri mensis Ecclesiarum, seu Beneficiorum hujusmodi ad rationem præfatam, & alias juxta formam literarum memorati Urb. Prædecess. super præmissis emanatarum exegeras, seu exigi feceras; Et propterea facultatem exigendi promissa per cedulas, & cautiones hujusmodi tibi per eumdem Innocentium Prædecess. tribui, necnon ob prædictas, & longe urgentiores causas abinde citra ortas concessionem, & assignationem præfatam, ac reliqua omnia in præfatis literis Majestati tuæ concessa, ad aliud ipsi Innocentio Prædecessori benevisum tempus extendi, & prorogari summopere desiderabas: Idem Innocentius Prædecessor tibi, ut omnia, & singula in cedulis, seu cautionibus per personas ad Ecclesias, seu Beneficia supra expressa per te præsentatas, seu nominatas, ut præfertur, datis, & factis ab eo tempore, quo præfati quindecim anni expiraverant, usque in illum diem ratione concessionis, & assignationis hujusmodi promissa, ab eisdem personis exigere, seu exigi facere libere, & licite posses, & valeres apostolica auctoritate licentiam concessit, ac ex tunc prout postquam promissa hujusmodi exegisses, illa tibi totaliter condonavit. Ac insuper assignationem, & concessionem prædictas iisdem modo, & forma, quibus præfatus Urbanus Prædecess. illas Majestati tuæ fecerat, & concesserat, ac juxta prædictarum ejusdem Urbani Prædecess. literarum seriem, continentiam, & tenorem Majestati tuæ ad decennium tunc proximum tantum prorogavit, & extendit, seu de novo concessit, & alias prout in diversis eorumdem Urb., & Innoc. Prædecess. lit. in simili forma Brevis, novissimis quidem ipsius Innoc. Præd. die 22. Octob. 1644. desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem sicut Nobis nuper pro parte ejusdem Majestatis tuæ expositum fuit, decennium præd. jamdudum expiraverit, tuque nihilominus post lapsum ejusdem decennii, causis, ob quas concessio, & assignatio, ac prorogatio hujusmodi tibi factæ fuerant adhuc durantibus, a personis ad Ecclesias, seu alia Beneficia præscripta per te interim præsentatis seu nominatis, cedulas bancarias, seu alias idoneas cautiones de solvendo omnes, & singulos fructus redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, unius integri mensis Ecclesiarum, seu Beneficiorum hujusmodi ad rationem præfatam, & alios juxta formam dd. literarum exegeris, seu exigi feceris; Et propterea facultatem exigendi promissa per cedulas, & cautiones hujusmodi a personis præfatis per Nos tibi pariter tribui, necnon ob præfatas, & longe urgentiores causas ab inde citra ortas concessionem, & assignationem præd., ac reliqua omnia in prædictis literis Majestati tuæ concessa ad aliud Nobis benevisum tempus extendi, & prorogari plurimum desideres: Nos præclarorum meritorum tuorum præfatorum intuitu, Majestatem tuam specialis favore gratiæ prosequi volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine tibi omnia, & singula in cedulis, seu cautionibus per personas ad Ecclesias, seu Beneficia supra expressa per te præsentatas, seu nominatas, ut præfertur, datis, & factis ob eo tempore, quo præfatum decennium expiravit in præsentem usque diem ratione concessionis, & assignationis, sicut præmittitur prorogatæ promissa, ab eisdem personis exigere, seu exigi facere, libere, & licite possis, & valeas tenore præsentium licentiam concedimus, ac ex nunc prout postquam promissa hujusmodi vigore præsentium exegeris, illa tibi totaliter condonamus.

Motiva sequuntur.

Præte-

§.3. Præterea aſſignationem , & conceſſionem prædictas iiſdem modo , & forma, quibus prædicti Urb. , & Innoc. Præd. illas Majeſtati tuæ reſpective fecerunt,conceſſerunt , & prorogaverunt, ac juxta præfatarum eorumdem Prædeceſſorum literarum ſeriem, continentiam, & tenorem eidem Majeſtati tuæ ad quinquennium proximum tantum auctoritate apoſtolica tenore præſentium prorogamus , & extendimus , ſeu de novo concedimus .

§.4. Decernentes,durante quinquennio per præſentes prorogato,Primates, Archiepiſcopos , Epiſcopos , Abbates , & denique univerſum Clerum ſecularem , & regularem prædictum, & quoſcumque, quibus ſuper fructibus, redditibus , proventibus , juribus, obventionibus,& emolumentis prædictis, penſiones annuas apoſtolica auctoritate verſari contigerit , in præfata ſolutione pro rata penſionum,ac menſis hujuſmodi parte concurrere debere , & obligatos eſſe , eoſque ſolutionem , ſive præſtationem hujuſmodi etiam occaſione præteritarum contributionum , impoſitionum , ſeu onerum , vel damnorum paſſorum, aut etiam enormis, enormiſſimę læſionis , vel quocumque alio prætextu in toto , vel in parte minime effugere , ſeu differre , dictoſque Primates , Archiepiſcopos , Epiſcopos , Abbates , univerſumque Clerum ſecularem , & regularem hujuſmodi portionem , & ratam partem penſionarios pro tempore tangentem ad effectum ſolutionis prædictæ detrahere , & retinere reſpective poſſe , ſicque , & non aliter per quoſcumq; Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores , ac S.R.E. Card. etiam de latere Legatos, & Nuncios quavis auctoritate fungentes ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi , & interpretandi facultate , & auctoritate judicari , & definiri debere , ac irritum , & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter , vel ignoranter contigerit attentari .

Confirmat. decretum.

§.5. Quocirca dilecto filio moderno , & pro tempore exiſtenti noſtro , & apoſt. S. in Regnis prædictis Nuncio per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per ſe , ſeu alium , vel alios , ut præfertur, deputandos , ubi , & quando opus fuerit , & quoties pro parte tua fuerit requiſitus præſentes literas , & in eis contenta quęcumq; ſolemniter publicans , faciat auctoritate noſtra tibi fructus, redditus, proventus, jura , obventiones , & emolumenta prædicta a Primatibus , Archiepiſcopis, Epiſcopis , Abbatibus , ac denique univerſo Clero ſeculari, & regulari, militiarum, & locorum Eccleſiaſticorum prædd. etiam juramento, confirmatione apoſtolica , vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis , & conſuetudinibus,privilegiis quoque,indultis, & Literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus , & inſolitis clauſulis , ac irritantibus, & aliis decretis in genere,vel in ſpecie , ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis , confirmatis, & innovatis . Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione , de illis , eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica , & expreſſa, ac de verbo ad verbum inſerta, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio , ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet illorum omnium tenores,præſentibus pro plene , & ſufficienter expreſſis habentes , illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter , & expreſſe derogamus,cæteriſque contrariis quibuſcumque .

§.6. Volumus autem , quod pœcuniæ , quas ex præſenti conceſſione percipies , in alios uſus quam Catholicæ Religionis defenſionis, & propagationis , necnon obedientiæ erga Romanam Eccleſiam conſervationis pro quibus dumtaxat conceſſio ipſa ſit , nullatenus convertantur , ſuper quo Majeſtati tuæ , ac Miniſtrorum tuorum conſcientiam oneramus: Quodque præſentium tranſumptis , etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio , & extra habeatur , quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ . Præſentibus ad prædictum quinquennium tantum valituris. Per eaſdem autem præſentes juribus Cam.Apo. quoad fructus vacantes nullatenus præjudicare , ſed ea illæſa , & illibata præſervare intendimus.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 12.Aprilis 1660. Pontificatus noſtri Anno V.

CCXCII.

Confirmatio Decreti ſuper Œconomico ſtatu & recta bonorũ temporalium adminiſtratione Caſſinenſum,Ord. S.Benedicti.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam .

EManavit nuper a Congregat. Ven. FF. noſtrorum S. R. E. Card. ſuper Œconomico ſtatu , & recta bonorum temporalium adminiſtratione Caſſinen. Ord. S.Benedicti inſtauranda , a Nobis ſpecialiter deputata Decr.tenoris,qui ſequitur, videlicet.

§.1. Communis egeſtas Monaſterii privatam habendi cupiditatem non raro excitare ſolet in Monachis , utpote qui religioſis, ac neceſſariis indigentiis ex publico penu conſuli non poſſe intelligentes , licere ſibi certo perſuadent , adverſus hujuſmodi neceſſitates ſubſidium , atque levamen ex proprio privato peculio quærere; cujus parandi, atque augendi gratia non parva Monaſticæ tranquillitatis jactura ſæcularibus ſollicitudinibus implicatur : Et pauperes Monaſterii tandem non pauperes Monachi præpoſtero ſtudio circa terrena ſatagentes, æterna deſpiciunt; ideo ſpirituali Monaſteriorum bono expedire videtur , ut eorummed temporalia bona recta adminiſtrandi ratione

ratione provide conserventur. Quod cum in Monasteriis quoque Congr. Cassinen. exoptandum sit, cujus egregia Sanctimonia piorum Christi fidelium liberalitatem olim adegit, ut non exiguis bonis, in præsens tamen ob temporum angustias valde imminutis ead. Monasteria ad Divini cultus dignitatem, necnon ad Monasticæ disciplinæ incrementum exornarent: Propterea Sac. Congr. EE., & RR. DD. S.R.E. Card., quos ad Oeconomicum statum, & rectam bonorum temporalium administrationem in antedd. Monasteriis instaurandam SS. D. N. Alex. PP. VII. specialiter deputavit, Patre Proc. Gen. ejusd. Congr. Cassinen. pluries audito, die 21. Martii 1661. infrascripta in præd. Monasteriis Cassinen. observanda Sanctitatis jussu decrevit.

Observanda recensentur. Cum Gen. Cap. convocatio non absque notabili Monasteriorum dispendio quotannis fiat, hanc quoque ob causam in posterum per decennium proximum nonnisi alternis annis Cap. ipsum celebretur, non obstantibus Constit. Congr. Cassinen. Apost. etiam auctoritate confirmatis, vel privilegiis itidem Apost. eid. concessis, quibus quoad hoc Sanct. Suæ auctoritate derogat: Et tunc quidem sumptus ultra modum fieri soliti regulari frugalitate minuantur: Cubicula confluentium Abbatum hospitio designata nonnisi religiosa supellectile instructa sint, adeo ut ab ipsis sumptuosi apparatus nuper inductus abusus omnino eliminetur: Alias Abbas & Cellerarius Monasterii, ubi Cap. celebratur, suspensioni ab exercitio suorum Offic. subjacere intelligantur, neque in posterum (prout hucusque factum est) Monasterio, ubi Cap. Gen. celebratur, dona ulla fiant, sed subductis rationibus expensarum in ipso Cap. singulis Abbatibus, qui interfuerunt, rata pars pecuniæ solvendæ, habita tamen ratione conditionis personarum, præscribatur.

In Cap. proxime celebrando nova taxa pro contributione a singulis Monast. Procuratoriæ Gen. solvenda fiat, servata proportione redditfuum eorumd. Monast. prævia exacta status uniuscujusque Monast. disquisitione firmanda: Ac si quando Monast. aliquod vera superveniente impotentia ratam partem suam d. Procuratoriæ solvere nequeat, nullatenus super ejus bona census imponantur, aut alia quacumque ratione ob hanc causam æs alienum ab eo contrahatur; alias contractus ipse adversus hanc prohibitionem initus nullus esse intelligatur, & sit: Et Superior contrahens pœnis in Decr. de reb. reg. non alien. per S. Congr. Conc. sub die 7. Sept. 1624. edito. aliisque ad ejusd. arbitrium teneatur; sed in Dieta Pater Præsidens Gen., cognita vera impossibilitate ejus Monast., onus ad ipsum spectans in unum, vel plura alia Monast. juxta eorum vires cum voto PP. Visitatorum in parte, vel in totum, & pro una, vel pluribus vicibus, prout duxerit necessarium, transferat, ita tamen, ut Monasterio, vel Monasteriis pro eo solventibus jus recuperandi solutam pecuniam adversus illud reservetur. Cæterum si Abbatis, aut Cellerarii culpa Monasterium anted. solutioni impotens factum fuisse comperiatur (cujus rei sedula per PP. Præsidentem, ac Visitatores fiat indagatio) in illos pro merito animadvertatur.

Si forte Mon. aliquod inopinata urgente causa, supra proprios redditus sumptus facere, & consequenter æs alienum contrahere cogatur in libris Magistris ejusd. Mon. anted. urgens causa dilucide annotetur, & explicetur, deque ea PP. Visitatores in actu Visitationis, & PP. Definitores in Cap. gen. certiores reddantur, qui sedulo curabunt, ut intra sequentem an. contractum debitum dissolvatur, ejusque solutionis rationem, ac modm (si ab ipsis reperiri, aut expediri non valeat) ad S. Congr. deferant.

Abbatibus Monast., quæ ære alieno obligata sunt, & quibus proinde onus incumbit certas statutis temporibus ratas debiti partes successive persolvendi, aut deponendi, nullatenus liceat redditus Monasterii, præterquam in usus mere necessarios erogare, nisi soluta prius, deposita respective debita parte pecuniæ; & præsertim prohibitum illis omnino sit quodcumque fabricę genus nisi præcisa, ac absoluta urgente necessitate per Regimen sedulo examinanda, & probanda. Quod si adversus præd. commiserint, & Fabricæ dispendium scuta quinquaginta excedat, antedd. Abbatibus minime suffragetur indultum, quod S. Congr. rationabiles ob causas concedere aliquando solet petentibus dilationem ad solvendam, seu deponendam ratam pro tempore debitam, & per consequens pœnis obstricti censeantur, quæ in licentia contrahendi d. æs alienum præscriptæ fuerunt, in casu quo debita rata deposita, aut soluta non fuerit, aliisque ad arbitrium, &c.

Sed & cæteris omnibus, & singulis Superioribus prohibitum sit, pecunias etiam extraordinario titulo Mon. acquisitas fabricando (præterquam reparationis omnino necessariæ causa) expendere, sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrendæ, aliaque majori pro rei qualitate, ac circumstantiis juxta S. Congr. arbitrium.

A quindenniorum solutione nullum omnino Monasterium eximatur, quamvis fortasse usque ad hanc diem aliquam ob causam ab iisd. solvendis fuerit exemptum: Et ad hujusmodi solutiones faciendas minime census imponantur, aut alio modo æs alienum contrahatur; sed quotannis ex redditibus uniuscujusque Mon. rata pars currentis Quindennii in S. Monte Pietatis de Urbe deponatur, cum expressa mentione, ut d. pecunia in alios usus impendi nequaquam possit. Abbates vero, Cellerarii in aliquo ex prædd. deficientes, privationis vocis activæ, & passivæ subjaceant.

Et ne antedictæ pecuniæ depositæ diu otiosæ permaneant, ex ipsis loca Montium Cameralium nomine, & ad favorem pro rata respective Monasteriorum deponentium consulta S. Congr. emi poterunt, quæ quidem loca maturis successive terminis solu-

solutionum vendantur ad effectum ipsa Quindennia solvendi.

Atque, ut Monasteria solutionibus hujusmodi prompte valeant respondere, quoties hæreditario, vel alio quocumque extraordinario titulo quicquam pecuniæ ipsis obvenerit, id (nisi usque ad summam scut. quinquaginta dumtaxat) sine expressa licentia regiminis nequeat expendi, præterquam si in extinctionem alicujus debiti legitime contracti convertatur. Prout etiam, si qui redditus fœcundioribus forte annis uberius collecti ordinariis Monasterii expensis superfuerint, absque præcisa necessitate non expendantur: sed in subsidium aliorum subsequentium annorum, quibus fortasse minores proventus contingent, provide reserventur, cujus quidem reservationis disquisitio a P. Visitatoribus specialiter fiat; itaut Abbates, & Cellerarii, qui compendium hujusmodi neglexisse comperti fuerint, ab officiis suis ad beneplacitum S. Congr. suspendantur.

Quod intelligendum etiam est de iis Abbatibus qui in suo ingressu ad alicujus Monasterii Regimen notabilem summam reliquorum, nempe pecuniæ, aut aliarum rerum invenerint: quinimo horum reliquorum expressa mentio, atque distincta descriptio fiat in principio libri, quo rationes dati, & accepti describuntur.

Sequuntur motiva hujus Constitut.

In singulis Monasteriis ultra principales codices exitus, & introitus, habeantur etiam particulares libri in quibus ne dum descripti sint redditus, & expensæ uniuscujusque Granciæ, seu Massariæ, necnon Index debitorum, & creditorum ad easdem spectantium, sed insuper in primis d. Libri paginis accurata descriptio fiat uniuscujusq; Granciæ, seu Massariæ, exprimendo fines, quantitatem, & qualitatem terrarum, & quæ sint Sativæ, Sylvosæ, Vineatæ &c.

Itidem ædificia quæcumque, addito etiã Indice quorumcumque mobilium, & Instrumentorum rusticorum cujusvis generis intra ipsa existentium, exprimendo numerum, qualitatem, ac pretium Armentorum, Pecudum, & aliorum quorumcumq; animalium, quæ in ipsis Granciis respective habentur: Libri vero, & descriptiones hujusmodi singulis annis a Superioribus Locorum ante visitationem a PP. vero Visitatoribus in ipso actu visitationis sedulo revideantur.

Qui Patres Visitatores, nedum Abbates, & Superiores locorum, sed Monachos quoque, & Commissarios in Granciis pro* Animarum cultura degentes interrogando explorent, ac pro captu personarum disquirant, quis ejus Monasterii Status Œconomicus, & quæ administrandi ratio, fides, ac diligentia, & præsertim, an Procuratoriæ Generali satisfactum sit: Ac si quando comperiant eidem Procuratoriæ, Cellerariorum præsertim culpa, aut inhabilitate satis consultum non esse, debeant ipsi Visitatores in actu visitationis, assignata prius congrua portione pro victu, & vestiario Abbatis, Monachorum Commissarium specialiter designare, atque obligare fructus unius, aut plurium Granciarum ad effectum debitas ratas Procuratoriæ Gen. solvendi, itaut loci Cellerarius sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrende super antedictos obligatos fructus manus apponere nequeat, sed iidem PP. Visitatores, conscio atque consulto Abbate ejus Monasterii particularem Monachum probitate, atque habilitate probatum deputent, qui præfatos fructus procuret, ac vendat, & pretio eidem Procuratoriæ Gen. satisfaciat.

* Agrorum.

Decretum san. mem. Innoc. X. circa rationes administrat. per Cellerarios reddendas sub die 13. Julii 1654. editum, & a S. D. N. per literas in forma Brevis sub die 7. Sept. 1655. confirmatum inviolate servetur.

In ædibus Granciarum simplex, ac præcise necessaria dumtaxat supellex detineatur, & in ipsis agris excolendis fructuosæ tantum culturæ ratio habeatur.

Nihil in Viridariis, aliisque hujusmodi amœnitatibus, atque deliciis pecuniæ, vel operis impendendo.

Sedulo etiam animadvertant Superiores ne Monachi, vel alii Grancias administrantes hospitio, aut recreationis titulo amicos, aut propinquos seculares, aut Religiosos excipiendo, Monasterii redditus insumant.

Contra prædicta vero committentes, vel omittentes pœna privationis vocis activæ, & passivę, aliaque ad arbitrium S. Congr. pro modo, ac qualitate culpæ puniantur.

Is tantum numerus Famulorum secularium in Monasterio retineatur, qui præcise necessarius sit, & ubi per Religiosos laicos, Commissos servitium præstari potest, famuli seculares nullatenus adhibeantur.

Unicus Deputatus famulus singulis Abbatibus sufficiat, & Abbates ipsi una cum cæteris Monachis in Refectorio comedant, nec privatam mensam in cubiculo, nisi causa infirmitatis, vel alicujus hospitis excipiendi gratia habeant, idque raro, & ob necessariam causam tantum: quod multo magis a Titularibus Abbatibus observandum erit, qui famulum etiam sibi assignatum ita necessario tantum detineant occupatum servitio, ut aliis quoque Monasterii servitiis vacare possit.

Pro Vestiario Abbates deplum dumtaxat ejus, quod reliquis præstatur Monachis, obtineant.

Abbates vero Titulares, qui alias Monasterii regimen nunquam obtinuerunt, sed ex privilegio Abbates dicuntur, idem penitus quod Monachi ipsi, non obstante quocumque usu, aut consuetudine, sive indulto usque in præsentem diem servato habeant.

Itidem quicumq; titulares Abbates nullatenus a jurisdictione Abbatis loci, sive eo absente, ejus Superioris, qui Monasterio præerit, exempti esse intelligantur, reservatis alioquin eorum honorariis, præeminentiis, ac solitis prærogativis cæteroquin per hæc Decreta, vel aliter abrogatis.

In Monasteriis ære alieno gravatis, excepto

cepto aliquo in Dieta ob aliquam necessariam causam declarando, rheda minime habeatur, sed is tantum numerus equorum, qui ad rem rusticam procurandam omnino necessarius sit.

Abbates, & reliqui Superiores quorumvis Monasteriorum nonnisi necessariam ob causam, officium suum concernentem itinerent. Et quatenus aliquo proprio respectu id agant, Monasterii sumptibus non fiat, quod ab inferioribus quoque Ministris, ac cæteris omnibus Monachis observetur, qui (& præsertim ætate juniores) ad Monasteria longe distantia, nonnisi prævia matura consideratione transferantur.

Circa hospitalitatem erga personas extraneas exercendam Decr. per eamd. Sac. Congr. sub die 18. Jan. 1661. editum, & a SS. D. N. approbatum omnino servetur.

Hospites vero Monachi, etiam Abbates diu tanquam advenæ magis delicato, ac dispendioso victu non tractentur, sed post diem unum ab eorum adventu, illis in Refectorio communis mensa paretur; in qua tamen iisdem aliquod parvum edulium fraterna charitate præ aliis exhiberi poterit: Secularibus vero prandia, cœnas, & alias comessationes, recreationis titulo nuncupatas, dare omnino prohibitum sit.

Monachis, necnon Abbatibus ipsis annuos redditus, aut alia quæcumque bona mobilia, & immobilia, licet mediantibus eorum personis Monasterio acquisita, nedum possidere, sed etiam administrare, vel titulo usufructus, depositi custodiæ, aut alio quolibet detinere sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ omnino interdictum sit, sed ea omnia statim Superiori cum cæteris Monasterii bonis incorporanda, & per Officiales publicos administranda tradantur.

Neque circa hoc consuetudo ulla etiam immemorabilis, aut conniventia, vel expressa licentia Superioris suffragetur, qui tamen Religiosis necessitatibus eorum consulere non prætermittet, quorum respectu anted. bona Monasterio acquisita fuerunt.

Si quando vero contingat, ut aliter per pios Testatores, vel alios circa prædicta disponantur, ad Sedem Apost. habeatur recursus, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. F. Cardinalis Paulutius Præfectus.

Oratorem a censuris absolvit.

§.2. Cum autem firmiora sint illa, quæ Sedis Apostol. præsidio, & munimine roborantur. Hinc est, quod Nos præmissorum omnium, & singulorum firmitati, & inviolabili observationi providere cupientes, ac dilectum filium Procur. Gen. dictæ Congr. Cassinen. specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmatio Decreti.

§.3. Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, auctor. Apostol. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes literas, necnon Decretum præinsertum, & in illo contenta hujusmodi semper firma &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Clausulas apponit.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitut., & Ordinat. Apostol., necnon quatenus opus sit, d. Congr. Cassinen., ejusq; Monasteriorum quorumvis &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoq; indultis, & Literis Apostolicis, eidemq; Congr. Cassinensi, ejusq; Monasteriis, ac illorum Superioribus, & Monachis, aliisq; personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus &c. irritantibusq;, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis &c. non autem per clausulas gen. idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda &c. illorum tenores, formas, & occasiones, præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumq;

Transumptorum fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu &c. eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 11. Apr. 1660. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCXCIII.

Dat modum faciendi provisiones, & electiones in Capitulis Generalibus, & dietis Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Apostolicæ dignitatis apicem, meritis licet imparibus, divina dispositione evecti, in eam præcipue curam solicitis studiis intendimus, ut Religiosorum virorum sub suavi vitæ Monasticæ jugo Altissimi obsequiis addictorum Congr. salubriter dirigantur, laudabilibusque institutis suis inhærentes feliciter in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis.

§.1. Itaque, ut provisiones, & electiones in Cap. gen., & Dietis Congr. Cassinen. Ord. S. Benedicti de cætero faciendæ ad Omnipotentis Dei gloriam, dictæq; Congreg. utilitatem fiant, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apost. potestatis plenitudine, ut in omnibus illis, quæ tam in proximo, quod mense Majo proxime venturo celebrabitur, & cæteris Cap. gen.

gen. per dilectos filios Præsidentem, & Definitores, quam in subsequentibus Dietis d. Congr. Cassinen., quandocumque celebrandis per eumd. Præsidentem, & Visitatores ejusd. Congr. pro tempore existentes respective fieri debebunt, Constit. ipsius Congr. Cassinen., necnon Apost. in simili forma Brevis literæ, ac Decreta eamdem Congr. concernentia per Sedem Apostol. approbata exacte observentur, nec ullæ dispensationes per Capitula, seu Dietas hujusmodi, vel prædd. Præsidentem, & Definitores, ac Visitatores de cætero concedi ullatenus possint, sed illæ dumtaxat dispensationes, quæ a Nobis, seu auctoritate nostra concessæ sunt hactenus, & in futurum tam a Nobis, quam a Successoribus nostris Rom. Pont., seu nostra, vel illorum auctoritate concedentur, robur, & effectum obtineant.

Constitutiones Congreg. Cassinen., & Decreta Sed. Apost. servari mandat.

§.2. Præterea ut numerus Decanorum præd. Congr. a fel. rec. Paulo PP. V. Prædec. nostro per suas die 21. Martii 1608. in forma Brevis expeditas literas præscriptus, ut scilicet unus tantum sit Decanus pro Monachis expresse professis ejusdem Congreg. exacte pariter observetur. Promovendi autem ad Decanatum omnia per præfatas Constitut., ac Decretum a re: me: Innoc. Papa X. Prædec. pariter nostro die 7. Nov. 1645. confirmatum requisita habere debeant, nec ulla Decanorum hujusmodi electio cum clausula: *si Rom. Pont. placuerit*, fieri de cætero possit, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus: firmo remanente Decr. particularis Congreg. Ven. FF. nostrorum S.R.E. Cardinalium per nos deputatæ super administratione Monast. Cassinen. restauranda, per nostras in simili forma Brevis lit. confirmato.

Decreta Pauli V. & Inn. X. confirmat.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. sicque, & non aliter in præmissis per quoscumq. Judices &c. judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.4. Non obstantibus piæ mem. Clem. Papæ VIII. etiam Prædec. nostri in forma Brevis literis die 6. Martii 1593. emanatis, per quas Definitorio d. Congr. Cassinensis super defectu temporis ad Abbatis dignitatem, ac ad Prioratum respective requisiti, omnibus votis suffragantibus dispensandi facultas concessa fuit, aliisque Constit., & Ordinat. Congreg. &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis d. Congr., ejusq; Cap. gen., Dietæ, Definitorio, ac Superioribus, & Monachis quibuslibet, sub quibuscumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus &c. quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumq;

Contrariis derogat.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu &c. eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCXCIV.

Confirmatio Facultatis Congr. Doctrinæ Christian. in Gallia dum unita erat Cong. de Somascha a Gregorio XV. concessæ docendi in Scholis publicis, cum indulto, ut ipsa Congr. Doctrinæ Christianæ, licet a d. Congr. de Somascha separata sit, nihilominus una cum exercitiis sui principalis instituti, Sacras Scientias, humanioresque literas in Accademiis, & Collegiis publicis, in quibus ad præsens stabilita est, & in futurum stabilietur, sicut prius docere possit.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium divina dispositione evecti Cong. virorum in Ecclesia Dei pie, salubriterque institutus, quo Christifidelium utilitati fructuosius operam dare valeant, favoribus, & gratiis, libenter prosequimur opportunis.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias Presbyter, & Proc. Congr. secularis Cler. Doct. Christ. in Gallia, quod alias eadem Congr. quo exercitia sua, & institutum docendi Doctrinam Christianam, cui plurimo cum animarum fructu indesinenter incumbit, fusius dilatare, diversisque Provinciis, Civitatibus, & Urbibus, ac vicinis earum locis campestribus communicare facilius posset, curam Collegiorum, in quibus tam sacras scientias, quam humaniores literas in scholis publicis docere, suscipere cogitavit, hujusque rei nempe in scholis publicis docendi facultatem eo tempore, quo Congr. Cleric. Regul. de Somascha nuncupat. unita erat, a fel. rec. Greg. PP. XV. Præd. nostro concedi sibi obtinuit. Unde vocati fuerunt d. Congr. Doctr. Christianæ Oporarii in multa diversarum Provinciarum loca, in quibus eadem Congr., servando semper primarium institutum docendi Doctr. Christ. etiam juvenes docet sacras scientias, & humaniores literas; Sicque perseveravit ipsa Congr. toto illo tempore, quo unita fuit cum præd. Cong. de Somascha, & nunc quoque ab eadem separata in eisdem exercitiis perseverat, ac curam Collegiorum, ad quorum administrationem sæpe a Magistratibus locorum vocatur, de novo suscipit: attento quod quamvis, rec. mem. Innoc. Papæ X. etiam Præd. noster per suas in simili forma Brevis Literas die 30. Julii 1647. super separatione Congreg. præfatarum emanatas repo-

posuerat Congr. Doctr. Christ. in suum pristinum statum, non tamen revocavit facultatem eidem Congr. a præfato Greg. Prædecess. concessam tempore unionis.

§.1. Cum autem, sicut eadem Expositio subjungebat, nonnulli scrupuli, & dubia oriri possint, an ejusdem Innoc. Præd. mens fuerit reponendo Congr. Doct. Christ. in pristinum statum, ut facultas docendi in scholis publicis eidem Congr. a memorato Greg. Præd. sicut præmittitur, concessa ipsi Congreg. post dissolutam unionem hujusmodi suffragari deberet, Nobis propterea d. Franciscus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Oratoris supplicationibus adhæret.

§.3. Nos igitur ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicat. &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, facultatem docendi sacras scientias, humanioresque literas præfatæ Congr. Doctr. Christ. a Greg. Præd. sicut præmittitur concessam, auctoritate apost. tenore præsentium approbamus, & confirmamus; Utque ipsa Congr. Doct. Christ. licet a memorata Congr. de Somascha separata, ut præfertur, nihilominus una cum exercitiis sui principalis instituti, sacras scientias, humanioresque literas hujusmodi in Accademiis, & Collegiis publicis, in quibus ad præsens stabilita est, & in futurum stabilietur, sicut prius docere libere, & licite possit, & valeat, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitut., & Ordinat. Apost. necnon quibusvis &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literar. transumptis manu &c. eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 19. Apr. 1660. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Apr. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCXCV.

Pro bono regimine Congr. Clericorum Pauperum Matris Dei scholarum Piarum

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Cum sicut accepimus in Congr. Regulari Cler. Paup. Matris Dei Schol. Piar. plures exortæ sint controversiæ: Nos illas dirimere, & bonum ipsius Cong. quantum in Domino possumus promovere cupientes.

Generalem, & Assistentes ad sexennium durare mandat.

§.1. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apost. potestatis plenitudine statuimus, & decernimus tenore præsentium, ut Præpositus Gen. memoratæ Congr., & quatuor Assistentes, tam in ultimo Cap. gen. electi; quam deinceps in perpetuum eligendi durare debeant ad sexennium tantum: ipsique Assistentes votum habeant decisivum cum eod. Præposito Gen. in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcumq. Superiorum. Item in causis, & sententiis criminalibus, necnon in quibuscumque aliis actibus, qui ex Constitut. ejusd. Congreg., vel decretis Cap. gen. fieri, seu expediri debent a Præposito Gen., & Assistentibus. In reliquis vero iid. Assistentes votum habeant consultivum, & Præpositus Gen. quoad eum fieri poterit eorum consilium sequatur ad præscriptum Constit. ipsius Congr., & una omnes cum Præp. Gen. resideant in domo S. Pantaleonis de Urbe.

Assistentibus in causis criminalibus definitivum, in reliquis vero consultivum votum concedit.

Institutum hujus Congr. servari vult.

§.2. Præterea inviolate servari præcipimus laudabile d. Congr. institutum, præcipue in usu associandi pauperes pueros ad eorum domos: deferendi habitum qualitatis, & formæ a prædd. Constit. præscriptæ: incedendi pedibus discalceatis, recipiendi ad Scholas pueros aptos ad prima elementa, adhibendi lectulos ad formam Constit. denominandi personas ejusd. Congr. non ex cognomine gentilitio, sed ex nomine alicujus Sancti; ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii hujus instituti profitentur:

§.3. In cæteris vero servari jubemus antiquas Constit. Congr. hujusmodi cum omnibus gratiis, indultis, & privilegiis a Sede Apost. eid. concessis; in iis tamen quæ aptantur, & congruunt statui Congr. sec., & præsentibus lit. non adversantur.

Clausulæ.

§.4. Decernentes easd. præsentes lit. semper firmas, &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitut., & Ordinat. Apost., necnon quatenus opus sit, præd. Congr., & aliis quibusvis &c. privilegiis, quoque indultis, & lit. Apost. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut præsentium transumptis manu &c. ead. prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentib. ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 28. Apr. 1660. An. VI.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœc. sub Annulo Piscatoris, die 28. Aprilis 1660. Pontificatus nostri anno VI.

Con-

CCXCVI.

Confirmat Decreta Sac. Congregationum ad sepulturam pertinentia, pro Provincia S. Saturnini Ord. Min. de Observantia in Sardinia.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva. Alias pro parte dilecti filii Antonii Francisci Tholo, & Pirella Procuratoris Prov. S. Saturnini Ord. Min. S. Francisci de Observantia nuncupat. in Sardinia Congr. Ven. FF. nostrorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episc., & Regul. præpositæ exposito, quod dilecti pariter filii Canonici, & Beneficiati Metrop. Ecclesiæ Calaritanæ die 11. Augusti 1659. Conventum S. Mauri violenter ingressi fuerunt ad officiandum in illa Ecclesia contra Decreta diversarum Congreg. ejusdem S.R.E Card. tenoris, qui sequitur, videlicet.

Recensentur decreta Sacr. Rit. Congr. §. 1. Sac. Rit. Congr. juxta alias resoluta respondit, officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium spectare, & pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in posterum servari mandavit, non obstante contraria consuetudine. Die 27. Nov. 1638. C. Episc. Portuen. Card. Pius Julius Cincius.

Loco ✝ sigilli.

Necnon S. Congr. Card. negotiis Episc., & Reg. præposita censuit, defunctorum cadavera in Ecclesiis dd. FF. seppellienda ab ædibus defunctorum ad eorumd. FF. Ecclesias recto tramite deferri licite posse, monito tamen prius, & requisito, ac expectato proprio Defunctorum Parocho, a quo benedictionem, & ultimum vale recipere possent, quo venire expresse recusante, possint iid. FF. etiam ipso invito dd. cadavera ad suas Ecclesias transportare, consanguinei vero talium defunctorum illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum, etiam in Cathedralibus Ecclesiis nullo modo possint. Si quæ vero immemorabilis consuetudo in contrarium super præmissis existere prætendatur, legitime probetur, & interim præsens Decr. ad unguem servetur, prout ead. S. Congr. servari mandavit. Romæ die 14. Julii 1639. Card. Ant. Barberinus C. Facchenettus.

Loco ✝ sigilli.

Necnon S. Congr. EE. Card. Conc. Trident: Interpretum censuit quoties cadavera defunctorum ad Ecclesias FF. Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua, quæ in hujusmodi ministerio adhiberi solent, non a Canonicis, neque a Clero, sed a FF. obiri, & peragi debere H. B. Card. Franc. Paulutius S. Congr. Secret.

Loco ✝ sigilli.

Necnon S. Rit. Congr. juxta alias resoluta respondit, electionem, & numerum Religiosorum pro associandis Cadaveribus ad libitum hæredum defunctorum spectare & pertinere, & ita ubique servari debere declaravit die 14. Jan. 1649. P. Card. Crescentius: Julius Cincius Secr.

Loco ✝ sigilli.

§. 2. Quodque in observantiam Decr. præinsertorum, & lit. Apost. die 29. Aug. ejusd. an. 1659. emanat. FF. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Jesu noluerunt permittere, ut Cap. præd. Ecclesiæ Calaritanen. d. Ecclesiam S. Mariæ Jesu ingrederetur, ipsum vero Cap., & Beneficiati cadaver quoddam inde abripuerant, & ad Ecclesiam S. Eulaliæ tulerant. Et in ead. expositione subjuncto, quod præfata Decr. præinsertis adversarentur, ideoque primod. Card. Congr. supplicato, ut decerneret cadaver hujusmodi restitui, & dd. Decreta observari, & si forte Canonici quoad secundum Decret. immemorabilem consuetudinem prætenderent, hoc nihil obstare, nisi legitime probetur: emanavit ab ead. Congr. Card. negotiis, & consultationibus Episc., & Regul. præp. Decr. tenoris, qui sequitur, videlicet.

Sacra Congr. EE. S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episc., & Reg. præposita, attentis narratis, reque partibus tam verbo, quam scripto informantibus audita, Emo Santacrucio referente diligenter, ac mature examinata, & discussa, censuit cadaver de quo agitur, restituendum esse, prout una cum funerali pompa restitui mandat, & præcipit Ecclesiæ S. Mariæ Jesu FF. Min. Observ. S. Franc. Necnon Capit., & Clero Metrop. Ecclesiæ Calaritanæ funeralia in d. Ecclesia S. Mariæ, neque in S. Mauri eorumd. FF. exercere, & celebrare super defunctorum ibidem sepelienda cadavera licere, reservato tamen jure eid. Cap., & Clero probandi prætensam immemorabilem, & ita declaravit, & decrevit, prout præsentium tenore declarat, & decernit, in contrarium allatis minime obstan.. Rom. 12. Mar. 1660. M. Card. Ginet.

§. 3. Cum autem, sicut d. Ant. Franciscus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decr. proxime insertum pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apost. confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Ant. Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, &c. harum serie absolventes. & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum die 12. Martii proxime præteriti emanatum auctoritate Apost. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Ap. firmitatis robur adiicimus. Salva semper in præmissis auctoritate pred. Congr. Card. negotiis, & Consultationibus Episc., & Reg. præpositæ. Decr. præinser. confirma.

§. 4. Decernentes easd. præsentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria derogat.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœc. sub Annulo Pisc. die 30. Apr. 1660. Pont. Nostri anno VI. Dat. die Apr. 1660. An. VI.

Ap-

Ex Regest. in Secret. Brev.

CCXCVII.

Applicatio dimidiarum annatarum Canonicatuum, Beneficiatuum, ac Clericatuum Ecclesiæ S. Joan. Lateran. de Urbe fabricæ, & Sacristiæ, quamvis fructus, & emolumenta hujusmodi aliis oneribus sive pensionibus gravata existant &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§. 1. Dudum fel. rec. Clem. Papa VIII. Prædecess. noster, ut fabrica Ecclesiæ S. Joan. Lateranen. de Urbe incumbentia sibi onera supportare posset in visitatione ejusdem Ecclesiæ statuit, & ordinavit, ut ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli, quibus de ipsius Ecclesiæ Canonizatibus, & præbendis quovis modo pro tempore vacan. per ipsum Clem. prædecess. aut ejus Successores, vel quoscumque alios quavis auctoritate provisum foret, medietatem omnium, & singulorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, necnon distributionum quotidianarum, ac emolumentorum quorumcumque universorum, & singulorum primi anni suorum Canonicatuum, & Præbendarum eidem fabricæ dare, & persolvere omnino, & absque ulla diminutione, omni, & quacumque exceptione, appellatione, & recursu semotis deberent, & tenerentur, statumque hujusmodi inter alia Ecclesiæ præd. statuta per quoslibet ex illius Canonicis in essecutione possessionis suorum Canonicatuum, & præbendarum observari, & jurari solita adscribendum, & annotandum esse mandavit. Et nihilominus medietate omnium, & singulorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarũ primi anni omnium, & singulorum Canonicatuum, & præbendarum Ecclesiæ præd. post promissionem de illis faciendam decurrendorum eid. Fabricæ, ita quod liceret Cap., & Canonicis d. Ecclesiæ, ipsiusque Fabricæ Camerario, & aliis ab eisdem Capitulo, & Canonicis deputatis, seu deputandis d. Fabricæ nomine propria auctoritate medietatem hujusmodi debitis temporibus percipere, & in ipsius fabricæ usus convertere cujusvis licentia desuper minime requisita perpetuo applicavit, & appropriavit, & alias prout in Decreto ejusdem Clem. Prædecess. desuper sub data die 14. Junii 1592. cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, continetur. Nunc autem Nos pro commissa Nobis cœlitus omnium Ecclesiarum sollicitudine fabricæ prædictę, necnon Sacristiæ ejusdem Ecclesiæ S. Joan. Lateran., quæ, (ut accepimus) sacra suppellectili, quantum ipsius Ecclesiæ dignitas requirit, & necessitas exigit, instructa minime reperitur, consulere cupientes, de Congr. Ven. FF. nostrorum S.R.E. Card., necnon dilectorum filiorum Rom. Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum Piorum Urbis præd. a Nobis institutæ deputatorum consilio statutum, & ordinationem, aliaque præmissa, ac decretum desuper a Clem. Prædecessore emanatum hujusmodi quamvis fructus, reditus, proventus, distributiones quotidianæ, jura, obventiones, & emolumenta prædicta aliis oneribus, seu pensionibus gravata existant, itaut medietas hujusmodi in d. Ecclesiæ fabricam, eamque restaurandam, vel in sacram suppellectilem parandam, uti res ipsa postulaverit, converti, applicari, & erogari libere, & licite possit, & debeat, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo innovamus, ac de cætero perpetuis futuris temporibus servari debere decernimus. Præterea idem statutum, & ordinationem ad omnes, & singulos, quibus de Beneficiis Beneficiatibus, vel Clericatibus nuncupat. in eadem Ecclesia S. Joannis Lateran. quovis modo nunc forsan vacantibus, & in posterum quandocumq; vacaturis per Nos, vel Rom. Pont. Success. nostros, & Sedem Apost., aut alios quoscumque etiam speciali nota, & expressione dignos etiam Cardinalatus honore fulgentes quavis auctoritate provisum pro tempore fuerit, ita quod eorum singuli medietatem omnium, & singulorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, necnon distributionum quotidianarum, & emolumentorum quorumcumque primi anni suorum Beneficiatuum, & Clericatuum, quamvis aliis oneribus, seu pensionibus gravata existant fabricæ, vel Sacristiæ prædictæ dare, & persolvere omnino, & absque ulla diminutione, omni, & quacumq; exceptione, appellatione, & recursu penitus semotis, similiter debeant, & teneantur auctoritate, & tenore prædictis extendimus. Et nihilominus medietatem omnium, & singulorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, ac distributionum quotidianarum primi anni omnium, & singulorum Beneficiatuum, & Clericatuum hujusmodi post provisionem de illis faciendam decurrendorum eidem fabricæ, vel Sacristiæ, ita quod pariter liceat Capitulo, & Canonicis prædictis, ipsiusque fabricæ Camerario, & aliis ab eisdem Capitulo, & Canonicis deputatis, seu deputandis d. fabricæ, vel Sacristiæ nomine propria auctoritate eandem medietatem debitis temporibus percipere, ac in ipsius fabricæ usus, vel in Sacram Suppellectilem parandam uti res ipsa postulaverit convertere cujusvis licentia desuper minime requisita, auctoritate, & tenore paribus itidem perpetuo applicamus, & appropriamus. Volentes, & districte pręcipientes, ut dimidiæ annatæ hujusmodi ab illis, qui Canonicatus, & præbendas, vel Beneficiatus, aut Clericatus prædictos respective pro tempore quandocumque obtinebunt persolvendæ, & fabricæ, vel Sacristiæ prædictæ, sicut præmittitur applicatæ una cum annua perpetua pensione 200, scut, a memorato Clemente Præde-

Decretum Clem. VIII.

Decretum præinsertum confirmat.

Prædeceff. fuper Canonicatus, & Præbendas ejufdem Ecclefiæ, quos dilectus filius Virgilius Panzirolus ad præfens obtinet fructibus, redditibus proventibus distributionibus, & emolumentis univerfis impofita penes Depofitarium pro tempore exiftentem Capituli, & Canonicorum prædictorum deponantur, nonnifi pro ipfius Ecclefiæ manutentione, & reftauratione, ne, vel in parandam, ficut præmittitur Sacram Suppellectilem impendendæ: de quibus Fabricerii fingulis annis exactam rationem reddere, & fi quid fupererit illud in emptionem tot locorum montium Cam. non vacabilium ad eundem effectum inveftire teneantur; fublata omni facultate Cap., & Canonicis præd., eorumque Depofitario, & Exactoribus de illis aliter difponendi fub pœna Capitulo contrafacienti folvendi duplum de proprio, quod fabricæ, vel Sacriftiæ præd. applicatum cenfeatur ipfo facto; Fabriceriis vero ultra pœnam præd. etiam excommunicationis eo ipfo incurrendæ, fi fecus difponere, aut aliter folvere præfumpferint.

Contravenientium pœna.

Claufulas apponit.

§.2. Ac decernentes eafdem præfentes literas, & in eis contenta quæcumq; etiam ex eo, quod Capitulum, & Canonici, ac cæteri præd., aliive quicumque etiam fpeciali, & individua mentione digni, etiam Cardinalatus, aut alia quacumque dignitate, prærogativa, vel honore præditi, feu fulgentes in præmiffis intereffe habentes, feu habere quomodolibet prætendentes illis non confenferint, aut ad ea vocati &c. feu caufæ, propter quas ipfe præfentes emanarunt adductæ, verificatæ, aut juftificatæ nullatenus, aut non fufficienter fuerint, feu ex alia quacumque quantumvis juxta pia, & privilegiata caufa &c. etiam enormis, enormiffime, & totalis læfionis, nullo unquam tempore de fubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio &c. vel aliorum quorumcumque, aliave quolibet quantumvis magno, fubftantiali, & individuam expreffionem requirente defectu, notari, impugnari &c. ad viam, feu terminos juris reduci, aut adverfus illas aperitionis oris, reftitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato &c. quempiam in judicio, vel extra illud uti, feu fe juvare poffe, neque eafdem præfentes fub quibufvis fimilium, vel diffimilium invocationum &c. aliifque contrariis difpofitionibus, fi quas etiam per Nos, & Romanos Pont. Succeff. noftros, Sedemque præd., etiam per viam Conftit., aut Ordinationis generalis, vel fpecialis, aut Regulæ Cancell. Apoft., & alias quomodolibet fieri contigerit unquam comprehendi &c. fed femper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priftinum, & validiffimum ftatum, & robur reftitutas &c. editas effe cenferi, firmafque &c. inviolabiliter, & inconcuffe obfervari; ficque, & non aliter in præmiffis per quofcumq; Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, fi fecus &c. contingerit attentari.

§.4. Non obftantibus noftris in fimili forma Brevis die 18. Decemb. 1657. emanatis literis, necnon quatenus opus fit, de jure quæfito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in unionibus, ac difmembrationibus, & applicationibus fructuum, & bonorum Ecclefiafticorum, & aliis quibufvis Cancellariæ prædictæ Regulis a Nobis hactenus editis, & in futurum quandocumque per Nos, vel Succeffores noftros Rom. Pont. edendis, & aliis Apoftol., & in Lateranenfi noviffime celebrato uniones perpetuas, nifi in cafibus a jure expreffis fieri prohiben., aliifque univerfalibus, & provincialibus Conciliis editis generalibus, vel fpecialibus Conftitut., & Ordinat., necnon Ecclefiæ, & fabricæ prædictorum, & aliis quibuslibet &c. ac cum quibufvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliifque quibufvis efficacioribus, efficaciffimis, & infolitis claufulis &c. in contrarium præmifforum conceffis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis etiamfi pro illorum fufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus fpecialis, fpecifica &c. mentio, feu quævis alia expreffio habenda, aut quæcumq; alia exquifita forma ad hoc fervanda foret, illorum tenores, formas, & occafiones, ac fingulorum Canonicatuum, & Præbendarum, Beneficiatuum, & Clericatuum præfatorum fructuum &c. veros annuos fecundum communem æftimationem valores præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis &c. hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcef. fub Annulo Pifc. die 10. Maii 1660. Pontificatus noftri Anno VI.

CCXCVIII.

Prohibifce le Lire, e Bolognini nelle Provincie di Bologna, Ferrara, Romagna, e Ravenna, volendo che vi fi introduchino li giulj, e bajocchi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Meditatio cordis noftri ad ea præcipue convertitur, per quæ noftrorum, & S.R.E. in temporalibus fubditorum utilitatibus opportuna ratione confulitur. Cum itaque alias, videlicet die 1. Julii proxime præteriti, dilectus filius nofter Gibertus ejufd. S. R. E. Presbyter Cardinalis Borromæus nuncupatus, nofter, & Sedis Apoftolicæ in Provincia noftra Romandiolæ, & Exarchato Ravennæ de Latere Legatus edictum juffu noftro ediderit, & fubinde die 14. ejufd. menfis Julii publicari fecerit tenoris, qui fequitur, videlicet.

§.1. Giberto della S.R.C. Prete Cardinal Borromeo della Provincia di Romagna, & Effarcato di Ravenna de Latere Legato. Avendo la Santità di N. Signore Papa Aleffandro VII. con la fua infinita prudenza

denza, ed applicazione al publico beneficio di questa Provincia, oltre a tante grazie compartitegli, considerato di quanto pregiudizio gli sia l'ingiusto accrescimento del valore estrinseco delle monete, col quale vengono i suoi Popoli a ricevere per le lor Biade, e frutti della solita bontà il prezzo in moneta calcolate a più di quello, che intrinsecamente vagliono, & avendo considerato, che le provisioni prese sopra ciò da molti de suoi Antecessori, non solo non hanno portato quel buon effetto, che si desiderava, ma fatto vedere con la successiva alterazione, che sempre più si possono temere maggiori disordini, e dependendo questi in gran parte dall'essere le monete calcolate in lire, che non sono effettive, ma una moneta imaginaria, che con troppa facilità viene dall'avarizia, e dall'industria, ed artificii di alcuni Mercanti alterata, essendosi esaminata con una lunga, ed esatta discussione la materia, e sentiti i suoi Ufficiali, e prattici Mercanti, e altri che vi possono aver interesse, ha risoluto porvi rimedio con gl'infrascritti ordini, e provisioni, che di commandamento della Santità Sua al presente si publicano, e si averanno inviolabilmente da osservare sotto le pene in essi contenute.

§ 2. Prima si ordina, e commanda espressamente, che resti totalmente abolito il nome di lira, e Bolognini, e che tutti i debiti, e pagamenti, tanto in capitale, quanto in frutto, eziandio Livelli, Canoni, Censi, Legati pii, Gabelle etiam Camerali, Mercedi, Porti di lettere, e di qualsivoglia Contratto, che ricerchi speciale, & individuale menzione fatto in qualsivoglia tempo, tra qualsivoglia persona, tanto laicale d'ogni maggior dignità, etiam Regale, Ducale, & Imperiale, quanto Ecclesiastica, Secolare, e Regolare di qualsivoglia preeminenza, etiam de Cardinali e della Camera Apostolica, che cantano, o sono dovuti in moneta di lira, s'intendano convertiti in giulj, e bajocchi a ragione d'ogni cinque lire, e mezza cento bajocchi Papali, che constituiscono dieci giuli, e di undici Bolognini dieci bajocchi, che fanno un giulio, e per ogni bajocco quattrini sei del peso, e bonta di quelli di Bologna, & un quattrino due danari, facendosi conto, che secondo il presente valore di scudi, di paoli col medemo numero di giulj, che si pagarebbe adesso il debito constituito in lire, viene a costituirsi il nuovo debito in moneta di giulj, ed in questa forma dovrà da debitori pagarsi, e da Creditori riscuotersi sotto pene arbitrarie etiã corporali ad arbitrio di Sua Eminenza, e perche in Rimini, e S. Arcangelo il giulio è valutato ora meno, che altrove, si dichiara, che nella Città di Rimini, e Terra di Sant'Arcangelo, e ne loro Governi la detta ridduzione si faccia a ragione di ogni cinque lire Bolognini sei, quattrini quattro in uno scudo di giuli dieci, e per ogni bolognino dieci quattrini, quattro in un giulio.

§.3. Che da ora avanti nessuno ardisca di far contratto di qualsivoglia sorte in moneta di lira, e Bolognini, ma o nelle monete d'oro, ed argento effettive, o in scudi, e bajocchi papali, sotto pena a ciascuno de contraenti della perdita della somma, e robba contrattata oltre la nullità del contratto.

§.4. Che tutte le monete correnti non si possino calcolare, se non a moneta di giulj, e bajocchi papali secondo la loro bontà intrinseca, e valore di ciascuna, che sarà dichiarata nel presente Editto, e non si possino alterare, ne spendere di vantaggio dandole, e ricevendole, alla medema valuta, e con gl'istessi pesi, proibendo qualsivoglia altra moneta, che non sarà nominata nel presente Editto, o che essendo nominata nel presente Editto, non sarà della bontà, e lega giusta in maniera, che non si possa introdurre, ne contrattare, ne ritenere sotto pena della perdita del danaro, del quadruplo, e de Corporali, etiam di galera perpetua ad arbitrio secondo le qualità, e circostanze de casi, dichiarando però, che le prohibite, che si trovassero quì nel tempo del presente Editto si possino solo ritenere per due mesi, che se gli da tempo di farne esito fuori della Legazione.

§.5. Che tutti li Banchieri, Bancherotti, Mercanti, Gabellieri, stiano avvertiti, e particolarmente nelle monete di lega, ed altre tollerate, che non siano alterate, e ritrovandosi tali ne diano subito notizia al Governatore del luogo, perchè possa fare le diligenze necessarie sotto pena della perdita della moneta, scudi ducento, ed altre corporali arbitrarie, etiam della Galera. Che ogni Banchiero, Mercante, Speziale, Beccaro, Fornaro, Lardarolo, ed Oste tenga questo Bando affisso ne i loro Banchi, e Botteghe sotto pena di scudi cinquanta.

Che sotto pene ad arbitrio di Sua Emã anco corporali tutti li prezzi di robbe, così commestibili, come Pane, Carne, Olio, & altro, come non commestibili, che sono adesso tariffate in moneta di lira, e Bolognini, si convertano in moneta di giulj, e bajocchi, e quattrini con la sudetta proporzione, che quello, che si pagava undici bolognini, che facevano un giulio si paghi dieci bajocchi Papali, che è la valuta del medemo giulio; Onde dove prima si davano trenta oncie di pane per quattro Bolognini, adesso per quattro bajocchi se ne daranno trentatre, e nella medesima conformità si farà nell'altre robbe secondo la nova Tariffa, che di giulj, e bajocchi si daranno da per tutto da i Governatori, & Ufficiali nel medemo tempo della publicazione del presente Editto.

§.6. Dichiarandosi, che nelli Governi di Rimini, e S. Arcangelo le Tariffe si aggiustino con la proporzione posta nel Capitolo I., cioè a ragione d'un giulio per ogni Bolognini dieci, e quattrini quattro. E quanto a i prezzi delle Robbe, e Mercan-

canzie, che non hanno Tariffa, dovranno i Mercanti usare la medesima proporzione, e non pigliar occasione di alterarli sotto pene etiam corporali ad arbitrio di Sua Eminenza.

§.7. Si notifica ad ogn' uno, che alle dette pene saranno tenute tutte le persone, così Secolari, come Ecclesiastiche, e Regolari di qualsivoglia privilegio, dignità, e preeminenza, che ricerchi speciale, & individua menzione, e si procederà per Inquisizione, & in ogn' altro miglior modo. E questo Editto publicato in Ravenna nel luogo solito, legherà ogn' uno in questa Provincia doppo cinque giorni, come se fosse personalmente intimato. Subjuncta præinserto Edicto peculiari æstimatione, seu Tariffa monetarum argentearum, & aurearum, per quam eædem monetæ ad rationem tot juliorum, bajocchorum, & quatrenorum respective æstimantur, & reducuntur, cum nonnullis Ordinationibus, prout in eadem Tariffa, quam præsentibus pro plene, & sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserta ha eri volumus, uberius continetur.

Decreta præinserta confirmat.

§.8. Hinc est, quod Nos præmissorum omnium, & singulorum firmiori robori, & inviolabili observantiæ consulere cupientes, Edictum præinsertum, subjunctamque eidem Tariffam, & Ordinationes hujusmodi, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & inde sequutis, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illaque rata, & grata habemus, ac jussu nostro emanasse declaramus, & attestamur, necnon illis omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque, tam ex juris Communis, & Constitutionum Apostolicarum præscripto quam alias quomodocumque, & qualitercumque, etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet, quantumvis magnos, ac formales, & substantiales, individuaque mentione dignos defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possint, plenissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, & inserta quæcumque, necnon Tariffam, & ordinationes hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quoquo modo spectat, & spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, & Legati de Latere potestate, & auctoritate fungantur, semper, & perpetuo inviolabiliter, & inconcusse observari debere, neque ipsas præsentes literas, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, causæque, propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ non fuerint, seu ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, & restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, & restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem, Præsidentes, Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, & cæteros quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulas addit.

§.9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & felic. recor. Pii Papæ IV. Præd. nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Locorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumlibet, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque effica-
cio-

cioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 27. Maii 1657. An. V. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Maii 1657. Pontificatus nostri Anno VI.

CCXCIX.

Ordini per la Città, e Ducato di Ferrara, cioè che vi resti totalmente abolito il nome di Lira, e Bolognini, e che tutti i debiti, che cantano in moneta di Lira, s'intendano convertiti in giuli, e bajoc.

Consimilem Monetarum reductionem habes supra ad Constitut. 298. Meditatio, *& ad Constit.* 318. *infr. eodem modo incipientem ab hoc Sanctissimo Pontifice emanatas.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Meditatio cordis nostri ad ea præcipue convertitur, per quæ nostrorum, & S. R. E. in temporalibus subditorum utilitatibus opportuna ratione consulitur. Cum itaque alias dilectus filius noster Laurentius Tituli S. Chrysogoni, ejusdem S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupatus, noster, & Sedis Apostolicæ in Civitate, & Ducatu Ferrariensi nostris de latere Legatus, edictum jussu nostro ediderit, & publicari fecerit tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.1. Lorenzo Cardinal Imperiale nella Città, e Ducato di Ferrara a latere Legato &c. Avendo la Santità di Nostro Signore Papa Alessandro VII. con la sua infinita prudenza, ed applicazione al publico beneficio di questa Provincia, oltre a tante grazie compartitegli, considerato di quanto pregiudizio gli sia l'ingiusto accrescimento del valore estrinseco delle monete, col quale vengono i suoi Popoli a ricevere per le lor Biade, e frutti della solita bontà il prezzo in monete calcolate a più di quello, che intrinsecamente vagliono, e che le provisioni prese sopra ciò da molti de suoi Antecessori, non solo non hanno portato quel buon effetto, che si desiderava, ma fatto vedere con la successiva alterazione, che sempre più si possono temere maggiori disordini, e dipendono questi in gran parte dall' esser le monete calcolate in lire, che non sono effettive ma una moneta imaginaria, che con troppa facilità viene dall' avarizia, e dall' industria, e artificii di alcuni Mercanti alterata, e essendosi esaminata con una lunga, e essatta discussione la materia, e sentiti non solo i suoi Uffiziali, e prattici Mercanti, e altri, che ci possono aver interesse, ha risoluto porvi rimedio con gl' infrascritti ordini, e provisioni, che di commandamento della Santità Sua si publicano, e si averanno inviolabilmente da osservare sotto le pene in essi contenute.

§.2. Prima, si ordina, e commanda espressamente, che resti totalmente abolito il nome di Lira, e Bolognini, e che tutti i debiti, e pagamenti, tanto in capitale, quanto in frutti, eziamdio Livelli, Canoni, Censi, Legati Pii, Gabelle anche Camerali, Mercedi, Porti di lettere, e di qualsivoglia Contratto, che ricerchi speciale, e individual menzione fatto in qualsivoglia tempo tra qualsivoglia persona, tanto Laicale d' ogni maggior dignità, anche Regale, Ducale, & Imperiale, quanto Ecclesiastica, Secolare, e Regolare di qualsivoglia preeminenza, anche de Cardinali, e della Camera Apostolica, che cantano, e sono dovuti in moneta di Lira, s' intendano convertiti in giulj, e bajocchi a ragione d'ogni cinque Lire, e mezzo centinaro baj. Papali, che constituiscono dieci giulj, e di ogni undici Bolognini dieci bajocchi, che fanno un giulio, e per ogni bajoccho quattrini sei del peso, e bontà di quelli di Bologna, e un quattrino due danari, facendosi conto, che secondo il presente valore di scudi di paoli col medemo numero di giuli, che si pagarebbe adesso il debito constituito in Lire, viene a costituirsi il nuovo debito in moneta di giulj, e in questa forma dovrà da debitori pagarsi, e da Creditori riscuotersi sotto pene arbitrarie, anche corporali ad arbitrio di Sua Eminenza.

§.3. Che da ora avanti nessuno ardisca di far contratto di qualsivoglia sorte in moneta di Lira, e Bolognini, mà o nelle monete d' oro, ed argento effettive, o in scudi, e bajocchi Papali, sotto pena a ciascuno de contraenti della perdita della somma, e robba contrattata oltre la nullità del contratto.

§.4. Che tutte le monete correnti non si possino calcolare, se non a moneta di giulj, e bajocchi Papali secondo la loro bontà intrinseca, e valore di ciascuna che sarà dichiarata col presente Editto, e non si possino alterare ne spendere di vantaggio dandole, e ricevendole, alla medesima valuta,

ta, e con gl' istessi pesi, proibendo qualsivoglia altra moneta, che non sarà nominata nel presente Editto, e che essendo nominata nel presente Editto, non sarà della bontà, e lega giusta in maniera, che non possa introdurre, ne contrattare, ne ritenere sotto pena della perdita del danaro, del quadruplo, & de corporali, etiam di galera perpetua ad arbitrio secondo la qualità, e circostanze de casi, dichiarando però, che le proibite, che si trovassero quì nel tempo del presente Editto si possino solo ritenere per due mesi, che se gli dà tempo di farne esito fuori della Legazione.

§.5. Che tutti li Banchieri, Bancherotti, Mercanti, Gabellieri, stiano avvertiti, e particolarmente nelle monete di lega, e altre tolerate, che non siano alterate, e ritrovandosi tali ne diano subito notizia al Signor Giudice de Savi in Ferrara, e nel distretto, e alli Governatori de luogi fuori del distretto, perchè possa fare le diligenze necessarie sotto pena della perdita della moneta, scudi ducento, e altre corporali arbitrarie, etiam della Galera. Che ogni Banchiero, Mercante, Speziale, Bottegaro, Beccaro, Fornaro, Lardaloro, ed altri artefici tenga questo Bando affisso nè i loro Banchi, Bottege sotto pena di scudi cinquanta. Che sotto pena ad arbitrio di sua Eminenza anco corporali tutti i prezzi di robbe, così comestibili, come Pane, Carne, Oglio, & altro comestibili, che sono adesso tariffate in moneta di Lira, e Bolognini si convertano in moneta di giuli, e bajocchi, e quatrini con la sudetta proporzione, che quello, che si pagava undeci Bolognini, che facevano un giulio si paghi dieci bajocchi Papali, che è la valuta del medesimo giulio; Onde siccome prima si davano trenta oncie di pane per 4. Bolognini, adesso per quattro bajocchi se ne daranno trentatre once, e nella medesima conformità si farà nell' altre robbe secondo la nova Tariffa, che in giuli, e bajocchi si daranno da pertutto da i Governatori, e Ufficiali nel medemo tempo della publicazione del presente Editto. E quanto a i prezzi delle robbe, e mercanzie, che non hanno Tariffa, dovranno i Mercanti usare la medesima proporzione, e non pigliar occasione di alterarli sotto pena etiam corporale ad arbitrio di Sua Eminenza.

§.6. Si notifica ad ogniuno, che alle dette pene saranno tenute tutte le persone così Secolari, come Ecclesiastiche, e Regolari di qualsivoglia privilegio, dignità, e preeminenza, che ricerchi speciale, e individua menzione, e si procederà per Inquisizione, e in ogn' altro miglior modo. E questo Editto affisso publicato ne i luoghi soliti, legherà ognuno doppo cinque giorni, come se fosse personalmente intimato.

Dato nel Castello di Ferrara questo di 12. Luglio 1659. Publicato il 14. detto.

Lorenzo Card. Imperiale Legato, &c.

Subjuncta præinserto Edicto peculiari æstimatione, seu Tariffa monetarum argentearum, & aurearum, per quam eædem monetæ ad rationem tot juliorum, bajocchorum, & quatrenorum respective æstimantur, & reducuntur, cum nonnullis ordinationibus, prout in eadem Tariffa, quam præsentibus pro plene, & sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserta haberi volumus, uberius continetur.

§.7. Hinc est, quod nos præmissorum omnium, & singulorum firmiori robori, & inviolabili observantiæ consulere cupientes, Edictum præinsertum, subjunctamq; eidem Tariffam, & ordinationes hujusmodi, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, & inde sequutis, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illaque rata, & grata habemus, ac jussu nostro emanasse declaramus, & attestamur, necnon illis omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque, tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum præscripto, quam alias quomodocumque, & qualitercũque etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet quantumvis magnos, ac formales, & substantiales, individuaque mentione dignos defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, & intelligi possent, plenissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

§.8. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, & inserta quæcumque, necnon Tariffam, & ordinationes hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos, nunc quoquo modo spectat, & spectabit in futurum, cujuscumque, status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, & Legati de latere potestate, & auctoritate fungantur, semper, & perpetuo inviolabiliter, & inconcusse observari debere; neque ipsas præsentes literas, etiam ex eo quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet peætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, causæque, propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ non fuerint, seu ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis substantiali, aut inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impe-

petrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem, Præsidentes, Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, & cæteros quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretrandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & fel. rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri de gratiis qualecunque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Locorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumlibet, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimereutnr, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 27. Maii 1660. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Maii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCC.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Deputatio Judicis Causarum, & Exequutoris Decretorum Visitationis Ecclesiarum Urbis a S. S. indictæ.

Ven. Fratri Octavio Archiep. Patracen.

ALEXANDER PAPA VII

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Supradictum Octavium Archiep. Judicem causarum, & Decretorum exequutorem cōstituit.

§.1. Ut ea, quæ in visitatione Ecclesiarum Almæ Urbis a Nobis, seu S. R. E. Cardinalibus in Adjutores visitationis hujusmodi per Nos specialiter assumptis salubriter decreta sunt, & decernentur, debitæ exequutioni quamprimum demandentur, & controversiæ illius occasione præsertim inter personas ecclesiasticas, quas litium dispendiis a Dei servitio avocari minime decet, ad nostram audientiam deductæ, & deducendæ quantocitius terminentur, te, de cujus probitate, & doctrina, plurimum in Domino confidimus, Judicem causarum, & exequutorem Decretorum hujusmodi visitationis, auctoritate apostolica, tenore præsentium constituimus, & deputamus. Dantes tibi plenam, & liberam facultatem, quæ a Nobis, & Cardinalibus prædictis in eadem visitatione decreta, statuta, & ordinata sunt, & erunt, exequi, & observari faciendi, contra inobedientes, & negligentes, necnon cujuscumque criminis occasione dictæ visitationis detecti reos, & delinquentes, eorumque complices, & fautores cujuscumque status, dignitatis, ordinis, & conditionis fuerint, per viam accusationis, quærelæ, vel denunciationis etiam summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, inquirendi, & procedendi, reosque, prout canonicæ requirunt sanctiones, & alias nostro, seu eorumdem Cardinalium arbitrio, puniendi, ac tam super præmissis, quam etiam alias quascumque in eadem visitatione, aut etiam antea, per Nos tamen tibi etiam absque speciali commissione committendas causas ecclesiasticas, vel profanas, civiles, criminales, aut mixtas inter Capitula, Conventus, Collegia, Universitates, Confraternitates, Archiconfraternitates, eorumque Superiores, ac singulares personas ecclesiasticas seculares, vel cujusvis Ordinis etiam

etiam Mendicantium regolares etiam exemptas, & quovis privilegio, & immunitate suffultas, etiam Nobis, & Apostolicæ Sedi immediate subjectas, seu etiam inter laicos motas, & movendas cum earum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis etiam summarie, simpliciter, & de plano, & alias, ut præfertur, terminis substantialibus unico contextu, vel etiam non servatis, sed illorum loco, præfixo termino arbitrio tuo, & de ejusdem visitationis mandato procedendi, audiendi, & fine debito terminandi, & ad hunc, cæterorumque contingentium effectum quoscumque etiam per edictum publicum constito summarie, & extrajudicialiter de non tuto accessu, citandi, & monendi, eisque, ac quibusvis Judicibus, & cæteris personis, quibus, & quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon pecuniariis tuo arbitrio moderandis, & applicandis inhibendi, contra inobedientes quoscumque censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravan., auxiliumque brachii secularis invocandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones, & monitoria, etiam sub censuris, & aliis pœnis prædictis, cæterisque tibi benevisis remediis omni, & quacumque appellatione postposita decernendi, omniaque in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, mandandi, & exequendi, etiam quæ expressionem requirerent magis specialem, & sub generali concessione non venirent, dummodo inconsultis Nobis, aut Cardinalibus prædictis, & nisi de eorum voto in aliquo præmissorum non procedas, nec sententiam feras, aut quicquam exequaris, nec te in aliquo immisceas.

Suprad. Octavio facultatem puniendi reos concedit.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quarumcumque etiam Patriarchalium Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & Ordinum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Congregationum, & Hospitalium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Maii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 31. Maii 1660. An. VI.

CCCI.

Declarat Alumnos Collegiorum Apostolicorum non ad triennium tantum, sed perpetuo quoad vixerint Sedis Apostolicæ servitio adstrictos esse, & dat formam Juramenti.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM circa juramenti vinculum, quo Pontificiorum Collegiorum Alumni Sedis Apostolicæ (a qua maximis sumptibus educantur) servitio recipiuntur adstricti, variæ fuerint hucusque a nonnullis excogitatæ interpretationes, quibus ejusdem Sedis in hoc eludatur intentio, & Dei gloriæ, ac servitio, cui hujusmodi institutum dirigitur, non minimum detrahatur.

§.1. Nos opportune hac in re providere cupientes, de nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum, super hoc a Nobis specialiter deputatorum, qui rem diligenter, & mature discusserunt, consilio, ac inhærendo decretis alias circa prædicti juramenti formulam emanatis, eaque, quatenus opus sit, innovando, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, prædictos Alumnos non ad triennium tantum, ut gratis aliqui interpretantur, sed perpetuo, quoad vixerint, in quocumque statu permanserint, Sedis prædictæ servitio fuisse hactenus, & futuros in posterum adstrictos, ut alias, & signanter die 7. Augusti 1645. a felicis recordationis Innocentio Papa X. Prædecessore nostro fuit declaratum, hujusmodi autem servitio minime satisfacturos, etiamsi in salutem animarum operam suam quoquo modo impendant, nisi illud ad præscriptum Sedis Apostolicæ expleverint.

§.2. Præterea si contingat aliquem ipsorum incorrigibilitatis, vel malæ valetudinis, aut alia qualibet ex causa a Collegiis ejici, aut sponte sua quandocumque discedere, etiamsi nondum completis studiis, aut sacris Ordinibus fuerit initiatus, non idcirco censendum a juramento ulla ex parte solutum, tam circa servitium præstandum in Missionibus, quam circa prohibitionem ingrediendi Religionem, imo ne hoc, vel alio quovis prætextu dictæ Sedis mens forsan eludatur, prohibemus, ne etiam elapso triennio quovis tempore possit quilibet Alumnus ad Religionem admitti, nisi de expressa nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Congregationis Ven. Fratrum nostrorum ejusd. S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum in scriptis habenda licentia, sub pœna nullitatis professionis ipso jure, si aliter fuerint ingressi, & quod ab eadem Cardinalium Congregatione, non obstante professione, ad primævum statum revocari possint.

§.3. Insuper declaramus, quod concessa Alumnis, ut supra, licentia ingrediendi Religionem, non idcirco censendi sunt

Etiamsi religionem ingrediantur a juramento non absolvuntur.

sunt a juramento absoluti ex præsumpto tacito consensu, eo quod prædicta Congregatio illorum opera forsan non uteretur: Ad hæc nullo pacto licere Alumnis contra formam juramenti, vel Religionem ingredi, vel alteri statui perpetuo se addicere, eo sub prætextu, quod quilibet teneatur sibi ipsi ratione aliqua stabili consulere; eo quod hæc S. Sedes Alumnis, postquam fuerint dimissi, non provideat; cum memorata Congregatio neminem ex iis, qui ad Missionis titulum ordinati sunt, quive suo instituto pro viribus incumbunt, consueverit unquam destituere: quod si secus aliquando forsan contingat, hoc eorum culpæ adscribendum est, qui postquam fuerunt dimissi, ejusdem S. Sedis, a qua enutriti fuerunt, ac ejus, quod professi sunt, instituti prorsus obliti de se, suoque statu eamdem monere negligunt omnino.

§.4. Quia vero, ut præfertur, non desunt aliqui, qui non intelligentes gravitatem muneris Sacerdotum Secularium ad Missiones Apostolicas admissorum, quidve sanctæ fidei propagationi, & universalis Ecclesiæ bono, attenta præsertim temporum, ac rerum circumstantia, magis conducat, audeant adhuc asserere, hujusmodi juramentum in ea parte, qua cujuslibet Religionis ingressum prohibet, invalidum omnino esse, tanquam impeditivum majoris boni, eoque prætextu excusationem suæ contumaciæ obtendentes, juramentum quoad hanc partem negligere præsumant: Nos volentes deinceps hujusmodi abusui opportune occurrere, eosque qui contrarie præsumpserint, ad statum, cui ex prædicto juramento reperiuntur obstricti, revocare; præcipimus omnibus Alumnis, ut postquam e suis Collegiis, vel sponte egressi, vel dimissi fuerint, sive in statu, & habitu seculari permanserint, etiamsi in Sacris non fuerint, sive etiam postquam alicui Religioni fuerint adscripti, donec vixerint, quolibet anno, si intra fines Europæ fuerint, vel si extra, quolibet biennio, de se, suoque statu, & loco ubi maneant, & quibus studiis, & exercitiis operam navent, per literas prædictam Congregationem certiorent; literas autem hujusmodi viciniori Sedis Apost. Nuncio transmittere, atque etiam eo usque iterare teneantur, donec per ejusdem epistolam certi fiant, quod ad ipsum pervenerint.

Juramento addita clausula.

§.5. Utque id omnino observetur, præcipimus, ut juramento ab eisdem Alumnis præstando addatur infrascripta clausula: *Item voveo, & juro, quod sive Religionem ingressus fuero, sive in statu seculari permansero, si intra fines Europæ fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, & exercitii, & loci ubi moram traxero, Sacram Congregationem de propaganda fide certiorabo.* Præcipimus itidem quod idpsum præstent eorum Superiores Regulares quoad eos, qui religionem fuerint ingressi. Præfectis vero Missionum Sacerdotum secularium injungimus sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ, ut quolibet anno diligenter perquirant de statu singulorum, qui fuerunt Alumni, & ad eam Missionem, vel ratione originis, vel nationis, aut alio quovis modo pertinent, sive Religionem fuerint ingressi, sive non, deque ipsis, eorumque statu, exercitiis, ac locis eamdem Congregationem omnino moneant. Præterea præcipimus præsentes literas ad singula Collegia transmitti, eorum Superioribus injungentes, ut adamussim illas observari curent, expositasque habeant in loco patenti, singulisque obvio, ne ullo tempore illarum ignorantia a quopiam pretendi possit; & ut quovis anno in publico Refectorio bis legantur, nimirum prima Dominica Januarii, & prima Junii, necnon etiam immediate ante præstationem juramenti clara voce Alumnis mox juraturis legantur, ac ne quis ab earum exequutione excusari valeat, ipsius juramenti formulæ eam, quæ sequitur, clausulam superaddi mandamus. *Denique voveo, & juro, me prædictun juramentum ejusque obligationem intelligere, & observaturum juxta declarationes factas a Sacra Congregatione de propaganda fide, & Brevi Apostolico roboratas sub die* 20. *Julii* 1660.

Clausula juramento superaddita.

§.6. Quia vero in tanto Alumnorum numero, quos hæc S. Sedes ad fidei ministerium maximis sumptibus enutrit, ac instruit, quotidiana experientia comperitur ex defectu hujusmodi Ministrorum opus Dei multoties prætermitti, & quod maxime dolendum est, plurimas Regiones, quæ albæ sunt ad messem, ea de causa misere deperire; districte præcipimus Superioribus Collegiorum sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ut qualibet vice nomina singulorum, qui ad Collegium admittuntur, necnon eorum, qui dimittuntur, vel sua sponte recedunt, statim ipsimet Congregationi prædictæ, vel ipsius Secretario transmittant expressis singulorum ætate, patria, studiis, ordinibus, habilitate, ac locis, ad quæ diriguntur, quove die juramentum præstiterint, ut in Actis ejusdem Congregationis redigi possit. Injungentes Alumnis sub pœna ejectionis a Collegio, ne juramenti præstationem ultra ætatem in decreto recor. mem. Urbani VIII. Prædecessoris nostri die 24. Novembris 1625. præscriptam differant; Superioribus vero sub eadem pœna suspensionis, ne ullam hac in re dilationem permittant, nisi ex gravi causa per ipsammet Congregationem supradictam Romæ, extra vero per Nuncios Apost. in scriptis approbanda.

Alumnorum nomina in actis ejusdem Congreg. inscribantur.

§.7. Demum districte prohibemus, ut nullus omnino, cujusvis dignitatis, & conditionis extiterit, audeat predictum juramentum, ac præsentes literas, seu declarationes, tam in totum, quam secundum singulas sui partes declarare, aut interpretare: sed si quid forsan dubitari contigerit, teneatur eamdem Sactam Sedem consulere, ab eaque responsum in scriptis expectare, sub pœna violationis juramenti, si secus facere præsumpserit.

De-

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet, etiam speciali mentione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci posse, sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon memoratorum Collegiorum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eidem sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Secretarii prædictæ Congregationis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Eccl. dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 20. Junii 1660. Pontificatus nostri anno VI.

Formula Juramenti ad præscriptum Superioris Brevis præstandi a quolibet Alumno Collegiorum Pontificiorum.

EGO N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens instituti hujus Collegii notitiam Legibus, & Constitutionibus ipsius, quas juxta Superiorum explicationem amplector, me sponte subiicio, easque pro posse observare promitto.

Insuper spondeo, & juro, quod dum in hoc Collegio permanebo, & postquam ab eo quocumque modo, sive completis, sive non completis studiis exiero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, vel Sacræ Congregationis de Propaganda fide ingrediar, neque in earum aliquam professionem emittam.

Spondeo pariter, & juro, quod volente Sacra Congregatione de Propaganda fide Statum Ecclesiasticum amplectar, & ad omnes Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, cum Superioribus visum fuerit, promovebor.

Item voveo, & juro, quod sive Religionem ingressus fuero, sive in statu seculari permansero, si intra fines Europæ fuero, quolibet anno; si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, exercitii, & loci, ubi moram traxero, Sacram Congregat. de Propaganda fide certiorabo.

Voveo præterea, & juro, quod jussu prædictæ Congregationis de Propaganda Fide sine mora in Provinciam meam revertar, ut ibi perpetuo in Divinis administrandis laborem meum, ac operam pro salute animarum impendam, quod etiam præstabo, si cum prædictæ Sedis licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem ingressus fuero, & in earum aliqua professionem emisero.

Denique voveo, & juro, me prædictum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum juxta declarationes factas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, & Brevi Apostolico roboratas sub die 20. Julii 1660. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

CCCII.

De obligatione denunciandi hæreticos, vel de hæresi leviter suspectos: Et quod in materia hæresis non admittitur correctio fraterna.

Feria 5. Die 8. Julii 1660. In Congregatione generali S. R., & Univ. Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Mariam Majorem coram SS. D. N. Alexandro Divina Prov. Papa VII. ac EE. & RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in Universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

LI-

Constitutio Pauli V.

Licet alias per Constitutionem fel. rec. Pauli V. emanatam sub die 1. Septembris 1606. quæ incipit, Romanus Pontifex, fuerit districte prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel prætextu præventionis, aut consuetudinis, & præscriptionis, etiam immemorabilis, aut alio in causis ad Sanctum Officium spectantibus se quoquo modo intromittere, aut immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut terminare audeant; imo ex ejusdem Constitutionis dispositione eisdem fuerit graviter injunctum, ut suos subditos, ac Religiosos, quos hæresis labe infectos, vel de hæresi suspectos noverint, absque alia consultatione cum propriis suæ Religionis Superioribus, vel alia quavis persona facienda, sive mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis viciniori bus denuncient.

§. 1. Nihilominus animadvertens Sanctissimus D. N. Alexander VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem, adeo ut nedum suos subditos non denuncient, verum etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare, quæ audierunt, aut viderunt, ad ipsum Sanctum Officium spectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imo aliquando eosdem perperam instruant, non teneri, nec sub obligatione Constitutionum Apostolicarum comprehendi, & hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum sententiis confirmare tentantes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur.

Constitutionem Pauli V. Alexand. VII. innovat.

§. 2. Volens proinde Sanctitas Sua abusum hujusmodi ex sui pastoralis officii debito coercere, post maturam facti discussionem, auditis votis Emorum, & Reverendiss. DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum innovat Constitutionem prædictam a fel. record. Paulo V. emanatam, & quatenus opus sit, eam declarans, hoc præsenti Decreto districte præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, aliisque ejusmodi quocumque nomine nuncupatis Superioribus cujuscumque Ordinis, & Instituti, sive Mendicantium, sive non Mendicantium, necnon Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quorumcumque, etiam Societatis Jesu, aliorumque quomodocumque exemptorum, vel non exemptorum, etiamsi essent specialiter, & nominatim exprimendi, ut omnino dictæ Constitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoscumque Religiosos, tam sibi ipsis subditos, quam non subditos, cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hæreticos, vel de hæresi quomodocumque etiam leviter suspectos, deferant, & judicialiter denuncient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in causis ad Sanctum Officium spectantibus audeant se intromittere, neque suos Subditos ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo, sive directe, sive indirecte avertere, retrahere, dissuadere; imo prædictos suos subditos monere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omnino pareant, & alios Christifideles etiam Confratres suos ad parendum pariter hortentur, & suadeant, rejectis penitus hujusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua cum voto dictor. Emorum DD. Cardinalium, tamquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & a mente Sanctitatis Suæ prorsus alienas reprobavit, & reprobat.

§. 3. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis ejusdem, alteriusve Ordinis, aliisve quibuscumque personis de fide suspectis, cæterisque petentibus consilium in materiis ad Sanctum Officium spectantibus, itaut nedum ipsimet denunciationes differant, vel ab illis prorsus abstineant; verum etiam multoties ab eisdem alios a se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, aliorumve prætextu.

Hæreticos denunciari mandat.

§. 4. Propterea idem Sanctissimus declaravit præfatos subditos absque ulla participatione, etiamsi nulla sit petita venia a Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum quoscumque etiam Confratres, ac Superiores etiam primarios suos ejusdem Ordinis, & Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos: Ac propterea eosdem debere omnes, & quoscumque etiam alios a se consilium, ut supra, petentes monere, & obligare ad denunciandum, nec posse illos a denunciando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes, tam Superiores, quam subditos contrafacientes Sanctitas Sua voluit, & declaravit subjacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V. expressis necnon privationis quarumcumque Dignitatum, seu Prælaturarum, seu officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis Suæ, ac Successorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi, & Successoribus suis Romanis Pontificibus tantum expresse reservavit.

Contravenientium pœnæ.

§. 5. Et ne præmissorum prætendi possit ignorantia, idem Sanctissimus mandavit sub eisdem pœnis, ipso pariter facto incurrendis, ut supra reservatis, ut Superiores omnes præfati in quocumque loco, Con-

ventu, vel Collegio sui Ordinis Decretum hoc semel saltem singulis annis Kalendis Martii in publica mensa, vel alias in Capitulo ad hoc specialiter convocato, legi curent una cum aliis Decretis, & Constitutiontibus Apost. ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi solitis, juxta Decretum felic. record. Urbani VIII. Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur, itaut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commode queant. Deque hujusmodi lectione, & commonitione publico documento ab iisdem superioribus Conventus, vel domus subscripto, unaque ab aliis duobus Religiosis ejusd. Domus, vel Conventus statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Urbe, vel locorum Inquisitores ubi sunt. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, & afficere, acsi unicuique personaliter fuisset intimatum.

Decretũ hoc in publica mensa legi vult.

Hujusmodi decretum publico in loco affigi præcipit

CCCIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod in posterum nullus, qui in Provincia Granaten. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Minister Provincialis extiterit, & completo Officii triennio Pater modernior remanserit; posteaque Custos, seu Definitor Provinciæ fuerit electus possit denuo immediate in Ministrum Provincialem eligi, nisi prius saltem integrum triennium ab ingressu Definitorii vacaverit sub poena nullitatis aliter gerendorum.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Granatensis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod statuta generalia dicti Ordinis præcipue anno 1651. edita, & per dictam Congregationem confirmata sub titulo de tempore, quo durare debent Officiorum vacantiæ, nec Fratres in Definitoriis Provinciarum perpetuentur, disponebant, Definitores non posse eligi in Custodes, nec Custodes in Definitores, nisi triennio vacaverint: Et nihilominus in præfata Provincia Granaten. invalescebat abusus se perpetuandi in Definitoriis: cum Provincialatus officio functi ingrederentur Definitorium uti Patres Provinciæ moderniores, alio autem triennio se in Custodes, vel Definitores eligi curarent, deinde in subsequenti Capitulo, jam finito sexennio se in Ministros Provinciales reeligi facerent, atque ita perpetuarentur in Definitoriis contra bonum regimen dictæ Provinciæ, & in fomentum ambitionis, ac in detrimentum Religiosorum benemeritorum, qui licet benemeriti, si Ministrum Provincialem semel infensum habeant, nihil unquam consequi possint a Definitorio, quod Minister Provincialis semper ingreditur, sed ab illo continuo vexantur: Et propterea eidem Congregationi supplicato, ut ordinaret nullum, qui finito triennio Patris modernioris sit electus in Custodem, vel Definitorem, reeligi posse in Ministrum Provincialem, nisi ad minus per triennium vacaverit ab ingressu Definitorii, emanavit a præfata Congregatione Decretum tenoris. qui sequitur, videlicet.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac audita relatione Commissarii Generalis Curiæ Ordinis hujusmodi, Eminentissimo Astallio referente, ad tollenda absurda, quæ in memorata Provincia, quæ causa præmissorum, & contra mentem Statutorum generalium dicti Ordinis, in ambitionis fomentum, & dominandi libidinem evenire dicuntur, ut pauci solum modo Patres in Guberniis, & Officiis perpetuari conentur, censuit, & decrevit, prout præsentium tenore decernit, ut imposterum nullus, qui in prædicta Provincia Minister Provincialis extitit, & completo ejus Officii triennio Pater modernior remanserit, posteaque Custos, seu Definitor Provinciæ fuerit electus, possit de novo immediate in Ministrum Provincialem eligi, nisi prius saltem per integrum triennium ab ingressu Definitorii vacaverit; ac ita in præmissis de cætero fieri, exequi, & observari sub pœna nullitatis aliter geren. mandat, & præcipit contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ die 25, Junii 1660.

Marcus Cardinalis Ginettus.

§.2. Cum autem, sicut prædicti Fratres Provinciæ Granaten. Nobis nuper exponi fecerunt ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem eisdem Fratribus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur

bur adiicimus: salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, supradictæ Provinciæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Dat. die 13. Julii 1660. An.VI. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Julii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCIV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Commissio Nuncio Sabaudiæ, ut audiat Recursus Subditorum Principatus Masserani, & Marchionatus Crevacorii.

Ven. Fratri Carolo Archiepiscopo Tarsen. nostro, & Apostolicæ Sedis apud dilectum filium Nobilem Virum Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva. §.1. CUM dilecti filii Consules, Consiliarii, & Homines Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii, aliorumque locorum annexorum ob magnam eorum ab Urbe distantiam, non facile, nec sine notabili incommodo, & impensa valeant accedere ad Apostol. Sedem, eidemque suos recursus, & querelarum causas proponere, si quando a Dominis, quibus ab eadem Sede commissi sunt, vel eorum judicibus sentiant, se in aliquo prægravari, indeque sæpius contigerit illos præsto neminem habentes, qui eos audiat, & præsidio sit, animis concitatis prosiluisse in varios excessus maximo etiam cum detrimento prædictorum Dominorum loca ipsa obtinentium in feudum: Nos ex munere Nobis injuncto volentes omnium tranquillitati, ac etiam commoditati, & indemnitati prospicere, motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine te (de cujus probitate, prudentia, & in rebus agendis dexteritate, & experientia, plurimum in Domino confidimus) constituimus, & deputamus, ut recursus, si quos a quibusvis gravaminibus per dilectum filium Nobilem Virum Principem Masserani, & Marchionem Crevacorii, sive ejus Judices præfatis Consulibus, Consiliariis, & hominibus tam uti universis, quam uti singulis, illatis, seu inferendis per eosdem Consules, Consiliarios, & Homines ad Nos, & Sedem prædictam haberi contigerit, auctoritate nostra, ac uti a Nobis delegatus audias, & quid circa illos, & illa sit agendum eidem Principi, ejusque Judicibus rescribendo præscribas, & quomodo ab illis procedendum sit, dirigas. In arduis vero, & iis, quæ bonum regimen, ac statum dictorum locorum concernunt, Informationes suscipias, & ad Nos transmittas, ut quid magis expedire censuerimus, decernere, & mandare valeamus, plenamque Tibi in præmissis, & cæteris, quæ circa illa, & eorum occasione duxeris necessaria, & opportuna providendi, atque statuendi, & ordinandi auctoritatem concedimus, & delegamus.

Nuncio Sabaudiæ committit, quod continetur in Rubr.

Mandantes propterea moderno, & pro tempore existenti Principi Masserani, & Marchioni Crevacorii, necnon universis, & singulis aliis sub nostræ indignationis, aliisque nostro arbitrio pœnis, ut tibi in præmissis pareant, & quidquid mandaveris exequantur; nec sub quovis prætextu, aut quæsito colore, vel causa te in prædictis audeant, vel præsumant directe, vel indirecte impedire, seu molestare; sed imo tibi in omnibus assistant, suoque adjuvent auxilio.

§.3. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulas apponit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac fe: rec. Bonifacii VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Principatus Marchionatus, & locorum prædict., & aliis quibuslibet &c. sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, &c. alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Julii 1660. Pontificatus nostri Anno VI. Dat. die 15. Julii 1660. An.VI.

CCCV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Diversæ declarationes, & ordinationes circa Juramentum per Alumnos Collegiorum Pontificiorum præstari solitum, quo Sedis Apostolicæ servitio reperiuntur adstricti juxta Decretum particularis Congregationis Cardinalium de Propaganda Fide.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§. 1. CUM circa juramenti vinculum, quo Pontificiorum Collegiorum Alumni Sedis Apostolicæ (a qua maximis sumptibus educantur) servitio reperiuntur adstricti, variæ fuerint hucusque a nonnullis excogitatę interpretationes, quibus ejusdem Sedis in hoc eludatur intentio, & Dei gloriæ, & servitio, cui hujusmodi institutum dirigitur, non minimum detrahatur: Nos opportune, hac in re providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum super hoc a Nobis specialiter deputatorum, qui rem diligenter, ac mature discusserunt, consilio, ac inhærendo decretis alias circa præfati juramenti formulam emanatis, eaque quatenus opus innovando, auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus, prædictos Alumnos non ad triennium tantum, ut gratis aliqui interpretantur, sed perpetuo quoad vixerint, in quocumque statu permanserint, Sedis præfatæ servitio fuisse hactenus, & futuros in posterum strictos, ut alias, & signanter, die 7. Augusti 1645. a felicis recordationis Innocentio Papa X. Prædecessore nostro fuit declaratum; hujusmodi autem servitio minime satisfacturos, etiamsi in salutem animarum operam suam quoquo modo impendant, nisi illud ad præscriptum Sedis Apostolicæ expleverint. Præterea si contingat aliquem ipsorum incorrigibilitatis, vel malæ valetudinis, aut alia qualibet ex causa a Collegiis eiici, aut sponte sua quandocumque discedere, etiamsi non dum completis studiis, aut Sacris Ordinibus fuerit initiatus, non idcirco censendum a juramento ulla ex parte solutum tam circa servitium præstandum in Missionibus, quam circa prohibitionem ingrediendi Religionem, immo ne hoc, vel alio quovis prætextu d. Sedis mens forsan eludatur; prohibemus, ne etiam elapso triennio quovis tempore possit quilibet Alumnus ad Religionem admitti, nisi de expressa nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Congregationis Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum in scriptis habenda licentia, sub pœna nullitatis professionis ipso jure, si aliter fuerint ingressi, & quod ab eadem Cardinalium Congregatione, non obstante professione, ad primævum statum revocari possint. Insuper declaramus, quod concessa Alumnis, ut supra, licentia ingrediendi Religionem, non idcirco censendi sunt a juramento absoluti ex præsumpto tacito consensu, eo quod præfata Congregatio illorum opera forsan non uteretur: Ad hæc nullo pacto licere Alumnis contra formam juramenti, vel alteri statui ex perpetuo se addicere, eo sub prætextu, quod quilibet teneatur sibi ipsi ratione aliqua fabili consulere, & quod hæc S. Sedes Alumnis, postquam fuerint admissi non provideat. Cum memorata Congr. neminem ex iis, qui ad Missionis titulum ordinati sunt, quive suo instituto pro viribus incumbunt, consueverit unquam destituere: quod secus aliquando forsan contingat, hoc eorum culpæ adscribendum est, qui postquam fuerunt dimissi ejusdem Sanctæ Sedis, a qua enutriti fuerunt, ac ejus, quod professi sunt, Instituti prorsus obliti, de se, suoque statu eamdem monere negligunt omnino. Quia vero, ut præfertur, non desunt aliqui, qui non intelligentes gravitatem muneris Sacerdotum Secularium ad Missiones Apostol. admissorum, quidve Sanctæ Fidei propagationi, & Universalis Ecclesiæ bono, attenta præsertim temporum, ac rerum circumstantia, magis conducat, audeant adhuc asserere hujusmodi juramentum in ea parte, qua cujuslibet Religionis ingressum prohibet, invalidum omnino esse, tanquam impeditivum majoris boni, eoque prætextu excusationem suæ contumaciæ obtendentes, juramentum quoad hanc partem negligere præsumant: Nos volentes deinceps hujusmodi abusui opportune occurrere, eosque, qui contraire præsumpserint, ad statum, cui ex præfato juramento reperiuntur obstricti revocare; præcipimus omnibus Alumnis, ut postquam e suis Collegiis, vel sponte egressi, vel dimissi fuerint, sive in statu, & habitu seculari permanserint, etiamsi in Sacris non fuerint, sive etiam postquam alicui Religioni fuerint adscripti, donec vixerint quolibet anno, si intra fines Europæ fuerint, vel si extra quolibet biennio, de se suoque statu, & loco, ubi maneant, & quibus studiis, & exercitiis operam navent, per literas præfatam Congregationem certiorent; literas autem hujusmodi viciniori Sedis Apostolicæ Nuncio transmittere, atque etiam eousque iterare teneantur, donec per ejusdem Epistolam certi fiant, quod ad ipsum pervenerint. Utque id omnino observetur, præcipimus, ut in juramento ab eisdem Alumnis præstando addatur infrascripta clausula: Item voveo, & juro, quod sive Religionem ingressum fuero, sive in statu seculari permansero, si intra fines Europæ fuero quolibet anno; si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, & exercitii, & loci, ubi moram traxero, Sacram Congregationem de Propaganda fide certiorabo. Precipimus itidem quod idipsum præstent eorum Superiores Regulares quoad eos, qui Religionem fuerint ingressi. Præfectis vero Missionum Sacerdotum Secularium injungimus sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ, ut quolibet anno diligenter perquirant

Innoc. X. Decretum confirmatur.

Form[...]

rant de statu singulorum, qui fuerunt Alumni, & ad eam Missionem vel ratione originis, vel nationis, aut alio quovis modo pertinent, sive Religionem fuerint ingressi, sive non, deque ipsis, eorumque statu, exercitiis, ac locis eamdem Congregationem omnino moneant. Præterea præcipimus præsentes literas ad singula Collegia transmitti, eorum Superioribus injungentes, ut adamussim illas observari curent, expositasque habeant in loco patenti, singulisque obvio, ne ullo tempore illarum ignorantia a quopiam prætendi possit, & ut quovis anno in publico Refectorio bis legantur, nimirum prima Dominica Januarii, & prima Junii, necnon etiam immediate ante præstationem juramenti clara voce Alumnis mox juraturis legantur, ac ne quis ab earum exequutione excusari valeat, ipsius juramenti formulæ tam, quæ sequitur, clausulam superaddi mandamus: Denique voveo, & juro, me præfatum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum juxta declarationes factas a Sacra Congreg. de Propaganda Fide, & Brevi Apostolico roboratas sub die 20. Julii 1640. Quia vero in tanto Alumnorum numero, quos hæc S. Sedes ad Fidei Ministerium maximis sumptibus enutrit, ac instruit, ac quotidiana experientia comperitur ex defectu hujusmodi Ministrorum opus Dei multoties pætermitti, & quod maxime dolendum est, plurimas Regiones, quæ albæ sunt ad messem, ea de causa misere deperire; districte præcipimus Superioribus Collegiorum sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ut qualibet vice nomina singulorum, qui ad Collegium admittuntur, necnon eorum, qui dimittuntur, vel sua sponte recedunt, statim ipsimet Congregationi præfatæ, vel ipsius Secretario transmittant, expressis singulorum ætate, patria, studiis, ordinibus, habilitate, ac locis, ad quæ diriguntur, quove die juramentum præstiterint, ut in actis ejusdem Congregationis redigi possit. Injungentes Alumnis sub pœna ejectionis a Collegio, ne juramenti præstationem ultra ætatem in Decreto rec. mem. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri die 24. Novembris 1625, præscriptam differant; Superioribus vero sub eadem pœna suspensionis, ne ullam hac in re dilationem permittant, nisi ex gravi causa per ipsammet Congregationem supradictam Romæ; extra vero per Nuncios Apostolicos in scriptis approbanda, demum districte prohibemus, ut nullus omnino cujusvis dignitatis, & conditionis extiterit, audeat prædictum juramentum, ac præsentes literas, seu declarationes tam in totum, quam secundum singulas sui partes declarare, aut interpretari, sed si quid forsan dubitari contigerit, teneatur eamd. Sanctam Sedem consulere, ab eaque responsum in scriptis expectare sub pœna violationis juramenti, si secus facere præsumpserit.

Hujusmodi decretum servari vult.

Urbani VIII. Decretum confirmatur.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quilibet etiam speciali mentione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in contrarium revocari, seu ad terminos juris reduci posse, sed ipsas præsentes firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmssiis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Carinales etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter jucandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolocis, necnon memoratorum Collegiorum, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, ac expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu Secretarii præfatæ Congregationis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis, vel alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 20. Julii 1660. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub

sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCVI.

Secret. Brev. Ex Regest. in

Confirmatio quorumdam Privilegiorum a diversis Romanis Pontificibus Consulibus, & Communitati Civitatis Carpentoraten. super Nundinis, mercatibus, cognitione quarumdam Causarum, faciendisque Proclamatibus, seu Bannimentis pœnalibus, necnon infeudatione cujusdam Castri, respective concessorum.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpeuam rei memoriam.

Motiva.

Constantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Consules, & Communitas Civitatis nostræ Carpentoraten. erga Nos, & Sedem Apostolicam gerere comprobantur Nos inducit, ut illa, quæ ipsis a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris pro eorum commodo, dictæque Communitatis ornamento, & decore concessa fuerunt, apostolicæ confirmationis nostræ præsidio roboremus.

Supplicatio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt iidem Consules, & Communitas, quod dudum fel. rec. Clemens Papa VII. ipsis Consulibus, & Communitati, ut Nundinas ab omni gabella, datio, exactione, pedagio, & onere liberas, & exemptas, prout in aliis Civitatibus, & Locis illarum partium celebrabantur, celebrari facere, ac duos Mercatores probos, ac in arte peritos, qui in Domo publica dictæ Civitatis, aut alio loco deputando de differentiis, & discordiis, quæ inter Mercatores occasione Mercantiarum orirentur cognoscere, & eos componere valerent, & a quorum ordinatione appellari non posset; Et deinde piæ mem. Paulus PP. III., quod ultra Mercatum, quod ab immemorabili tempore citra in eadem Civitate qualibet die Veneris ex concessione dictæ Sedis fieri consueverit in qualibet die Martis in eadem Civitate aliud forum, seu Mercatum cum eisdem exemptionibus, cum quibus aliud die Veneris hujusmodi celebrabatur celebrare libere, & licite valerent indulserunt; Ipseque Paulus III. statuit, & ordinavit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli ære alieno gravati, seu alias submissi, vel obligati ad Mercatum dictis diebus venientes tam eundo, quam redeundo pro debito civili ad alicujus instantiam capi, aut alias quomodolibet vexari non possent. Postremo re: mem. Pius Papa IV. Prædecessor noster per eum accepto, quod Alexander Episcopus Ostien. Cardinalis Farnesius nuncupatus S. R. E. Vicecancellarius tunc in illis partibus de latere Legatus prædictis Consulibus causas minimas quatuor ducatorum auri de Camera non excedentes cognoscendi, & omni appellatione remota decidendi facultatem concesserat, quodque ab eisdem Consulibus, vel certis aliis Magistris nuncupatis ad id ab ipsis Communitate deputatis pretia Annonæ constituendi, & taxandi consueverant, ipse Pius Prædecessor Consulibus prædictis non solum causas quatuor ducatos non exceden. cognoscendi, & decidendi, ac pretia Annonæ constituendi, & taxandi, verum etiam quascumque alias Ordinationes, & decreta ad id necessaria faciendi, & promulgandi, & ea quoties expedire videretur mitigandi, corrigendi, & alterandi, taxas, & ordinationes, ac quicquid in præmissis pro bono publico pro tempore facerent, & decernerent per mercatores, artifices, laniones, pistores, salsamentarios, caupones, cetarios, piscium venditores, & alios quoscumque cujusvis status, gradus, ordinis, & conditionis existentes sub mulctis pecuniariis usque ad summam quatuor ducatorum similium per quemlibet transgressore qualibet vice persolven. inviolabiliter observari mandandi, inobedientes, & transgressores quoscumque illas incurrisse declarandi, & illas ab eisdem transgressoribus quibuscumque appellationibus, & diffugiis rejectis irremissibiliter exigendi, Fiscoque, ac pauperibus, & ærario ejusdem Civitatis æquis portionibus applicandi facultatem in perpetuum etiam privative, quoad omnes alios Magistratus; ita quod ea insolidum, & solis ipsis Consulibus, vel ut præfertur, pro tempore deputatis concessa, & demandata esse censerentur. Præterea cum de usu laudabili illarum partium singulis annis bandimenta, & proclamata sub pecuniariis, & aliis pœnis adversus inferentes damna, & injurias culpa, vel negligentia cum animalibus, vel alias in prædiis territorii, & districtus dictæ Civitatis consistentibus fieri consueverant, emolumentaque ex pœnis a contrafacientibus pro tempore exactis provenientia ad Cameram Apostolicam illarum partium spectarent, & quorum locatione dicta Camera annis singulis summam duodecim ducatorum similium, vel circa percipere consueverat, eisdem Consulibus us, & facultatem proclamata, & bandimenta hujusmodi suis loco, & tempore quoties opus fuerit in eadem Civitate, ac illius territorio, & districtu universo emittendi, & fieri mandandi bandimentis contravenientes ad solutionem mulctarum, & pœnarum propterea incursarum omnibus juris, & facti remediis cogendi, & compellendi concessit, & emolumenta quæcumque pœnarum hujusmodi ærario dictæ Civitatis in perpetuum, ita quod nullo unquam tempore de bandimentis, & pœnis præfatis earumque exactione, perceptione, & aliis inde emergentibus Legatus ipse, aut Vicelegatus, seu dicti Comitatus Rector, vel Cameræ agentes pro tempore existentes, aut quivis alii quovis prætextu se intromittere possent donavit, & in perpetuum applicavit; & insuper locum, seu castrum dirutum de Terris Carpentoraten. Diœcesis ad dictam Sedem pleno jure spectan., & contiguum territorio dictæ Civitatis tunc omni habitatore fere destitutum, in quo

Commu-

Communitas, & habitatores dictæ Civitatis jus paſcendi cum eorum animalibus ex quibuſdam conventione, ſeu ordinatione, necnon conſuetudine antiquis habebant omnia fere illius prædia, & habitationes præfatas pertinebant, ipſiuſque Civitatis ſtatuta, & conſuetudines in dicto loco veluti unico incorporato territorio d. Civitatis ſervabantur, ipſeque locus tunc eidem Legato ſuberat, & ex illo idem Legatus, ſeu Agentes pro dicta Camera annuatim non ultra duodecim ducatos ſimiles, vel circa cum certis aliis emolumentis, laudemiis nuncupatis percipere conſueverant cum univerſis ejuſdem loci territorio, & diſtrictu, eorumque hominibus, vaſallis, habitatoribus, incolis, domibus, edificiis, prædiis, aliiſque juribus, & pertinentiis ſuis quibuſcumque eiſdem Conſulibus, & Communitati in feudum nobile, perpetuumque ſub annuo canone, ſeu cenſu ſex ducatorum auri ſimilium Cameræ Apoſtolicæ illarum partium perſolvendi aſſignavit, ipſoſque Conſules, & Communitatē Feudatarios, & Dominos in temporalibus perpetuos dicti loci, ſeu caſtri fecit, conſtituit, & deputavit; Et poſtremo idem Pius IV. Prædeceſſor noſter motu proprio infeudationem, & conceſſionem dicti loci, ſeu caſtri de terris, & alia præmiſſa ſub lit. reſciſſionis alienationum rerum Eccleſiæ Romanæ per eumdem Pium Prædeceſſorem ſub datum quinto decimo Kalendas Junii Pontificatus ſui anno ſexto editis, & quibuſvis aliis ſimilibus, vel diſſimilibus revocationibus, caſſationibus, & aliis contrariis diſpenſationibus ſimilium gratiarum, etiam ab ipſo Pio Prædeceſſore, & Sede præfata editis nullatenus comprehenſa fuiſſe, eſſe, vel fore, ſed illa valida, & efficacia perpetuo permanere declaravit, & ſi opus eſſet illa adverſus eaſdem reſciſſiones, & literas revalidavit, ac in priſtinum ſtatum reſtituit, Conſulibus, & Communitati præfatis quod in dictis pœnis incorporandis, vel exigendis Procuratorem fiſcalem, ſeu quemvis alium minime vocare tenerentur, & dictas pœnas a quibuſvis omni, & quacumqua appellatione remota exigere, & opportuna mandata exequi facere poſſent, conceſſit, prout in Literis Apoſtolicis deſuper confectis, plenius continetur.

Privilegia nonnulla conceduntur.

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes præmiſſa omnia pro eorum firmiori ſubſiſtentia a Nobis approbari plurimum deſiderent; Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon dictarum literarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentib; pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati conceſſiones, indulta, ſtatuta, ordinationes, donationes, infeudationes, applicationes, deputationes, declarationes, revalidationes, reſtitutiones aliaque omnia, & ſingula præmiſſa, ac in dictis literis contenta, & inde ſecuta quæcumq., dummodo tamen ſint in obſervantia, nec revocata exiſtant, & ſine præjudicio jurium Cameræ Apoſtolicæ, applican. auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus.

Unuſquiſque ad Mercatum abſq. ulla moleſtia pervenire poſſit.

§.3. Decernentes omnes, & ſingulas perſonas ad dictum Mercatum, ut præfertur, venientes, ſeu ab illo recedentes occaſione, ſeu pretextu quarū cumq; declarationum pœnarum incurſarum etiam dicto Fiſco ob non paritionem mandatorum pro debitis civilibus tam publicis, quam privatis factorum applican. moleſtari, carcerari, vexari, ſeu perturbari nullo unquam tempore poſſe, aut debere; Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcien., vel ignoranter contigerit attentari.

Contravenientium pœnæ.

§.4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Carpectoraten., & Cavallicen. Epiſcopis, ſeu dilectis filiis eorum Vicariis in Spiritualibus Generalibus per præſentes committimus, & mandamus quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præfatas, & præſentes literas, ac in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Conſulum. & Communitatis prædictorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciāt auctor. noſtra præmiſſa omnia obſervari; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac premiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Contraria tollit.

§.5. Non obſtantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ad judicium ultra tres dietas non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis expreſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Julii 1660. Pontificatus noſtri Anno VI.

Dat. die 28. Julii 1660. An. VI.

CCCVII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Confirmatio Decr. Congregationis de Propaganda Fide circa Fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Excalceatorum nuncupat. qui ex Europa ad Inſulas Philippi-

lippinas transmittuntur, ne quovis prætextu in Civitate Mexici, aliisque in locis, per quæ eos transire contigerit, moram, ultra quam necessitas itineris, aut commeatus tulerit, ullo pacto trahere audeant &c.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Sacræ Congreg. Decretum. §.1. NUper emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandæ Fidei negotiis præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Decretum Sacræ Congregationis generalis de Propaganda Fide habitæ die 28. Junii 1660.: Ne Fratres Ordinis Eremitarum Excalceatorum Sancti Augustini, qui ex Europa ad Insulas Philippinas ad Christianam Fidem inibi juvandam, aut promovendam transmittuntur a tam sancto opere distrahantur, subsidiaque spiritualia iis Populis retardentur; Sacra Congregatio de Propaganda Fide, facto verbo cum Sanctissimo, ac Eminentissimo Duratio referente, prohibuit, & prohibet singulis eorum, ne quovis prætextu in Civitate Mexici, aliisque in locis, per quæ eos transigere contigerit, moram, ultra quam necessitas iteneris, aut commeatus tulerit, ullo pacto trahere audeant, sed recto tramite ad obedientiam sui Commissarii in præfatis Insulis residentis, se conferant, sub pœna privationis utriusque vocis, perpetuæque inhabilitatis ad quaslibet Dignitates, seu munera suæ Religionis. Datum Ædibus ejusdem S. Congregat. hac die 28. Junii 1660.

Cardinalis Antonius Præfectus.

M. Albericius Secretarius.

Oratorem a censuris absolvit, & decretum præinsertum confirmat. §.2. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis dicti Ordinis, seu Congregationis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Cong. Cardinalium.

Clausulæ. §.3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Augusti 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCVIII.

Confirmatio primi Brevis Provinciæ B. Petri de Alcantara Ordinis S. Francisci Patrum Discalceatorum in Hispania, cum electione Ministri Provincialis, & Definitorum ipsius Provinciæ a SSmo facta.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

ALias Nos charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici supplicationibus Nobis humiliter porrectis inclinati, Provinciam Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ord. Minorum Sancti Francisci de Observantia in Regnis Valentiæ, Murciæ, & Granatæ consistentem in duas, unam scilicet, quæ nomen Provinciæ S. Joannis Baptistæ retinere deberet, & alteram de novo erectam, & Beati Petri de Alcantara nuncupandam Provincias, sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apost. divisimus, ac inter alia voluimus, ut in Capitulo Provinciali, in quo Præses ipsiusmet Capituli ad novam electionem præsideret, vel etiam in Congregatione more Capituli Provincialis ad hunc effectum habenda, & celebranda tempore, & loco ab ipso Ministro Provinciali Provinciæ S. Joannis Baptistæ præscriptis, convocatisque per ipsum Definitoribus, & Fratribus, cunctisque omnium locorum, seu Conventuum ipsius Provinciæ Guardianis, ex omnibus ejus Fratribus, hoc est de toto corpore Provinciæ unus illorum in Ministrum Provincialem, Definitores, & Guardianos per vota secreta ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, & deinde ex corpore Congregationis solummodo quatuor Definitores, & Custos servatis servandis, & prout in hujusmodi Capitulis Provincialibus moris est, eligerentur, quos omnes, scilicet Ministrum Provincialem, Definitores, & Custodem, postquam electi fuissent, idem Minister Provincialis Sancti

cti Joannis Baptistæ, seu Præses Capituli Apostolica auctoritate confirmaret, & alias prout in nostris in simili forma Brevis literis die 4. Augusti 1659. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio. §.1. Cum autem, sicut Nobis nuper relatum fuit, prædicti Minister Provincialis, & Vocales voluntatem nostram hujusmodi exequutioni demandare non curaverint, nec curent. Hinc est, quod Nos prospero, felicique regimini, & gubernio prædictæ noviter erectæ Provinciæ B. Petri de Alcantara, ex commissi Nobis cœlitus pastoralis officii debito providere volentes, ac de infra nominatorum dicti Ordinis Fratrum expresse professorum charitate, prudentia, industria, idoneitate, Religionis zelo, aliisque meritis plurimum in Domino confisi, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

§.2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectos filios Franciscum Morales in Ministrum Provincialem, ac Christopharum Laurentium in Custodem, necnon Didacum Fernandes in primum, Bernardum Morales in secundum, Franciscum de Estevan in tertium, & Alphonsum de Segura Fratres Ordinis prædicti in quartum Definitores dictæ novæ Provinciæ B. Petri de Alcantara respective ad tempus, quo aliarum Provinciarum dicti Ordinis Ministri Provinciales, Custodes, & Definitores juxta regularia ejusdem Ordinis instituta Apostolica auctoritate confirmata, in suis officiis durare consueverunt, tenore præsentium constituimus, & deputamus.

§.3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis memoratæ Provinciæ Beati Petri de Alcantara Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, ut supra nominatos Fratres ad officia eis respective per præsentes demandata recipiant, & admittant, illosque recognoscant, ac eis in omnibus officia hujusmodi concernentibus pareant, & obediant, ac faveant, & assistant respective.

§.4. Ac decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac supranominatis Fratribus plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & spectabit, in futurum inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Aug. 1660. Pontificatus nostri Anno VI. Dat. die 9. Aug. 1660. An. VI.

CCCIX.

Subsidium contra Turcas 100. mil. scutorum auri super fructibus Ecclesiasticis Reipublicæ Venetorum. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. §.1. Etsi Nobis pro cura pastoralis Officii divina disponente providentia, Nobis licet meritis imparibus, commissi, nihil magis cordi sit, quam personas Ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque nisi summa necessitas cogat, re ipsa animo statuerimus: nihilominus, sicut jam omnibus notum esse debet, cum Turcarum Tyrannus nefarium bellum, quod a quindecim vel circiter annis dilectis filiis nobilibus viris Duci, & Dominio Venetorum intulit, etiam num ingenti apparatu maximisque viribus prosequatur, & propterea ipsi Dux, & Dominium majores, quam nunquam antea tam maritimas, quam terrestres copias, ut se, suaque tueantur, parare, & instruere, ac proinde ingentes impensas facere modo compellantur: Nos considerantes non minus Clericorum, quam Laicorum interesse, ut ea, quæ ad defensionem hujusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo Christiani nominis hostes infensissimi a Christifidelium cervicibus, adjuvante Domino repellantur, cogimur de universi Cleri Dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo, periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes, quod ipsi hoc onus urgentissima necessitate, & justissima de causa a Nobis sibi impositum æquo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, unum

Subsidiū centum mille scutorum auri assignat.

unum subsidium centum mil. scutorum auri super omnibus, & singulis fructibus, redditibus, & proventibus secundum verum annuum valorem præsentis anni quarumcumq; Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Patriarchalium, atque aliarum Ecclesiarum, ac Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium quorumcumque, ac Hospitalium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum, non tamen Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, cujus Fratres pro munienda, & defendenda adversus improbos eorumdem Turcarum conatus Insula Melevitana, gravissimos sumptus subire, & magnum æs alienum contrahere oportuit, Regularium cum cura, & sine cura in dicto Dominio existentium a Ven. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, cæterisque personis Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus quibuscumque tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis, & quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cistercien., Cluniacen., Premonstraten., Carthusien., Camaldulen., Montis Oliveti, Vallis umbrosæ, Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, & quorumvis aliorum Ordinum, necnon Cassinen. alias S. Justinæ, S. Salvatoris, & Lateranen., aliarumque Congregationum tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium ex privilegio, & alias bona immobilia, seu certos redditus quoquo modo Ecclesiasticos habentium in Dominio prædicto, Ecclesias, Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica obtinen., & fructus Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum hujusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, & sub quibusvis obligationibus etiam in forma Cameræ Apostolicæ, & juramento etiam cum susceptione censurarum, & de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, & concessis non utendo vallatis, & forsan aliis etiam efficacioribus cautelis, & decretis, ac clausulis super iisdem fructibus, & pensionibus, etiam medio cedularum Banchi, seu in forma Depositi habentibus, & intra præsentem an. habituris cujuscumque præeminentiæ, status, gradus, ordinis, & conditionis, etiam Religionis, vel militiæ existent, quibus aut quorum aliquibus ulla privilegia, & exemptiones, aut Indulta sub quacumque verborum forma, & expressione concessa quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus, Fratribus, & personis dicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in totum, & omnino; cæteris vero Hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro ea quantitate tantum, quam in servanda ipsa hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, & dummodo a personis Ordinum mendicantium nonnisi medietas ejus partis, quæ ratione subsidii hujusmodi ab eis solvenda esset solum exigatur, proportionabiliter, & æqualiter juxta verum valorem prædictum inter prædictas personas Ecclesiasticas secundum æqualem & discretam partitionem, quam ad Nos quamprimum mitti mandamus per Venerabiles Fratres Jacobum Archiepiscopum Athenarum Nuncium nostrum, & Patriarcham Venetiarum distribuen. ac in locis, & terminis, modisque, & formis per ipsos Jacobum Archiepiscopum Nuncium, & Patriarcham, quos Collectores Generales subsidii hujusmodi harum serie constituimus, & deputamus, statuen., ordinan., & declaran. omnino de præsenti anno persolven., ac per eos, & eorum Subcollectores, qui sint personæ Ecclesiasticæ ad hoc ab ipsis deputandos percipien., exigen., & levan., ac Duci, & Dominio prædictis cum effectu consignan. ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas, & non in alios usus convertere valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium, imponimus, impositumque fore, & esse decernimus, & declaramus, necnon eisdem Collectoribus Generalibus, & ab eis deputandis subcollectoribus, hujusmodi a Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus, Electis, Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, Præceptoribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, & aliis personis Ecclesiasticis prædictis, præterquam, ut supra exceptis, ratam dicti subsidii eos, & eorum quemlibet ut præmittitur tangentem petendi, exigendi, & colligendi, eisque, & eorum singulis, ut illam modo præmisso solvant per pœnas, quoad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos interdicti, & suspensionis ingressus Ecclesiæ, quoad alios vero privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & alias de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras Ecclesiasticas, cæteraque opportuna juris, & facti remedia mandandi, & præcipiendi, Contradictores quoslibet, rebelles, & suam ipsius subsidii partem solvere recusantes, seu differentes, & ne illa solvatur persuadentes directe, vel indirecte per pœnas, censuras, & remedia hujusmodi appellatione postposita compescendi, brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi; solventes de solutis quietandi, & liberandi, a censuris, & pœnis, quas præmissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, & generaliter omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus sit expressum faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi, & exequendi plenam, & liberam auctoritatem, & tenore prædictis facultatem concedimus, & potestatem

§. 2. Volentes tamen quod personæ Ecclesiasticæ ratione subsidii hujusmodi eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam

quam ratione similium Subsidiorum a fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro, & a Nobis respective concessorum solverunt, & nihil amplius; Quodque expensæ, quæ circa exactionem subsidii hujusmodi forsan faciendæ fuerint, in centum mil. scutis prædictis minime computari debeant; sed dictæ Personæ Ecclesiasticæ expensas ipsas ultra ratam partem, quam ratione ejusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Decretum Innoc. X. confirmat.

§.3. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis Universalibus editis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, & Militiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, privilegiis quoque, Indultis, exemptionibus, & immunitatibus etiam in Corpore Juris clausis, ac literis Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Præceptoriis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, & Militiis, aliisque prædictis in genere, vel in specie sub quacumque forma, & verborum expressione a Nobis, & Sede Apostolica etiam consistorialiter, & motu simili, ac alias quovis modo emanatis, concessis, & etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse quod per hujusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censeatur, nisi sua certis modo, & forma in eis expressis, tenores hujusmodi acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis, ac modum, & formam ad id servandos pro individue servatis habentes ad præmissorum effectum illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§.4. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Commendatariis, cæterisque prædictis, & quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§.5. Volumus autem, quod juxta Ordinationem in Concilio Viennen. super hoc editam, Calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum Beneficiorum, & Piorum locorum sub præsentibus comprehensorum, divino cultui dedicata causa pignoris, vel alias occasione solutionis subsidii hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; Quodque earumdem præsentium literarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus ex dictis Collectoribus, vel alterius Prælati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Aug. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 13. Aug. 1660. An. VI.

CCCX.

Impositio Decimarum pro Republica Veneta.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Jacobo Archiepiscopo Athenarum moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Dominio Venetorum Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrosanctæ militantis Ecclesiæ regimini per abundantiam divinæ gratiæ nullo licet meritorum suffragio præpositi, inter graves sollicitudines, quibus pro credito Nobis Apostolicæ servitutis officio assidue præmimur, ea est præcipua, quam continua pericula, atque discrimina, quæ a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno Principibus, & Populis Christianis nunquam non impendent Nobis conficiunt. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam Sanctam protegit præsidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito Pastoralis muneris in id omni cogitatione, omnique cura incumbere, ut provisionis nostræ ministerio adhibitis Catholicorum Principum viribus mala hujusmodi prorsus a Populo Christiano arceantur.

§.1. Cum vero plus satis constet eumdem impium Turcarum tyrannum nihil avidius quærere, quam Christianos Populos invadere, & Christanam Religionem exterminando, abominationem suam plantare, & propagare, ejusque vires, nostris facientibus peccatis malo nostro admoniti cogamur timere, omnique cura, & solicitudine præcavere, multo magis castra Domini custodire, & præmunire Nos oportet hoc præsertim tempore, cum idem Turcarum tyrannus ingentibus mari, terraque copiis ditiones nobilissimæ Reipublicæ Venetorum invaserit, quæ ut improbis ejus conatibus resistere possit, cum magnos sumptus jugiter facere debeat; Idcirco fe: re: Clementis VIII., & Pauli V., necnon Gregorii XV., ac Urbani VIII., & Innoc. X. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes

tes Rempublicam id enixe flagitantem ecclesiasticis auxiliis prompto, libentique animo adjuvandam decrevimus: Attendentes non solum Nos ejus unius saluti, verum etiam multorum, ac omnium Italiæ Populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiæ munimentum, ac firmissimum Maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem æquum, & rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicæ eorumdem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii, & Urbani, ac Innocentii Prædecessorum exemplo, subsidio Decimarum ex fructibus, & redditibus totius Cleri ejusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore, ut ea Respublica testificatione paternæ voluntatis erga se nostræ non solum sese munitam, & ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam illum a suis finibus animose detrudat.

§.2. Nos igitur istis, aliisque gravissimis, & justissimis de causis moti, motu proprio, ac ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium indicimus, & imponimus sexdecim integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddit3uum, & proventuum quarumcumq; Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepisc., Episcop., Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoq; Præpositurarum, Præpositatuum, Præceptoriarum, Canonicatuum, Præbendarum, Dignitatum majorum, & principalium, Personatuum Administrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacen., Cistercien., Præmonstraten., Sancti Basilii, Silvestrinorum, & qui proprietates, redditusque certos ex privilegio apostolico, vel alias possident, mendicantium, & quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus, & Congregationum, non tamen earum quæ inferius descriptæ sunt, ac militiarum in universo Dominio dictæ Reipublicæ Venetorum existentium. Ac insuper alias sexdecim Decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, & proventibus supradictis assignatarum, & assignandarum ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, cæterisque cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis (exceptis dumtaxat Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, necnon dilectis filiis Fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ac Fratribus Mendicantibus prædictis, & insuper Beneficiis Ecclesiasticis Officio Sanctæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis in dicto Dominio instituto unitis, annexis, & applicatis, quos Cardinales, ac Fratres Hospitalis prædicti, ac beneficia prædicto Inquisitoris officio unita in totum, Fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis, & illarum solutione immunes, & exemptos esse volumus, & decernimus Ecclesias, Monasteria, & Beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem hujusmodi in eodem Dominio quocumque jure, ac titulo obtinentibus, & obtenturis, necnon ab universis etiam Œconomis, Commendatariis, atque Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes, vel illorum partes loco pensionum annuarum, vel pensiones, & alia hujusmodi jura ex quacumque auctoritate apostolica in toto, vel in parte reservata habentibus, & habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Militiarum prædictorum regularibus, & ab ipsis etiam Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Personis, Collegiis, Militiis, Massis, & locis prædictis quacumque amplissima, & firmissima exemptione, & immunitate reali, personali, vel mixta antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis integraliter, & cum effectu numerandas persolven., & consignan. ulterius supradictis ex causis, ac exemplo Clementis, & Pauli, ac Gregorii, necnon Urbani, ac Innocentii Prædecessorum prædictorum adducti motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus imponimus, & indicimus novem Decimas omnium, & quorumcumq; fructuum, redditnum, & proventuum ad Cassinen. alias Sanctæ Justinæ de Padua, Lateranen., Carthusien., Montis Oliveti, Sancti Salvatoris, Camaldulen. Sanctæ Mariæ Vallis Umbrosæ, Sancti Giorgii in Alga Venetiarum, Cælestinorum, Cistercien. Provinciæ Lombardiæ, Cruciferorum, ac Sancti Hieronymi Congregationes, earumque Monasteria Abbatiales, vel Conventuales, aut alias mensas, Prioratus, Præceptorias, Præposituras, Beneficia, & Officia cum cura, & sine cura, membra, Grangias, & alia Beneficia illis annexa in dicto Dominio consisten. quovis modo pertinentia solven. etiam per ipsas Congregationes, earumque Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conventus, Capitula, & Personas ultra subsidia montis Religionis, seu quadringentorum millium, scutorum, & quartæ partis eorumdem fructuum, redditunm, & proventuum, & alia onera, quæ per Sedem Apostolicam eis imposita, aut alias persolvunt, seu persolvere promiserunt, similiter numerandas persolven., & consignan. secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum, & ad effectum licet fel. rec. Pius V. nonnullis tunc causis adductus, & Clemens, necnon Paulus, & Gregorius Prædecessores prædicti etiam ex aliis tunc expressis causis easdem Congregationes a Decimis super fructibus, & redditibus Ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in Dominio Venetorum, & ex quacumque causa imponendis liberas, & immunes fecerint, pari motu, scientia, auctori-

ctoritate, & de apostolicæ potestatis plenitudine quoad fructus, redditus, & proventus ad ipsas Congregationes, & quamlibet earum in Dominio Venetorum spectantes immunitates, exemptiones, ac omnes, & quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes etiam in forma Cameræ Apostolicæ, & juramento, vel alia quavis firmitate roborata, præsertim inter Pium, & Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium Prædecessores nostros, & Cameram Apostolicam, & pro ea S.R.E. Camerarium, vel Thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, & ejusdem Cameræ Ministros quantumvis ampla, & sufficienti facultate ad præmissa facien. suffultos ex una, & Congregationes ultimodictas, illarumque Procuratores ex altera partibus, ac omnia, & quæcumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causa in hunc usque diem eisdem Congregationibus etiam ex causa, & titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, & ex causis supradictis suspendimus, ac ipsis Congregationibus quoad novem decimas prædictas, hac vice, ut præfertur, suffragari nolumus; illa vero alio in suo robore permanere decernimus; ipsasque Congregationes ex gravissimis causis prædictis novem decimis hujusmodi oneramus, & cum cæteris secularibus, & regularibus Clericis, personis ejusdem Dominii Venetorum sexdecim, ut præfertur, indixerimus, tali nostræ impositioni acquiescere, ac tacitas, & contentas esse volumus. Universas vero, & singulas personas quavis dignitate, vel auctoritate fungentes, tam supradictas Ecclesias, Monasteria, & Beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut eorum partem sibi, ut præfertur, reservatos percipientes, quam ultimodictas Congregationes, & eorum unumquemque tam conjunctim, quam divisim ad hujusmodi Decimas in octo annis binas videlicet Decimas dumtaxat quolibet anno, & quoad ultimodictas Congregationes singulas tantum Decimas cum una octava parte alterius Decimæ; quoad dictos autem Fratres Mendicantes singulas similiter Decimas, quotannis, durante octennio a die quo ultima similis concessio a prædicto Innocentio Prædecessore facta expiraverit inchoando, & ut sequitur finem in certis terminis per te præfigendis integre persolven. efficaciter teneri, & vere obligatos esse, iisdemque pensionariis, aut eorum alicui pensiones annuas prædictas quantumlibet exemptas, & sub quibusvis obligationibus etiam in forma Cameræ, & juramento etiam de non contraveniendo, & forsan, de non impetrando gratias nostras contra eos, & de non utendis concessis firmatas, aut alias vallatas, & forsan aliis cautelis, & decretis munitas, causam donationis super iisdem fructibus, & pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in forma depositi habentibus, & intra octo annos prædictos habituris, etiamsi ipsi a quibus pensiones hujusmodi solvendæ sunt, juri, & actioni petendæ, vel retinen. portionis, aut ratæ partis pensionarios tangen. jurejurando renunciaverint, ulla Privilegia, aut Indulgentias sub quacumque verborum forma, aut expressione concepta quoad hoc nullatenus suffragari volumus, sicque, & non aliter in prædictis universis, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios, & causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam S.R.E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus: Ut autem hujusmodi Decimæ facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac Ven. Fratrem Patriarcham Venetiarum, necnon Ven., etiam Fratrem Danielem Episcopum Tagasten. ad dictas Decimas exigendas, Ducique, & Dominio prædicto, sive ejus Ministris ad id specialiter deputatis statim, nulla interposita mora, & sine aliqua prorsus diminutione, retensione, aut detractione, etiam non detractis quinque pro centenario Cameræ nostræ prædictæ in exactione talium decimarum applicari consuetis integre consignandas earumdem Decimarum Collectores, & exactores constituimus, & deputamus. Ac tibi, & Patriarchæ Venetiarum, ac Danieli Episcopo prædictis pro onere, quod in exactione Decimarum hujusmodi sustinebitis quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem Decimis detrahenda, & illorum medietatem inter vos pro æquali portione, & quolibet anno ejusdem octennii pro rata distribuen., & dividen. reliquam vero medietatem Subcollectoribus, & aliis Exactoribus, ac Procuratoribus ad easdem Decimas colligendas deputatis etiam quolibet anno pro rata habita ratione laboris, & amplitudinis cujuscumque Civitatis, & Diœces. loco salarii, seu stipendii, & mercedis assignan. & distribuen., ita tamen, ut non quotannis hujusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum pro rata quolibet anno detrahatur, ac tam vos, & quilibet vestrum, quam ipsi Subcollectores, & alii prædicti ratione fructuum Ecclesiarum quibus nunc præesse dignoscimini, aut in posterum præfici, vel Beneficiorum obtentorum, aut quæ obtinere, & non fructuum, & pensionum reservatorum: & assignatarum, ac quos, & quas vobis assignari posthac contigerit, Decimas ipsas pro vestra, & illorum rata, & illorum quemlibet tangente integre, & realiter persolvere omnino teneamini, & dicta assignatione, & distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos, & vestrum quilibet prætendere possitis, tibi, & aliis prædictis a dictis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commen-

Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, & aliis personis supra expressis exceptis, easdem Decimas, ut præfertur, per Nos impositas peten., exigen., & colligen., eisque tam in genere, quam nominatim, & in specie ut illas solvant, sub privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque prout Nobis videbitur pœnis etiam pecuniariis, ac demum per sententias, & censuras ecclesiasticas mandandi, & præcipiendi, ac pro earumdem Decimarum faciliori exactione unum, vel plures Subcollectores, qui si in dignitate ecclesiastica constituti sint, pari actu vigore præsentium facultate fungantur per locorum Ordinarios, in quacumq; Civitate, & Diœcesi, & loco sibi subjecto pro tempore deputatos approban., & si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem breve terminum vestro arbitrio præfigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi, etiã sine illorum consensu tuo arbitrio, illos libere deputan., & deputatos amoven., aliosque eorũ loco toties quoties tibi videbitur substituendi, & subrogandi, & solvere recusantes, & differentes, & generaliter contradictores quoslibet, & rebelles, & ne Decimæ hujusmodi solvantur persuadentes directe, vel indirecte per ipsas censuras ecclesiasticas, & alia opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis contro eos ad hoc si opus fuerit invocandi, solventes vero de solutis quietandi, & liberandi a censurisque, & pœnis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, & generaliter omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facien., ordinan., mandandi, & exequen. plenam, & liberam, auctoritate, & tenore prædictis, facultatem concedimus, & potestatem.

Contraria tollit.

§.3. Non obstan. Regula nostra de non tollendo jure quæsito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si ipsis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, Congregationibus, & aliis personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ad solutionem alicujus Decimæ non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, & exemptionibus, & in corpore juris clausis, ac Literis Apostolicis quibuscumque Dignitatibus, seu Ordinibus specialiter, vel generaliter sub quacumque verborum forma expressis, etiamsi motu proprio, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, & consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda esset, quæ eis quoad præmissa nolumus in aliquo suffragari.

§.4. Volumus autem, quod juxta ordinationem a Concilio Viennen. super hoc editam, Calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum Piorum locorum divino cultui dedicata ex causa pignoris, vel alia occasione solutionis Decimarum hujusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur, quodque præsentium literarum transumptis tuo, vel alterius Prælati Ecclesiastici sigillo, ac publici Notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides in judicio, vel extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Sept. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXI.

Statuit ne de cætero in Provinciis Tertii Ordinis S. Francisci Congregat. Galliæ Oblati, seu servientes ullatenus recipiantur, & ad Professionem admittantur, nisi cum biennali Novitiatu, & quarto voto de non procuran. alia ab hujusmodi Oblatorum, & servientium conditione ad præscriptum Constitutionũ sub pœnis privationis vocis activæ, & passivæ, necnon Officiorum, & nullitatis gestorum, neque quicquam circa statum dictorum Oblatorum, seu Laicorum in Capitulis Provincialibus, seu extra eorum Constitutionum dicti Ordinis, & præsentium literarum forma innovetur.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Renatus Parisiensis, & Simon Lugdunensis Procuratores Fratrum Laicorum Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ quod alias per fel. record. Urbanum VIII. Predecessorem nostrum accepto, quod Fratres Oblati, seu Servientes Ordinis, & Congregationis hujusmodi præter tria vota solemnia ab aliis ejusdem Ordinis Fratribus emitti solita, alio quarto voto de non procuranda alia Fratrum Oblatorum conditione sese obstrixerant, idem Urbanus Prædecessor noster ad supplicationem dilecti filii Antonii Sagien. tunc ejusdem Congregationis Procuratoris Generalis, prævia dispensatione, seu

ſeu relaxatione prædicti quarti voti benigne indulſit, & conceſſit eiſdem Fratribus Oblatis, ſeu ſervientibus tunc in prædicto Ordine exiſtentibus, ut ad Caputium, & ſtatum Fratrum Laicorum ejuſdem Tertii Ordinis ſub certis modo, & forma admitti poſſent, & inſuper eiſdem Fratribus Laicis dictæ Congregationis tunc præſentibus, & futuris etiam a ſtatu Oblatorum aſſumptis, vel aſſumendis jus ſuffragiorum reſtituit, ac de novo conceſſit, prout in binis ejuſdem Urbani Prædeceſſ. in ſimili forma Brevis literis, unis die 26. Aug. 1641. & alteris die 25. Maii 1644. deſuper expeditis uberius continetur. Noviſſime vero nomine Provinciæ S. Franciſci, ſeu Franciæ ejuſdem Tertii Ordinis Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ ſupplicato, ut facultatem admittendi in futurum prædictos Fratres Oblatos, ſeu ſervientes ad Caputium, & ſtatum laicorum concedere, & biennium Novitiatus eorumdem Fratrum ad unicum dumtaxat annum juxta diſpenſationem, ſeu Decretum tunc exiſtentis Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S, Franciſci die 20. April. 1646. emanatum reducere vellet, iidem Cardinales reſponderunt diſpenſationem, ſeu Decretum hujuſmodi prædictæ Provinciæ ſuffragari, ipſamque prædictis Urbani Prædeceſſoris Literis, ſervata illarum forma, & tenore uti poſſe; quo vero ad diſpenſationem Miniſtri Generalis prædicti, quod ſufficiat unus annus Novitiatus, ſervandas omnino eſſe Conſtitutiones generales ejuſdem Tertii Ordinis Congregationis Gallię, ex quibus requiritur biennium, prout in Decreto Congregationis eorumd. Cardinalium die 3. Octobris proxime præteriti, ac Literis noſtris Apoſtolicis deſuper in eadem forma Brevis die 21. Januar. proxime elapſi expeditis, uberius continetur.

Sequitur ſupplicatio. §. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat moderni Provinciales, & Definitores Provinciarum S. Franciſci, ſeu Franciæ, & Sanctorum Ludovici, & Elzearii ejuſdem Congregationis Galliæ præmiſſis non obſtantibus Fratres Oblatos, ſeu ſervientes prædictos cum unico anno Novitiatus, & tribus dumtaxat votis ſolemnibus admittere, illoſque poſt aliquot annos ad Caputium, & Fratrum Laicorum ſtatum aſſumere poſſe ad hinc prætendant, id vero directe adverſetur Conſtitutionibus Generalibus præd. Tertii Ordinis expreſſe requirentibus in hujuſmodi Fratribus Oblatis, ſeu ſervientibus præter duos annos Novitiatus tria vota ſolemnia, & quartum de non procuranda alia a Fratrum Oblatorum, ſeu ſervientium conditione, in qua permanere debeant.

§. 3. Nobis propterea iidem humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur ipſos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorumdem Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, ad quos negotium hujuſmodi denuo examinandum, & determinandum noviſſime remiſimus, quique partes ſæpius audiverunt, & rem attente, & mature diſcuſſerunt conſilio Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus, ſtatuimus, & decernimus, ut in futurum Oblati, ſeu ſervientes in memoratis Provinciis Tertii Ordinis S. Franciſci in Regno Galliæ conſiſten. nullatenus recipiantur, & ad Profeſſionem admittantur, niſi cum biennali Novitiatu, & quarto voto de non quærenda, ſeu procuranda alia ab hujuſmodi Oblatorum, & ſervientium conditione ad præſcriptum ejuſdem Ordinis Conſtitutionum; ac proinde ſub pœnis privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad ea, & alia quæcumque obtiuenda prædicti Ordinis Superioribus, Officialibus, & aliis quibuſcumque, ad quos ſpectat, ſeu ſpectare quandocumque poterit in futurum, atque etiam nullitatis, & invaliditatis ſecus geſtorum, & gerendorum auctoritate, & tenore prædictis præcipimus, & prohibemus, ne aliter quam modo, & forma præmiſſis hujuſmodi Oblatos, ſeu ſervientes in poſterum recipiant, nec quicquam erga, vel circa ſtatum, & conditionem tam eorumdem Oblatorum, ſeu ſervientium, quam etiam Fratrum Laicorum, ſive in Capitulis Provincialibus, ſive extra contra prædictarum Conſtitutionum, & præſentium Literar. formam, & tenorem ſub jam dictis pœnis attentare, ſeu innovare audeant, aut præſumant. *Confirmat decretum.* *Contravenientium pœnæ.*

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 5. Non obſtantibus prædictæ Congregationis Cardinalium Decretis, literiſque Apoſtolicis hucuſque deſuper emanatis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet con- *Contraria tollit.*

concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 13. Sept. 1660. An. VI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Sept. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Decretum die 14. Novembris anni 1659. ac Breve Sanctitatis Suæ die x. Septembris dicti anni expedit. circa statum Oblatorum, & servientium Provinciarum S. Francisci, & SS. Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ servand. esse; cum iis tamen, qui post Breve fel. rec. Urbani PP. VIII. 26. Aug. 1641. emanat. in dicto Ordine recepti ex Oblatorum ad Laicorum statum hactenus de facto transierunt, ex benignitate Apost. dispensat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Renatus Parisien., & Simon Lugdunen. Procuratores Fratrum Laicorum Provinciarum S. Francisci, & SS. Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis S. Francisci, quod alias postquam fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster cum Fratribus Oblatis, seu servientibus, qui tunc in Ordine prædicto existebant super quarto voto, quod vigore statutorum generalium ejusdem Congregationis Gallicanæ emiserant, dispensaverat, eisque transitum ad statum Laicorum concesserat, prout in ejusdem Urbani Prædecessoris Lit. in simili forma Brevis die 26. Augusti 1641. emanatis, uberius continetur, dictæ Congregationis Superiores vigore literarum hujusmodi, nedum Fratres servientes, qui tunc temporis in Ordine erant, sed etiam postea receptos, seu recipien. ad statum Laicorum admittere posse prætenderunt prætextu etiam cujusdam Decreti Congregationis Venerab. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum 3. Octobris anni præteriti emanati, & a Nobis per Literas in eadem forma Brevis die 21. Januarii proxime præteriti expeditas, confirmat., quo declaratur prædictas Urbani Prædecessoris literas Provinciæ S. Francisci, seu Franciæ dictæ Congregationi suffragari.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat eædem Urbani Prædecessoris literæ ad Fratres Oblatos, seu servientes, qui tunc temporis in Ordine existebant restringantur, nec Fratribus servientibus postmodum admissis ullatenus suffragari valeant, prout Decreto Ven. FF. Emilii Camerinen., & Caroli Clusin. Episcoporum, quibus negotium hujusmodi examinandum demandaveramus, die 14. Novembris anni præteriti emanato, & a Nobis die 10. Decembris ejusdem anni per alias nostras pariter in forma Brevis literas confirmat. expresse declaratum fuit, Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipsos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negociis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem partibus auditis attente, & mature discusserunt, consilio, attentis narratis, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus circa præmissa servandum esse Decretum sub die 14. Novemb. anni proxime elapsi 1659. ac Literas Apostol. in forma Brevis die 10. Decembris ejusdem anni desuper expeditas, prout ea, eorumque tenorem, & formam servari omnino mandamus, & præcipimus in contrarium allatis minime obstantibus, cum iis tamen, qui post prædictas Urbani Prædecessoris Literas die 26. Augusti 1641. emanatas in dicto Ordine recepti, ex Oblatorum ad Laicorum statum hactenus de facto transierunt, ex benignitate Apostolica dispensamus. Decretum præinsertum confirmat.

§.3. Decernentes præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat Derogat. contrar.

xat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 13. Sept. 1660. An.VI. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Sept. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXIII.

Secret. Brev. Ex Regest. in Revocat, & destituit Rectores Monialium Carmelitanarum Excalceatarum Regni Franciæ, ac facultatem concedit singulis Monasteriis eligendi sibi suum Rectorem, seu Superiorem ordinarium immediatum, cum diversis Ordinationibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. SAcrosancti Apostolatus Officii curæ, inscrutabili divinæ providentiæ arcano humilitati nostræ imposita, qua Catholicæ Eccl. per universum Orbem diffusæ adstringimur, Nos admonet, ut circa statum Monasteriorum, & locorum regularium quorumvis, & præsertim illorum, in quibus prudentes Virgines, & devotæ Mulieres spretis fallacibus Mundi hujus illecebris, in occursum cælestis earum Sponsi per viam mandatorum ejus felici cursu properare student, prospere dirigendum operose, jugique vigilantia intendamus, & ad illa, per quæ salubriori earum directioni, personarumque ibidem Altissimi obsequiis, & beneplacitis dictarum saluti, & religiosæ tranquillitati consulitur, pastoralis sollicitudinis nostræ partes propensius impartiamur, prout rerum, locorum, personarum, & temporum qualitatibus debite perpensis ad Omnipotentis Dei Gloriam, Religionis incrementum, & felicem progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Decretum Clem.VIII. §.1. Sane dudum fel.rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1603. Idibus Novembris expeditas literas Monasterium nunc Incarnationis nuncupatum Parisien. Monialium Ord. Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Excalceatarum nuncupatarum sub reformatione S. Theresiæ primum Instituti hujusmodi in Regno Franciæ sub certis modo, & forma, tunc expressis erexit, & instituit. Ac idem Monasterium sic erectum, ejusque Abbatissam, Conventum, Moniales, Rectores, & Officiales, Ministros, Servientes, & personas, necnon bona universa ab omni jurisdictione, correctione, & visitatione, dominio, superioritate, subjectione, & potestate pro tempore existentis Episcopi Parisien., seu illius Officialis, aut Vicarii in spiritualibus generalis, necnon Protectorum, ac Generalium, & Provincialium Ministrorum, aliorumque Prælatorum, & Superiorum Ord. Fratrum Mitigatorum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo in spiritualibus, & temporalibus penitus, & omnino itidem perpetuo exemit, & liberavit, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ, atque sua, & pro tempore existentis Romani Pontificis protectione, & inviolabili conservatione suscepit, ipsumque Monasterium sic erectum visitationi, correctioni, obedientiæ, superioritati, & omnimodæ jurisdictioni in eisdem spiritualibus pro tempore existentis Commissarii generalis Ord. Fratrum Discalceatorum, seu Reformatorum nuncupatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & donec illius Regula reformata hujusmodi in memorato Regno Franciæ, ubi nullum adhuc eatenus virorum Monasterium sub ea militare reperiebatur, recepta, & introducta foret, pro tempore existentis Prioris Gen. Ordinis Carthusien. cum diversis facultatibus, necnon curæ, gubernio, regimini, & administrationi trium Presbyterorum in eisdem literis nominatorum, cum diversis itidem facultatibus respective subjecit, & alias prout in dd. literis uberius continetur.

Decretum Pauli V. Postmodum vero rec. mem. Paulus Papa V. itidem Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas die nona Septembris 1604. expeditas, cum accepisset prædictum Priorem Generalem Ordinis Carthusien. vigore Decreti in Capitulo generali ejusdem Ordinis editionus hujusmodi recusasse, tunc existenti in prædicto Regno Sedis Apostolicæ Nuncio, ut singulis bienniis, donec aliud ab ipso Paulo Prædecessore, & Sede præfata mandatum foret, etiamsi dicti Fratres Carmelitæ Discalceati tunc forsan Parisiis, vel in aliis Civitatibus, seu locis Regni præfati Conventus obtinerent, vel in posterum assequerentur, unum sacerdotem ex duobus sibi nominandis, ac præsentandis per prædictos Administratores in visitatorem dicti, & aliorum Monasteriorum Carmelitanarum Discalceatarum in dicto Regno Franciæ erectorum, vel in posterum erigendarum deputare, ac illum sic deputatum suo arbitrio, & infra triennium revocare, & finito triennio ad aliud triennium, non tamen ultra, confirmare posset facultatem concessit, Visitatorique hujusmodi super visitatione Monasteriorum prædictorum certas facultates attribuit.

Petrus de Berulle in dictæ Congr. Præpositum Generalem a Paulo V. deputatus. Et successive idem Paulus Prædecessor, cum paulo ante Congregationem Clericorum Oratorii nuncupatam, deputato in illius Præpositum Generalem bon. mem. Petro, dum vixit, S.R.E. Cardinale de Berulle nuncupati tunc in minoribus agente, erexisset, dictamque Congregationem ex Presbyteris pietate, & doctrina conspicuis, ætate gravibus, zeloque erga Religionem Catholicam, & Sedem Apostolicam præstantibus compositam esse, & uberes fructus in Vinea Domini producere accepisset, revocata quam prius Nuncio prædicto tribuerat deputandi Visitatorem Monasteriorum prædictorum facultate, prædictum, cæteraque Ord. Carmelitanarum excalceatarum Monasteria in Regno Franciæ constituta hujusmodi tam eatenus erecta, quam ex tunc perpetuis futuris temporibus erigenda curæ, visitationi, correctioni, & superioritati dicti Petri, & pro tempore exi-

stentis

stentis Præpositi Generalis, qui hujusmodi Monasteria, eorumque Superiores, Abbatissas, seu Priorissas, ac Moniales, & alias personas in eis degentes visitare posset, & valeret, ad Sedis Apostolicæ beneplacitum subjecit, & supposuit per alias suas pariter in forma Brevis die 17. Aprilis 1614. emanatas literas, quas, necnon omnia, & singula in eis contenta subinde cum clar. me: Ludovicus VIII. tunc temporis Francorum Rex Christianissimus ei exponi fecisset, dictum Petrum regimini, & gubernio Monialium prædictarum cum multo illarum spirituali fructu, ac Christifidelium ædificatione vacavisse, approbavit, & confirmavit, & alias prout in ipsius Pauli Prædecessoris literis desuper etiam in forma Brevis die 14. Martii 1620. expeditis plenius continetur.

Et subinde accepto per eundem Paulum Prædecessorem quod ejus literę prædictæ non solum non observatæ, sed nonnulla potius contra earum tenorem attentata fuerant, cum ipse Paulus Prædecessor de iis, quæ a dictorum Monasteriorum Monialibus ad suum favorem allegabantur, necnon de prætensis Fratrum ejusdem Ordinis Discalceatorum nuncupatorum juribus informatus easdem literas certis modo, & forma observandas decrevisset, superveniente vero illius obitu, literæ desuper expeditæ non fuissent rec. mem. Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster per quasdam suas in die 20. Martii 1621. expeditas prædictas Pauli Prædecessoris literas, omniaque, & singula in eis contenta etiam approbavit, & confirmavit.

Decretum Pauli V. a Gregor. XV. confirmatum.

Supplicatio.

Deinde vero Sancti Josephi, necnon Assumptionis Beatæ Margitæ Virginis Burdegalen., ac Matris Dei Santonen., & Sanctæ Matris Dei Bituricen., ac ejusdem Matris Dei Lemovicen. Monasteriorum Monialium Excalceatarum nomine sibi exposito, quod ipsæ super iis, quæ ad earum favorem circa præmissa adduci posse prætendebant sufficienter auditæ non fuerant, & propterea Literas prædictas subreptitias esse, & subreptionis vitio subjacere allegaverant, seque iterum audiri desiderabant, ipse Gregorius Prædecess. ne interim tam prædicta, quam etiam loci de Morlaix Leonen. Diœcesis Monialium prædictarum Monasteria ob dissentiones, discordias, & controversias inde exortas aliqua in spiritualibus, & temporalibus detrimenta paterentur providere volens, per alias similes suas die 14. Januar. 1422. expeditas Literas curam, regimen, & administrationem ultimodictorum Monasteriorum, illorumque Monialium, ac rerum, & bonorum tam in spiritualibus, quam in temporalibus tunc, & pro tempore existenti dictę Congregationis Præposito Generali, & Fratribus Discalceatis prædictis respective per prædictas, & quasvis alias Literas Apostolicas tam sub plumbo, quam in forma Brevis expeditas sub quibuscumque tenoribus, & formis concessa, & demandata ad suum, & Sedis Apostolicæ præfatæ beneplacitum suspendit, ipsaque ultimodicta Monasteria, eorumque Moniales, res, & bona quæcumque tam in spiritualibus, quam in temporalibus omnimodæ Archiepiscoporum Burdegalen., & Bituricen., & quorumdam aliorum Episcoporum curæ, Regimini, & administrationi, jurisdictioni, & superioritati interim supposuit, & subjecit. Et postmodum idem Gregorius Prædecessor sufficienter auditis Monialium prædictarum Procuratoribus, & examinatis iterum plene prætensis dictorum Fratrum Juribus, acceptoque quod ejus Literæ prædictæ die 13. Januarii confectæ executioni in totum de mandato ipsius Gregorii Prædecessoris demandatæ jam fuerant, easdem suas die 14. Januarii expeditas Literas, ac omnia, & singula in eis contenta, cum omnibus inde sequutis, ex causis animum suum moventibus revocavit, cassavit, & annullavit, ac revocata, cassata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore decrevit, & declaravit; Insuper tam prædictorum, quam Turonen., Ambianen., Rothomagen., Cabilonen., Lugdunen., Aurelianen., Nonveten., Tholosan., Parisien., Narbonen., Nivernen., Trecen., & Carnoten., Civitatum, ac Pontisaræ, & de Dieppe Rothomagen., Devioni, & de Castilione Lingonen., Cadorni Bajocen., Riomi, Claramonten., & de Beaulne locorum Ecluen. respective Diœcesum, necnon omnium, & singulorum aliorum in dicto Regno perpetuis tunc futuris temporibus erigendorum Monasteriorum Monialium Carmelitanarum Excalceatarum hujusmodi Abbatissis, seu Priorissis, ac Monialibus, & personis quibuscumque, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub arbitrii sui pœnis præcepit, & mandavit, ut prædictis Clementis idibus Novembris 1603. in iis, in quibus ipsius Gregorii Prædecessoris Literas non adversabantur, ac Pauli Prædecessorum sub die 13. Martii 1620. expedictis literis prædictis, omnibusque, & singulis in eis contentis prompte parerent, & obedirent, ac sub gubernio, regimine, & administratione dictorum Presbyterorum in memoratis Clementis Prædecessoris Literis nominatorum, quorum primus tanquam præfectus, seu caput, cæteri vero duo tanquam assistentes existerent, sicut in Literis dicti Clementis Prædecessoris disponitur, quique idcirco in gravibus expediendis negotiis simul convenire deberent, necnon sub visitatione, correctione, & superioritate quoad visitationem videlicet hujusmodi ejusdem Petri tunc, & pro tempore existentis dictæ Congregationis Præpositi juxta Clementis, & Pauli Prædecessorum Literarum præfatarum tenorem viverent, illorumque monitis, & mandatis salubribus prompte parerent similiter, & obedirent, illaque susciperent, & efficaciter adimplere procurarent. Præterea dictorum Monasteriorum erectiones, & institutiones, quatenus opus foret approbavit, & confirmavit, cum diversis aliis ordinationibus, statu-

Decreti mentio re mand.

statutis, concessionibus, & indultis, & alias prout plenius, & uberius continetur in aliis ipsius Gregorii Prædecessoris Literis dicta die 12. Septembris 1622. emanatis, quas subinde similis recordat. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster sufficienter auditis earumdem Monialium Procuratoribus, illarumque prætensis juribus mature perpensis, per suas die 20. Decemb. 1623. etiam in forma Brevis expeditas Literas approbavit, & confirmavit. Post hæc autem dicto Urbano Prædecessori pro parte Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium prædictarum inter alias exposito, quod quondam Carolus de Condreù memorati Petri in Officio Præpositi Generalis Congregationis Oratorii successor de consensu Presbyterorum dictæ Congregationis, & in eorum Comitiis generalibus se munus visitatoris prædictorum Monasteriorum exercere nolle, seque eidem pro se, omnibusque suis successoribus dictæ Congregationis Præpositis Generalibus renunciare declaraverat, idem Urbanus Prædecessor supplicationibus dictarum Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc existenti suo, & Sedis prefatæ in memorato Regno Franciæ Nuncio, ut singulis trienniis aliquem Presbyterum secularem ætate gravem, ac vitæ, & probitatis spectatæ ex duobus sibi per prædictos Administratores nominandis, & præsentandis in visitatorem quorumcumque Monasteriorum Monialium, Carmelitanarum Discalceatarum hujusmodi in dicto Regno eatenus erectorum, & deinceps erigendorum deputare, ac deputatum arbitrio suo, & infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium, & non ultra confirmare (prout ante prædictas Pauli V. Prædecessoris Literas die 17. Aprilis 1613. emanatas fieri consueverat) valeret, ita quod in ejusdem Nuncii absentia, ille qui a Nuncio deputatus foret usque ad successoris Nuncii adventum supplere posset, & deberet facultatem concessit; Visitatori autem, sicut præfertur, deputato, quæcumque Monialium prædictarum Monasteria in toto Regno supradicto erecta, & in futurum erigenda, eorumque Superiores, Abbatissas, seu Priorissas, & Moniales, cæterasque personas in eis degentes visitandi facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis impertitus est.

Moniales supplicant unum visitatorem pro omnibus Monaster. non sufficere.

Et subinde eidem Urbano Prædecessori pro parte dictarum Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium, Monasteriorum prædictorum iterum exposito, quod attentis ipsorum Monasteriorum tam eatenus erectorum, quam in posterum, Deo dante, erigendorum numero, eorumque ab invicem distantia, unus dumtaxat Visitator, sicut præmittitur, deputatus Visitationi singulorum Monasteriorum hujusmodi per se ipsum supplere nequibat, ipse Urbanus Prædecessor illarum supplicationibus sibi humiliter porrectis pariter inclinatus memorato Nuncio unum, vel duos alios tantum eorumdem Monasteriorum Visitatores, prout necessarium fore judicavisset modo, & forma, ac cum facultatibus in prioribus suis Literis expressis, & contentis arbitrio suo deputandi facultatem concessit, & alias prout in binis ipsius Urbani Prędecessoris Literis, unis die 2. Aprilis 1632. & alteris die 29. Januarii 1633. respective in simili forma Brevis expeditis literis plenius continetur. Postmodum vero a Venerabili Fratre Cælio Archiepiscopo Cæsareæ nostræ, & Apostolicæ Sedis in præfato Regno Nuncio Nobis relato, quod licet memorata Monasteria Monialium Carmelitanarum Excalceatarum secundum reformationem S. Theresiæ in Civitate Parisien., & in universo Galliæ Regno hujusmodi eatenus erecta, & in posterum erigenda Visitationi, superioritati, ac omnimodæ Jurisdictioni Visitatorum auctoritate hujus S. Sedis Apostolicæ ab ejus Nunciis pro tempore in eodem Regno existentibus deputatorum, & deputandorum, juxta formam præfatarum literarum, Clementis, & Pauli, ac Urbani Prædecessorum nostrorum occasione erectionis, & propagationis regiminis, & directionis Monasteriorum Ordinis hujusmodi in eodem Regno respective emanatarum subjacerent, & subjacere deberent; nihilominus dilecti filii Rectores, Superiores, & Administratores dictorum Monasteriorum jus ea visitandi, saltem cumulative cum Visitatoribus deputatis ad se spectare prætenderent, prout in quibusdam ex illis de facto visitare præsumpserant: Nos de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui easdem Literas Apostolicas, ac memorati Nuncii relationem hujusmodi, necnon Literas dilectæ in Christo filiæ Priorissæ Monasterii Oppidi de Pontoise in favorem dictorum Rectorum ad Nos datas viderant, & diligenter examinaverant, ac totum negotium attente, & mature discusserant, consilio, per Nostras die 20. Octobris 1659. in simili forma Brevis expeditas Literas, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nullum jus, nec etiam cumulative prædictis Rectoribus, & Administratoribus, seu Superioribus competere visitandi hujusmodi Monasteria decrevimus, & declaravimus, atque ita deinceps omnino, etiam sub Ecclesiasticis censuris servari mandavimus. Præterea visitatorum memoratorum Monasteriorum Monialium nominationem deinceps ad eorumd. Monasteriorum Administratores non pertinere; Visitatores autem Monasteriorum hujusmodi incipiendo a tunc existentibus, qui erant dilectus filius Petrus de Berulle in Sacra Theologia Magister Monasterii de Pontelenoii, sive de Pontelenio Abbas Commendatarius die 25. Iunii 1657., ac quondam Ludovicus de la Roche chouard. de Caudenier, dum vixit Abbas de Tornee die

Rectoribus, & Superioribus, Monasterii visitandi nullum jus competere mandat.

die 2. Augusti 1658. a præfato Cælio Archiepiscopo Nuncio confirmati perpetuos fore quemadmodum Rectores, & Administratores. Ad hæc dictorum Visitatorum numerum ultra duos augeri non posse, neque etiam minui, sed ipsos Visitatores, ut possent supervenientibus occurrere necessitatibus, delegandi ad tempus biennii, vel triennii ad summum eorum auctoritatem, & potestatem pro quorumdam Monasteriorum visitatione uni, vel pluribus Sacerdotibus vitæ irreprehensibilis ab eodem Nuncio similiter approbandis facultatem habere: Præterea quod uno ex Visitatoribus perpetuis hujusmodi recedente, vel decedente, alter Superstes alium vitæ probatæ virum in sacro Presbyteratus Ordine constitutum infra trimestre, vel semestre in die recessus, vel decessus computandum Nuncio præfato, ut ab eodem in Visitatorem deputaretur, & confirmaretur, nominare posset, & deberet, ita tamen, ut non possent Visitatores hujusmodi successive, & immediate ex eodem Collegio, Congregatione, Ordine, Communitate, Societate, aut Corpore particulari assumi, aut nominari, & deputari; Quodque si nominatio hujusmodi per Visitationem Superstitem intra semestre, ut supra præfixum facta non foret, aut si aliquando contigeret Visitatores præfatos simul, vel alterum superstitem, non facta alterius nominatione recedere, vel decedere, tunc illorum, seu alterius respective deputatio ad dictum Nuncium, & casu quo Nuncius non adesset, ad hanc S. Sedem devolveretur statuimus, & ordinavimus. Et subinde controversias super præfatorum Monasteriorum visitatione exortas sopire cupiens, de pari memoratorum Cardinalium, in quorum Congregatione causa visitationis hujusmodi iterum examinata fuerat, quique quidquid a Patribus, eorumque Procuratoribus, & Advocatis utrimque deductum fuerat, audiverant, consilio, inhærentes priori memoratæ Congregationis Decreto, nostrisque literis prædictis desuper emanatis, ac Decretum, & Literas hujusmodi confirmantes, & approbantes motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus præfatis Rectoribus, & Administratoribus supradd. Monasteriorum Monialium nullum jus, ne quidem cumulative, visitandi eadem Monasteria competere, sed solum administrationem spiritualem, & temporalem ipsorum Monasteriorum ad eos spectare decrevimus, & declaravimus; Decretumque, & declarationem hujusmodi sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per omnes, & singulas personas, quæ illis quovis modo contravenerint ipso facto incurrenda, inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandavimus, & alias prout in nostris pariter in forma Brevis die decima tertia Januarii proxime præteriti expeditis literis continetur. Ac demum per Nos accepto, quod defuncto Jacobo Charton, dum vixit, uno ex tribus Rectoribus, & Administratoribus Monasteriorum Monialium præfatarum in Regno Franciæ consistentium, dilecti filii Carolus de Gamache, & Martinus Grandiu superstites eorumdem Monasteriorum Rectores, & Administratores dilectum pariter filium Margarithum Ganguelin Presbyterum in tertium Rectorem, & Administratorem Monasteriorum hujusmodi loco prædicti Jacobi defuncti elegerant, & occasione absentiæ a Civitate Parisien. dicti Cœlii Archiepiscopi Nuncii electionem hujusmodi a quodam Vicario Ven. Fratris Archiepiscopi Parisien. in spiritualibus generali confirmari curaverant, seu idem Margarithus curaverat, ipseque Margarithus sive ejusdem Cœlii Archiepiscopi Nuncii consensu munus tertii Rectoris, & Administratoris dictorum Monasteriorum assumpserat: Nos justis, & rationabilibus ex causis Nobis notis adducti, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus electionem dicti Margarithi in tertium Rectorem, & Administratorem præfatorum Monasteriorum a memoratis Carolo de Gamache, & Martino Grandiu, necnon ejusdem electionis confirmationem a prædicto Vicario generali, sicut præmittitur, respective factas cum inde sequutis quibuscumque cassavimus, & annullavimus, viribusque, & effectu penitus, & omnino evacuavimus, ac cassas, irritas, & nullas, viribusque, & effectu vacuas esse, & perpetuo fore decrevimus pariter, & declaravimus districte inhibentes præfato Cœlio Archiepiscopo Nuncio, ne d. Margarithi electionem hujusmodi confirmaret ullumque desuper consensum præstaret; omnibus vero, & singulis Monialibus prædictis, earumque Priorissis, & Superiorissis quibuslibet, ne ipsum Margarithum in earum Rectorem, & Administratorem, seu Superiorem ullatenus admitterent, seu recognoscerent, ullamque ei tanquam tali obedientiam, vel reverentiam exhiberent; Ipsi autem Margaritho sub excommunicationis latæ sententiæ per eum in casu contraventionis ipso facto incurrenda, apostolica auctoritate præcipientes, & prohibentes, ne in administratione, regimine, & gubernio præfatorum Monasteriorum, aut alicujus illorum se se immiscere, seu in genere, aut uti Rectorem, & Administratorem Monasteriorum hujusmodi, seu alicujus eorum publice, vel privatim, tam conjunctim, quam divisim se gerere ullo modo auderet, vel præsumeret. Præterea dilectum filium Renatum Almeras Præpositum Generalem Congregationis Presbyterorum secularium Missionis nuncupat. in tertium Rectorem, & Administratorem memoratorum Monasteriorũ Monialium in locum prædicti Iacobi defuncti cum omnibus, & singulis facultatibus, quæ similibus Rectoribus, & Administratoribus a memorato Clemente Prædecessore per suas literas supradictas concessæ fuerunt, salva tamen dictarum binarum literarum nostrarum in omnibus, & per omnia dispositione, constituimus, & deputavimus. Ad hæc nullam

Visitatorum numerus ultra duos non augeatur.

Contravenientium pœnæ.

Margarithi Ganguelin electio in administratorem nulla declaratur.

Iam Monialem, quæ præfatis nostris literis inobediens esset, vel foret, in Priorissam, seu alterius nominis Superiorissam cujuscumque ex præfatis Monasteriis eligi, vel assumi, aut prius electam, seu assumptam in ejusmodi Priorissæ, seu Superiorissæ munere confirmari posse decrevimus pariter, ac statuimus, & ordinamus. Ac præmissa omnia, & singula præfatis Visitatoribus, necnon Rectoribus, & Administratoribus, ac Priorissis, Superiorissis, & Monialibus quibuscumque Monasteriorum hujusmodi sub inobedientiæ, ac privationis officiorum pœnis eo ipso, si contravenerint, absque alia declaratione incurrendis inviolabiliter, & inconcusse observari mandavimus, & præcepimus, & alias, prout in nostris desuper etiam in forma Brevis die 11. Aprilis 1661. emanatis literis, latius continetur.

§.2. Cum autem (sicut nuper accepimus) memorati Carolus de Gamache, & Martinus Grandin Superstites, ut præfertur, Monasteriorum supradictorum Rectores, ternis nostris literis prædictis morem gerere ita pertinaciter recusaverint, & recusarent, ut prudenter timeatur ne gravissima exinde universo Ordini præfatarum Monialium Carmelitanarum excalceatarum Regni Franciæ in spiritualibus, & temporalibus detrimenta consequantur, ac proinde expediat illos ab eorumdem Monasteriorum regimine, & administratione amoveri, & quia tres soli Rectores sedulo, & diligenter, ut par est, regendis, & gubernandis sexaginta, & amplius earumdem Monialium Monasteriis per dictum Regnum dispersis minime sufficiunt, aliam præsenti statu congruentiorem regiminis institui rationem: Idcirco Nos pro commissa Nobis cœlitus pastorali sollicitudine detrimenta hujusmodi quantum Nobis ex alto conceditur avertere, ac felici, prosperoque ejusdem Ordinis, in quo Moniales quamplurimæ vitæ munditia, morum honestate, religiosæque conversationis, & multiplicium virtutum decoribus ornatæ in humilitatis spiritu vota sua Deo reddere student, regimini, progressui, & incremento propensissimis paternæ charitatis nostræ studiis consulere cupientes, necnon prædictarum Clementis, Pauli, Gregorii, & Urbani Prædecessorum, ternarumque nostrarum, & aliarum quarumvis Literarum Apostolicarum Monasteria prædicta quovis modo concernentium tenores, & datas etiam veriores, aliaque etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum expressis, & insertis habentes, de supradictorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus exemptionem dicto Ordini pridem concessam approbantes, & confirmantes omnia, & singula Monialium Carmelitanarum excalceatarum Monasteria tam hactenus erecta, quam perpetuis futuris temporibus, benedicente Domino, erigenda, eorumque Abbatissas, Priorissas, & cujusvis nominis Superiorissas, Moniales, Conventus, Visitatores, Rectores, Officiales, Ministros, Servientes, & alias personas quascumque, necnon proprietates, & bona universa, mobilia, & immobilia præsentia, & futura cujuscumque qualitatis, quantitatis, generis, speciei, & naturæ existentia, ac ubicumque ad illa, quovis modo spectantia, seu ab illis quomodocumque, & qualitercumque dependentia ab omni, & quacumque Venerabilium Fratrum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum dicti Regni, & aliorum quorumvis Ordinariorum, seu eorum cujuslibet Officialium, & Vicariorum in spiritualibus generalium, necnon Protectorum Ordinum, ac Generalium, & Provincialium, Priorum, seu Ministrorum, aliorumque Prælatorum, & Superiorum, & Fratrum quorumcumque Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo tam mitigatorum, seu antiquæ observantiæ, quam discalceatorum nuncupatorum jurisdictione, visitatione, correctione, reformatione, subjectione, obedientia, superioritate, & auctoritate (salva tamen semper eorumdem Ordinariorum jurisdictione in casibus, in quibus juxta Sacri Tridentini Decreta Concilii illam in Monasteria quantumvis exempta, & præsertim circa clausuram regularem exercere possunt), necnon a quocumque cura, regimine, gubernio, administratione, & potestate præfatorum Caroli de Gamache, & Martini Grandin, ac etiam Renati Almeras a Nobis, sicut præmittitur, deputati modernorum Rectorum, & Administratorum, seu immediatorum Superiorum eorumdem Monasteriorum Monialium Carmelitanarum excalceatarum (quos omnes, & singulos harum serie revocamus, & destituimus, ac omni superioritate, & administratione eis respective in Monasteria hujusmodi quovis modo nunc competente perpetuo privamus, & privatos esse, & perpetuo fore volumus, & declaramus, in spiritualibus, & temporalibus denuo penitus, & omnino itidem perpetuo tenore præsentium eximimus, & plenarie liberamus. Ac eundem Ordinem Monialium excalceatarum Regni Franciæ, ejusque Monasteria, Conventus, Superiorissas, Moniales, Visitatores, Rectores, seu Superiores immediatos, ut infra dicetur eligendos, Officiales, Ministros, Servientes, & personas, & bona, aliaque prædicta sub Beati Petri, & dictæ Sedis, ac nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis protectione, & inviolabili conservatione retinemus, & iterum suscipimus.

Pro bono regimine invigilat.

Rectores non nullos & administratores destituit.

§.3. Præterea prisco, modernoque diversarum Monialium, etiam in Regno Franciæ præfato degentium usui, & consuetudini inhærentes, ac peculiarem singulis earumdem Monialium Carmelitanarum Monasteriis gratiam facere volentes, quo pax, & concordia, animorumque unio firmius,

mius, & stabilius conserventur unicuique ex Monasteriis Monialium Carmelitanarum Excalceatarum Regni Franciæ tam hactenus erectis, quam post hac erigendis facultatem eligendi de triennio in triennium peculiarem suum Rectorem, seu Superiorem Ordinarium immediatum, qui tamen ad alia triennia successive toties confirmari possit, quoties bono Monasterii gubernio ita expedire, & necessarium esse videbitur, earumdem tenore præsentium impartimur: Electorem autem hujusmodi per viam suffragiorum ab Abbatissa, seu Priorissa, quæ ad hunc effectum duplicis voti prærogativa gaudeat, necnon a Superiorissa,& Monialibus depositariis cujuslibet Monasterii respective in termino sex hebdomadum a significatione præsentis Ordinationis, seu stabilimenti pro hac prima vice, & deinceps a morte, renunciatione, seu vacatione muneris Rectoris pro tempore existentis computandarum fieri volumus, si vero ejus modi electio in dicto termino non fiat, deputatio Rectoris ad præfatum Cœlium Archiepiscopum modernum,& pro tempore existentem Sedis Apostolicæ in eodem Regno Nuncium eo ipso spectabit, ad quem etiam, sive ad Ordinarium loci uti Sedis præfatæ delegatum semper pertinebit confirmatio Rectoris, sicut præmittitur pro tempore electi, qui ante obtentam confirmationem hujusmodi in munere Rectoris, seu Superioris immediati sese ingerere nullo modo poterit: Hac tamen lege, ut ejusmodi Rectores successive, & immediate ex eodem Corpore, Collegio, Congregatione, Societate, Capitulo, aut Communitate eligi nunquam possint sub pœna nullitatis, & inobedientiæ. Similis autem Rector, seu Superior Ordinarius sic electus, & confirmatus curam, regimen, & gubernium Monasterii, a quo electus fuerit, habebit, cum facultate recipiendi,& admittendi Moniales ad habitum, & professionem regulares, assistendi, & præsidendi electionibus Priorissæ, Officiariarum ipsius Monasterii, dandi Monialibus facultates, & obedientias, seu literas obedientiales convenientes, & necessarias, ac invigilandi observantiæ regularis disciplinæ, necnon Constitutionum Apostolicarum, & statutorum ejusdem Ordinis approbatorum, ac etiam stabilimentorum, & ordinationum a Visitatoribus Apostolicis factarum, dummodo Sacris Canonibus, & Sacrorum Conciliorum præsertim Tridentini Decretis, Apostolicisque, & dicti Ordinis Constitutionibus non adversentur, non poterit tamen ejusmodi Rector, seu Superior Ordinarius immediatus ullo unquã tempore directe, vel indirecte, privative, vel cumulative, seu alias quomodolibet sese ingerere in visitatione, aut alia quavis functione, quæ ad peculiare officium visitatoris Monasteriorum hujusmodi spectet, ad hoc multis justis, & rationabilibus ex causis Nobis notis adducti, neminem ex Rectoribus eorumdem Monasteriorum, qui munus hujusmodi gesserunt, seu ad illud assumpti fuerunt antequam præfatæ nostræ literæ die 11. Aprilis proxime præteriti expeditæ emanarent, in Rectorem cujusvis ex Monasteriis erectis, & erigendis hujusmodi ullo unquam tempore eligi, seu deputari, aut confirmari posse decernimus, sub pœna ipsis quidem Rectoribus, si ejusmodi Rectoris munus sibi procuraverint, aut illud acceptaverint, nullitatis quorumvis actorum per eos gerendorum, ac excommunicationis latæ sententiæ per eos ipso facto absque alia declaratione incurrendæ, Monasterio vero privationis juris eligendi pro ea vice, quod eo ipso ad memoratum Nuncium devolvatur. Ut autem uniformitas gubernii tanquam unitas corporis in eodem Ordine Carmelitanarum Excalceatarum Regni Franciæ conservetur, omnia, & singula Monasteria erecta, & erigenda ejusdem Ordinis tam in capite, quam in membris, eorumque Abbatissas, Priorissas, Moniales, & alias personas, ac bona, aliave quælibet ab illis dependentia curæ, visitationi, obedientiæ, superioritati, & omnimodæ jurisdictioni visitatorum perpetuorum jam stabilitorum, & deputatorum, eorumque Successorum juxta tenorem ternarum nostrarum literarum supradictarum denuo supponimus, & subiicimus, hac tamen lege, ut in casu mortis, vel recessus unius ex eisdem Visitatoribus, Superstes duos viros conditione, doctrina, capacitate,& probitate ad munus hujusmodi requisitis præditos memorato Nuncio nominet, qui unum ex illis in Visitatorem deputet, salva, & illesa, ac inviolabili in cæteris omnibus remanente prædictarum literarum nostrarum super deputandis eisdem Visitatoribus, eorumque subdelegatis, die 2. Octobris 1659. emanatarum dispositione. Ipsis autem Visitatoribus perpetuis uti Majoribus sub suprema nostra, & hujus Sanctæ Sedis potestate Superioribus omnium, & singulorum Monasteriorum hujusmodi per præsentes injungimus, ut ipsa Monasteria per se ipsos, vel quando legitime impediti fuerint per suos Subdelegatos temporibus solitis juxta usum dicti Ordinis, & extra Ordinem in casibus a jure stabilitis urgentis, aliarumque necessitatum pro tempore occurrentium visitent, nec in functionibus, quæ memoratis Rectoribus, seu Superioribus immediatis, ut supra peculiariter attributæ, & affectæ existunt, ullatenus se ingerant, nisi in casibus, in quibus iidem Rectores excederent, aut concessis sibi facultatibus abuterentur, & tunc Priorissa, & Moniales poterunt, debebuntque ad eosdem Visitatores recurrere, seu ipsimet Visitatores, & propriæ vigilantiæ debito partes suas interponent ad corrigendum, reformandum, & ordinandum juxta dispositionem supradictarum Urbani Prædecessoris literarum, die 11. Aprilis 1632, expeditarum, ad quas relationem haberi volumus.

Assignantur nonnulli, qui eligi non possunt.

Moniales ... visitatoribus ... obedientiæ ... subdendas esse ... [illegible]

§.4. Porro si contingat (quod Deus avertat) progressu temporis Visitatores auctoritate, & jurisdictione, quas illis per prædictas

dictas nostras die 2. Octobris 1659. emanatas Literas attribuimus, & per præsentes subdelegamus, abuti, Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem super ea audiri volumus, ut quod desuper statuendum fuerit matura deliberatione adhibita decernamus, & Romanus Pontifex pro tempore existens decernat. Quia vero exacta observatio clausuræ puritati Monialium conservandæ eximie, & præcipue conducit, & Moniales Carmelitanæ ex præscripto earum reformationis solitudinem peculiari instituto profitentur, præfato Nuncio nunc, & pro tempore existenti, necnon quibusvis Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis, ac Visitatoribus, Rectoribus, & aliis quibuscumque memoratorum Monasteriorum Superioribus serie, & districte prohibemus, ne Mulieribus quibuslibet cujuscumque status, gradus, dignitatis, & qualitatis existant, etiamsi Principatus honore fulgeant, ingressum in eadem Monasteria, seu aliquod ex illis ullo modo permittant. Volentes, & decernentes, ut Visitatores præfati, dum visitabunt eorumdem Monasteriorum clausuram ad expediendos ullos actus, qui ad crates fieri & expediri poterunt, exempli causa scrutinium, Capitulum, ac sermones, & admonitiones spirituales nullatenus ingrediantur; nec casus necessitatis ingrediendi eadem Monasteria aliter quam juxta interpretationem, & intellectum juris, & Conciliorum, ac Constitutionum dicti Ordinis a Sede Apostolica approbatarum ullo modo interpretentur. Crates autem præfatas nisi in casibus per easdem Constitutiones expressis aperiri prohibemus, in quibus Constitutionibus neque Visitatores, neque Rectores, seu Superiores ullo unquam tempore ex quacumque causa, seu prætextu dispensare, aut Monialibus egressum ex eorum Monasteriis, seu Claustris cœli mutandi, vel aquas minerales ob infirmitatem adeundi, aliave simili ex causa permittere poterunt.

Nulli mulieri ingredi monasteria liceat.

§. 5. Præterea cum spiritus solitudinis, & orationis, cui memoratæ Moniales Carmelitanæ juxta earum reformationem adhærent, amitti, vel distrahi possit peculiari cura, quam puellarum, quæ in Monasteria hujusmodi per seculares favores contra usum dicti Ordinis educationis causa introduci possent, institutio, & instructio requireret; In præfato autem Regno per Dei gratiam alia in sufficienti numero reperiantur Monasteria Monialium, quæ Puellarum educationi, ac in disciplina, & moribus Christianis instructioni seculari instituto incumbunt. Idcirco earumdem Monialium Carmelitanarum quieti prospicere cupientes, ne in illarum Monasteria puellæ educationis, vel instructionis causa sub quovis prætextu, fine, aut ratione, quacumque auctoritate recipiantur, aut introducantur districte prohibemus, & interdicimus. Statuentes, & ordinantes, ut Puellæ, quæ habitum per prefatas Moniales Carmelitanas gestari solitum suscipere desideraverint, postquam juxtà consuetudinem, & Constitutiones dicti Ordinis examinatæ fuerint, in Monasteria hujusmodi recipi nequeant, nisi ætatem per easdem Constitutiones requisitam compleverint: Si vero eveniat, ut ob aliquam causam, seu rationem extraordinariam, & memoratorum Visitatorum judicio gravem aliquas dicta ętate minores admitti expedire comperiatur, nulla tamen recipi unquam possit, quæ saltem quatuordecim annorum non impleverit ætatem; Postremo statuimus pariter, & ordinamus, ut quando nova Monasteria dicti Ordinis Monialium Carmelitanarum in præfato Regno Franciæ erigendi, seu fundandi occasiones se offerrent, memorati duo Visitatores Apostolici una cum Rectore, seu Superiore particulari Monasterii, ex quo Moniales pro fundando, seu erigendo ejusmodi novo Monasterio necessariæ, & destinatæ extrahi debebunt, insimul voce, vel scriptis super ea re communicent, matureque deliberent, & statuant, sicut secundum Deum expedire judicabunt. Quodsi ipsi tres conjunctim & concorditer de utilitate, & bono novæ erectionis, seu fundationis hujusmodi convenire nequeant, illa fieri nullo modo possint, nullitatisque, & subreptionis, aliisque juridicis pœnis subjaceant. Cœterum supradictas Clementis, ac Pauli, Gregorii, & Urbani Prædecessorum, ac ternas nostras, aliasque Literas Apostolicas, in omnibus illis dumtaxat, quæ præsentibus ordinationibus quovis modo adversantur ex nunc revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac cassas, irritas, & nullas, viribusque, & effectu vacuas esse, & perpetuo fore decernimus, & declaramus.

Nec puellas educationis causa in dd. Monasteriis admitti.

§ 6. Decernentes pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati Carolus, Martinus, & Renatus, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ, aut alias speciali, & individua mentione, & expressione digni existant, in præmissis interesse habentes, seu habere quovis modo prætendentes illis non consenserint, nec ad illa vocati, & auditi, neque causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter, aut ullo modo verificatæ, justificatæ, & adductæ fuerint, seu ex alia qualibet quantumvis legitima, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, ingenio, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente, & undecumque resultante defectu notari, impugnari, limitari, infringi, modificari, retractari, ad viam seu terminos juris reduci, in controversiam

Clausulæ.

siam vocari, seu adversus illas aperitionis oris restitutionis in integrum, aliudve quodlibet juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestates similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium dispositionum, ordinationum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus pro tempore factis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri; sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas censeri, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & quandocumque spectabit, inviolabiliter, & incusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum hoc inviolabiliter observetur. §.7. Quocirca Venerabilibus Fratribus Lauden., & Mimaten. Episcopis per præsentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Contradictores

Contravenientium pœnæ. quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat. §.8. Non obstantibus prædictis Clementis, ac Pauli, Gregorii, & Urbani Prædecessorum, Nostrisque Literis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, necnon similis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate præsentium ultra tres dietas in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, & singulis illis, quæ memorati Prædecessores voluerunt, Nosque etiam voluimus respective in Literis prædictis non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat latissime, & amplissime, ac specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si prædictis, & aliis quibusvis personis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptorum fides. §.9. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 26. Sept. 1660. An. VI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Sept. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXIV.

Confirmat Decretum Sacræ Congregationis Regularium, quod Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum possint sibi eligere Judicem Conservatorem.

Circa electionem Conservatorum vide ad Constit. Gregor. XV. Sanctissimus.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio. Aliàs pro parte dilecti filii Francisci de la Rosa Vicarii Generalis Italiæ, & Siciliæ, & Procuratoris Generalis totius Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet eidem Ordini amplissima communicatio privilegiorum, quibus alii Ordines Mendicantes fruuntur, a fel. rec. Leone X., ac Clemente VII., & Sixto V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa reperiretur, & inter alia privilegia hujusmodi eisdem Ordinibus indulta esset facultas eligendi Judices Conservatores, qui jura eorum tueantur, eosque ab injuriis, & violentiis defendant, conservato-

vatorumque hujusmodi electio veniret sub communicatione privilegiorum, sicut Congregatio ejusdem S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, die 12. Decembris 1620. dicitur declarasse: nihilominus primodictus Ordo quando se offerebat occasio, aut necessitas prædictos Judices Conservatores eligendi varias patiebatur molestias, pluraque cogebatur sustinere gravamina pro stabilienda prædicta facultate Judices Conservatores eligendi, cum magno præjudicio ipsius Ordinis, & gravissimo detrimento ejus jurium, ac pii operis Redemptionis Captivor., quod ex proprio Instituto, ac speciali quarto, solemnique voto administrat, & profitetur.

§.1. Et propterea supplicato primodictæ Cardinalium Congregationi, ut declararet memorato Ordini Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum vigore communicationis privilegiorum supradictorum competere facultatem eligendi Judices Conservatores in casibus a jure, & per speciales Constitutiones Apostolicas permissis, tam pro personis, rebus, & bonis ipsius Ordinis, quam pro præfato opere Redemptionis Captivorum juxta tenorem Constitutionum rec. mem. Clementis Papæ VIII., & Gregorii Papæ XV. Prædecessorum pariter nostrorum, necnon declarationis dictæ Congregationis: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

Clem. VIII. & Greg. XV. Decretum

§.2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & communicatione privilegiorum hujusmodi censuit, ejus vigore præfatæ Religioni B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiv. competere jus eligendi servatis, servandis sibi Conservatorem, prout ei competere præsentis Decreti tenore declarat, & decernit, contrariis quibuscumque non obstantibus: ac super præmissis expediri Breve, si Sanctissimo D. N. placuerit. Romæ 10. Septembris 1660.

M. Card. Ginettus.

§.3. Cum autem, sicut dictus Franciscus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostol. confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Decretum præinsertum confirmat.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impræssis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 9. Oct. 1660. An. VI.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die 9. Octobris 1660. Pont. nostri Anno VI.

CCCXV.

Constitutio super habitu Prælatitio ab Abbatibus Generalibus Congregationis Olivetanæ deferendo.

ALEXANDER EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

DEcet Romanum Pontificem ad ea, per quæ personarum Ecclesiasticarum quarumlibet, præsertim Congregationum Monasticarum regimini, & administrationi, ac ornamento, divinique cultus celebritati, & decori consulitur, libenter intendere, ac in illis Pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout locorum, & personarum hujusmodi circumstantiis debite pensatis, ad devotionis Christifidelium augumentum, & propagationem, necnon Altissimi laudem prospicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§.1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli Mariæ Forelli Romani Monachi Ordinis Congregat. Olivetanæ expresse professi Monasterii S. Mariæ Novæ nuncupatæ de Urbe Provinciæ Neapolitanæ, & moderni ejusdem Congregationis Abbatis Generalis petitio continebat quod cum inter Congregationes Monachorum Italiæ Congregatio Olivetana Ordinis S. Benedicti celebris, ac a Sede Apostolica pluribus favoribus, & gratiis decorata existat, illiusque Abbas Generalis Mitra, baculo, & annulo pastoralibus insigniis utatur, potiatur, & gaudeat, plurimum tamen decori, & dignitati Abbatis Generalis ejusdem Congregationis videretur conveni-

venire, ipsum, & Successores suos pro tempore existentes Abbates Generales a Nobis, & Sede præfata aliqua digniori prærogativa decorari, & illustrari.

§.2. Quare pro parte dicti Angeli Mariæ moderni ejusdem Congregationis Abbatis Generalis fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus ejusdem Congregationis Olivetanæ, ejusque Abbatum Generalium pro tempore existentium decori consulere aliisque in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum quarumlibet, & Congregationum decorem, divinique cultus augmentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, eumdem Angelum Mariam Modernum Abbatem Generalem, & Successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac honestis votis ipsius Angeli Mariæ hac in parte favorabiliter annuentes, eidem Angelo Mariæ Moderno ejusdem Congregationis Abbati Generali, ejusque Successoribus Abbatibus Generalibus pro tempore existentibus prædictis, ut de cætero perpetuis futuris temporibus tam in Romana Curia, quam extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Angelum Mariam, & pro tempore existentes Abbates Generales præfatos pro tempore residere, & morari contigerit, ac in quibusvis Visitationibus, Capitulis, & Sessionibus, necnon quibusvis actibus, & processionibus, etiam coram Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus etiam in Cappellis Pontificiis, Mozzettam, & Mantellettam coloris habitus ipsius Congregationis Olivetanæ una cum pileo, & bireto Prælatitiis induere, gestare, & deferre, illisque uti, frui, & gaudere libere, & licite possit, & valeat, ac possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus, plenamque, & liberam facultatem, & auctoritatem desuper impertimur.

Supplicanti conceditMozzetta n , & Mantellettam coloris ipsius Congregationis cum pileo & bireto prælatitiis induere.

Clausulæ.

§.3. Decernentes ipsum Angelum Mariam, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos super delatione, gestatione, & usu Mozzettæ, Mantellettæ, Pilei, & Bireti præfatorum a quoquam sub quovis prætextu, vel causa, & occasione nullatenus impediri posse: præsentes quoque semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties præsentes in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori data per Angelum Mariam, & Successores præfatos Abbates Generales pro tempore existentes quandocumque eligenda concessas esse, & fore. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, & Provincialibus, ac Generalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis Olivetanæ hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derog. contrar.

§.5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Clausulæ finales.

Datum in Arce Gandulphi Diœcesis Albanensis, Anno Incarnat. Dominicæ 1660. Idib. Octobr. Pontificatus nostri Anno VI.

Datum Oct. 1660 An. VI.

CCCXVI.

Concedit Conventum B. Petri de Nolasco Terræ Rocca di Papa, Diœcesis Tusculanæ Fratribus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

AD sacrosancti Apostolatus apicem nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineff. Divinæ bonitatis abundantiam evecti, muneris nostri esse arbitramur, ut Congregationes virorum sub suavi arctioris Religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutas paterna benignitate prosequentes, felicibus earum incrementis quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Supplicatio.

§.1. Volentes itaque Congregationi Fratrum Discalceatorum Reformatorum nuncupatorum, Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum gratiam facere specialem, Conventum B. Petri de Nolasco, olim Fratrum dicti Ordinis, in Terra Rocca di Papa nuncupata, Tusculanæ Diœcesis positum, cum illius Ecclesia, ac bonis, & oneribus universis prædictæ Congregationi Fratrum Discalceatorum, itaut Conventus hujusmodi de cætero Conventui S. Joannis de Urbe ejusdem Congregatio-

Conceditur gratia pro in Rubrica.

gationis sub obedientia dilecti filii Procuratoris Generalis ipsius Congregationis, qui in dicto Conventu S. Joannis residere solet subjaceat, & dictus Procurator Generalis Superiorem, & familiam sex saltem Presbyterorum, & duorum Conversorum Fratrum Discalceatorum Reformatorum Congregationi hujusmodi in primodicto Conventu collocare debeat, ipsique Procuratori Generali liceat per se, vel alium, seu alios memoratæ Congregationis nomine corporalem, realem, & actualem possessionem, seu quasi possessionem primodicti Conventus, ejusque Ecclesiæ, ac bonorum, redditUum, proventuum, pertinentiarum, & jurium universorum propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, Diœcesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo applicamus, & appropriamus.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritaste scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de perpetuis applicationibus quorumcumque bonorum, & fructuum Ecclesiasticorum committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero annuo valore secundum communem æstimationem, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, Congregationis, Conventuum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15 Oct. 1660. An. VI.

Datum in Arce Gandulphi Diœcesis Albanen., sub Annulo Piscatoris die 15. Octobris 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXVI.

Ordine, e dichiarazione, che nella Città di Bologna, Contado, e sua Legazione la Lira si spenda a ragione di due Giuli Papali: la mezza lira, un Giulio, il quarto di lira, un Grosso.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Meditatio cordis nostri ad ea præcipue convertitur, per quæ Nostrorum, & S. R. E. in temporalibus Subditorum utilitatibus opportuna ratione consulitur. Cum itaque alias dilectus filius Noster Hieronymus tituli S. Agnetis prope, & extra mœnia Urbis ejusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Farnesius nuncupatus, Noster, & Sedis Apostolicæ in Civitate, & Comitatu Bononiensi nostris de Latere Legatus, Edictum super monetis cum diversis ordinationibus jussu nostro ediderit, & die 14. Augusti 1659. publicari fecerit, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.1. Volendo la Santità di Nostro Signore Alessandro VII. che tutte le monete dello Stato Ecclesiastico habbiano corrispondenza con la Romana, e che si ragguaglino con lo Scudo, Testone, e Giulio Papale, ne possino per varietà de tempi, o mutazione intrinseca, o per qualsivoglia accidente ricevere alterazione nel loro valore discrepante della valutazione di Roma, e essendosi sopra ciò publicato Editto, e Bando nelle due Legazioni Romagna, e Ferrara, in conformità degl'Ordini della Santità Sua. Quindi e, che l'Eminentissimo Sig. Card. Farnese Legato di Bologna, con participazione, e consenso degl' Eccelsi Signori Anziani Consoli, e degl' Illustrissimi Sig. Confaloniero di Giustizia, & Assunti sopra la Zecca; Ordina, e commanda che in questa Città, Contado, e sua Legazione debba esser realmente, e non maginariamente la lira effettiva del valore, e bontà intrinseca di due giuli Romani, e così debba conservarsi, mantenersi, spendersi, e contrattarsi in avvenire senza mutazione, o alterazione alcuna, e che debba essere la quinta parte dello scudo Romano inalterabilmente, così la mezza lira dovrà sempre corrispondere al giulio Papale, il quarto di lira al grosso, l' ottavo di lira al mezzo grosso, ed il decimo di lira a due bajocchi, il bolognino di valuta di sei quattrini dovrà essere la vigesima parte della lira, e decima parte del giulio, ed in questa conformità, e non mai in lire imaginarie; Comanda Sua Eminenza a' Mercanti, Negozianti, Contraenti, Razionali, Computisti, Giudici, Notari, ed ogn' altra persona di qualsivoglia grado, stato, e condizione, laica, o ecclesiastica, etiam regolare di dover contrattare, spendere, ricevere, calcolare, giudicare, assegnare, disporre, legare, donare, o pattuire tanto nella sorte, quanto nelli frutti, sotto pena non solo della nullità del contratto, ma ancora della perdita del danaro, somma, e robba contrattata, e di scudi cento d' oro, da applicarsi alla Camera di Bologna. Dichiarando, che siino compresi nella medesima pena non solo i contraenti, ma anche tut-

Edictum Cardinalis Farnesi, quo jubetur, ut in Rubric.

Contravenientium pœnæ.

tutti quelli, che avranno parte, concorreranno, e consentiranno nella suddetta contravenzione.

§.2. Volendo di più Sua Eminenza, che tutti li Banchieri, Bancharotti, Mercanti, Gabbellieri siino avvertiti, e particolarmente nelle monete di lega, ed altre tolerate, che non siino alterate, e ritrovandosi tali ne diino subito notizia in Torrone perchè si possino fare le diligenze necessarie, sotto pena della perdita della moneta di scudi duecento, ed altre etiam corporali arbitrarie, etiam della Galera. E perchè siano meglio osservate, ed avvertite le cose suddette, vuole l'Eminenza Sua, che ogni Banchiero, Mercante, Speziale, Beccaro, Fornaro, Lardarolo, ed Oste tenga questo Bando affisso ne' loro Banchi, e Bottega, sotto pena di scudi 50.

§.3. In oltre proibisce Sua Eminenza al Zecchiero presente, e che sarà pro tempore in questa Città, il poter in avvenire battere altra moneta d'argento, che la sopradetta, cioè scudo da cinque lire, testoni da una lira e mezza, lira da due giuli, mezza lira da un giulio, quarto di lira da un grosso, ottavo di lira da mezzo grosso, decimo di lira di due bolognini, di sei quattrini l'uno, e tutte le suddette monete dovranno essere effettive del valore, bontà, e qualità sopra espresse. Volendo che gli ordini, e provisioni suddette abbiano luogo, e siino puntualmente osservati, anco ne luoghi Baronali, e Feudali sotto le pene in essi espresse.

§.4. E perchè le monete forastiere d'argento potrebbero cagionare alterazione di prezzi differenti dalla valutazione Romana: statuisce l'Eminenza Sua, che le dette monete non possino spendersi, ne valutarsi se non secondo la Tariffa, che si darà fuori col saggio, e peso di ciascuna di esse, e secondo il loro vero valore. Avvertendo ogn' uno a non contravenire, perchè contro li transgressori si procederà per Inquisizione ex officio a denunzia, ed in ogn' altro miglior modo alla Corte favorevole. Volendo, che il presente Bando affisso, e publicato ne' luoghi soliti si abbi per legitimamente a ciascheduno personalmente intimato. In quorum fidem &c. Datum Bononiæ die 13. Augusti 1659.

G. Card. Farnese Legato.
Franc. Jo: de S. P. V. ex Just.
Andreas Ghislardus Assumptus.
Fulvius Bentivolus Assumptus.
Jo: Luparus Assumptus.
Cæsar Blanchinus Assumptus.
Marius Casalis Assumptus.

Decretum præinsertum confirmat.

§.5. Hinc est, quod Nos præmissorum omnium, & singulorum firmiori robori, & inviolabili observantiæ consulere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine, edictum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis, & inde sequutis, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illaque rata, & grata habemus, ac jussu nostro emanasse declaramus, & attestamur, necnon illis omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque, tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum præscripto, quam alias quomodocumque, & qualitercumque, etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet, quamtumvis magnos, ac formales, & substantiales, individuaque mentione dignos defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, plenissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Clausulæ dit.

§.6. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, & inserta quæcumque ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quoquo modo spectat, & spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, & Legati de latere potestate, & auctoritate fungantur, semper, & perpetuo inviolabiliter, & inconcusse observari debere, neque ipsas præsentes literas, etiam ex eo quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, causæque, propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ non fuerint, seu ex alia qualibet, quamtumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quamtumvis substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem, Præsidentes, Clericos, aliosque Officiales, & Ministros, & cæteros quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis

vis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scien., vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.7. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & fel. record. Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera, intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem fia præsentari, & registrari numquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Locorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumlibet, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.8. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 3. Nov. 1660. An. VI. Datum Romæ apud S Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Novem. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXVIII.

Firmanorum Magistratus aggregatio.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. CUM (sicut accepimus) dilectus filius noster Flavius Tituli Sanctæ Mariæ de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Chisius nuncupatus noster secundum carnem ex Fratre Germano Nepos, ac Civitatis nostræ Firmanæ Gubernator, alias, ut inconvenientibus, quæ ex defectu competentis numeri Priorum, & Regulatorum dictæ Civitatis circa administrationem rerum ad eamdem Civitatem ære alieno sexaginta, vel circiter millium scutorum gravatam pertinentium proveniebant, pro ea, qua ipsum insignivit Altissimus prudentia, bonique publici studio opportune providerit, Dilectos filios Franciscum Paccarone, Stephanum Monti, Doctorem: Joannem Franciscum Guerriero; Marcum Antonium Savini, Joannem Philippum Spinucci, Horatium Brancadori, Petrum Simonem Azzolini, Antonium Jacobum Matteucci, Antonium Rodulphum Morrone, Vincentium Porti, & Dominicum Ruffi Magistratui Priorum, necnon Franciscum Paccarone, Petrum Simonem Azzolini, Stephanum Monti, Nicolaum Sabione, Philippum Montani, Simonem Paitini, Joannem Evangelistam, Carolum Palmieri, Antonium Jacobum Matteucci, Antonium Rodulphum Morrone, Franciscum Mariam Ricciardi, & Carolum Formichini Magistratui Regulatorum ejusdem Civitatis Firmanæ respective aggregaverit; prædictique ejusdem Flavii Cardinalis Gubernatoris mandato, una cum cæteris Prioribus, & Regulatoribus dictæ Civitatis cum assignatione certarum Regionum, eis ab ipso Flavio Cardinale facta respective imbussolati reperiantur.

§.1. Hinc est, quod Nos providam ejusdem Flavii Cardinalis in præmissis industriam plurimum in Domino commendantes, eorumdemque præmissorum firmitati, robori, & efficaciæ pro paterno nostro erga Civitatem prædictam, ejusque Cives supranominatos affectu, consulere volentes, ac eorumdem supranominatorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

§.2. Motu proprio, non ad prædict. aut cujusvis alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine aggregationem supra expressorum, & nominatorum respective ad Magistratus Priorum, & Regulatorum dictæ Civitatis Firmatæ a memorato Flavio Cardinale, sicut præmittitur, factam cum eorumdem imbussolatione, & Regionum assignatione hujusmodi, aliisque inde quomodolibet sequutis, & sequuturis, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adiicimus: ac omnes, & singulos juris, & facti, necnon solemnitatum quarumcumque, tam ex juris communis, & Con- Confirmat aggregationē ut in Rubric.

Constitutionum Apostolicarum, ac dictæ Civitatis, aliorumque quorumvis Statutorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum, stylorum, usuum, & consuetudinum etiam immemorabilium præscripto quam alias quomodocumque, & qualitercumque in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet quantumvis magnos, ac formales, & substantiales defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, aut alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi unquam possent, plenissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus,

§.3. Præterea eosdem supranominatos, sicut præmittitur, aggregatos denuo, quatenus opus sit, memoratæ Civitatis Firmanæ Priores, & Regulatores cum assignatione prædictarum Regionum respective, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus creamus, facimus, constituimus, & deputamus, eosdemque cæterorum ejusdem Civitatis Priorum, & Regulatorum numero, & consortio respective favorabiliter aggregamus, & adscribimus: Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis omnibus, & singulis, ad quos quovis modo spectat, & in futurum quandocumque spectabit, quatenus supranominatos Priorum, & Regulatorum Magistratibus hujusmodi, sicut præmittitur, aggregatos, eorumque Successores, aggregationis, adscriptionis, imbussolationis, & Regionum assignationis hujusmodi effectu, præsentiumque literarum commodo pacifice frui sinant, & faciant, eosque respective recognoscant, ac illis faveant, pareant, & assistant.

Clausulas apponit.

§.4. Ac decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii, quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alia speciali nota, & expressione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, seu causæ, propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, sive ex alia quacumque, quantumvis justa, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissime, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quomodolibet, quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, ac in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac supranominatis, eorumque Successoribus plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Civitatis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis eidem Civitati, ejusque Communitati, & Hominibus, ac Prioribus, ac Regulatoribus, aliisve quibuslibet sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac consistorialiter, & alias quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter insertis, servatis, & expressis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novemb 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 5. Nov. 1660. An. VI.

CCCXIX.

Confirmatio dispositionis Testamenti Joannis Pizzuli de Regina Bisinianensis, necnon motus proprii Urbani PP. VIII. pro Collegio Fratrum Studentium S. Francisci de Paula in Urbe.

ALE-

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Corrector, & Fratres Collegii Sancti Francisci de Paula de Urbe Ordinis Fratrum ejusdem Sancti Francisci Minimorum nuncupatorum, quod dudum quondam Joannes Pizzulus in suo ultimo, sub cujus dispositione ab humanis decessit testamento, mandavit ex suis bonis Collegium Fratrum Studentium dicti Ordinis, qui in Provincia Calabriæ Citerioris orti essent, in Urbe prædicta erigi, in quo consanguinei familiæ maternæ ipsius Testatoris de Grillis nuncupatæ, usque ad quartum gradum inclusive, & post hos orti in Terra Reginæ Bisinianensis Diœcesis ejusdem Testatoris patria, cæteris præferri, ac successive nati in dicta Provincia Calabriæ Citerioris admitti deberent, sub pœna caducitatis, & alias prout in eodem testamento uberius dicitur contineri.

§.1. Et subinde erectum fuit prædictum Collegium S.Francisci de Paula in executionem prænarratæ dispositionis, quam(ut dicti Exponentes asserunt) fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædecess. noster per quasdam suas, Anno Incarnationis Dominicæ 1624. pridie nonas Dec., sub plumbo expeditas, & ejus motu proprio emanatas literas confirmavit, in quibus ordinatum fuit, ut quidam Fratres dicti Ordinis, & signanter dilectus pariter filius Joannes a Regina, & memorata familia de Grillis descendens, & in prædicta Terra Reginæ natus, in eodem Collegio locales perpetui essent.

Oratorem a censuris absolvit. §.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo dispositio dicti Testatoris, necnon prædictæ Urbani Prædecessoris literæ firmius, & inviolabilius de cætero observentur, dicti Exponentes opportune, ut infra, a Nobis provideri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat prout in sub. §.3. Dispositionem dicti Joannis Testatoris, a memorato Urbano Prædecessore, sicut præfertur, confirmatam, necnon prædictas ejusdem Urbani Prædecessoris literas ab illis, ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, inviolabiliter observari sub excommunicationis majoris, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contraventores eo ipso absque ulla alia declaratione incurrendis, auctoritate apostolica tenore præsentium mandamus, & præcipimus.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædictorum Collegii, & Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Nov. 1660. Pontificatus nostri Anno VI. Dat. die 6. Nov. 1660. An. VI.

CCCXX.

Restitutio Jurisdictionis in Capitulum, Dignitates, & Canonicos Comen., eorumque consanguineos, & familiares, Episcopo Comen. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Episcopus Comen., quod aliàs fel. rec. Innocentius Papa X. Prædecessor noster per quasdam suas in forma Brevis literas die 17. Julii 1645. expeditas, dilectos filios Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Comen., eorumque Consanguineos, famulos, & familiares tam in civilibus, quam in criminalibus, & mixtis, ac Beneficialibus, & aliis quibuscumque causis active, & passive a jurisdictione dicti Episcopi Comen. exemit, illosque Venerabili Fratri Episcopo Papien. subjecit. Supplicatio.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, literæ prædictæ in maximum non tantum prædicti Episcopi Comen., sed etiam Civitatis, & Populi Comen., necnon Parochorum præjudicium tendant: Nobis propterea idem Episcopus Comen. humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur ipsum Episcopum Comen: specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon dictarum literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressum habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, habita relatione a Ven. etiam Fratre Camillo Episcopo Camerinen. Congregationis Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ Secretario, qui partes tam verbo, quam scripto informantes sæpius audivit, de illis quæ coram ipso circa præmissa hinc inde deducta fuerunt, memoratas Innocentii Prædecessoris literas, quibus Capitulum, Dignitates, & Canonici prædictæ Cathedralis Eccle- Decretum præinsertum confirmatur.

clesiæ Comen., eorumque Consanguinei, famuli, & familiares a Jurisdictione dicti Episcopi Comen. in omnibus eorum causis tam criminalibus, quam civilibus, & mixtis, ac Beneficialibus pluribus ab hinc annis fuerunt exempti, & Episcopo Papien. subjecti, earumdemque literarum circa prædicta dispositionem auctoritate Apostolica tenore præsentium suspendimus, ac pro suspensis haberi volumus, & mandamus, Jurisdictionisque præfatæ exercitium eidem Episcopo Comen. restituimus.

§.2. Non obstantibus prædictis Innocentii Prædecessoris literis, necnon in contrarium allatis, & Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Nov. 1660. An. VI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Nov. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXXI.

Declaratio, quod in septima Constitutione non comprehenduntur legata pro piis operibus incertis relicta.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpeuam rei memoriam.

Procemium. DEcet Romanum Pontificem æqui, bonique supremum assertorem in terris a Domino constitutum illa, quæ ex circumspecta ejus providentia pie, sapienterque processerunt, cum aliorsum, quam æquitatis ratio postulet, detorqueri intelligit, opportunæ declarationis ministerio ita dilucidare, ut sequioris, & ab ejus intentione deflectentis interpretationis occasio cuilibet præcidatur.

Decretum Alexand. VII. refertur. §.1. Alias siquidem emanarunt a Nobis literæ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. Superni dispositione consilii vices illius gerentes in terris, qui pauperum curam fidelibus suis præcipiens, quod uni ex illis fieret, sibi factum asseruit, in iis pastoralis officii nostri partes affectu paterno libenter interponimus, per quæ eorumdem pauperum, & præsertim per vicos, & plateas mendicantium necessitatibus opportune consuli arbitramur. Cum itaque retroactis temporibus fel. rec. Julius II. Leo X. Clemens VII. Paulus III., & alii forsan Romani Pontif. Prædecessores nostri, ut in honorem Principis Apostolorum Basilica opere supra cæteras magnifico, & eleganti in hac Alma Urbe nostra construeretur, perpendentes suas, & Apostolicæ Sedis facultates ad id minime suffecturas, fabricæ dictæ Basilicæ, seu ejus Collegio inter alias plures gratias, facultates, & privilegia, applicaverant legata pauperibus in genere sine speciali determinatione, & propriis nominibus personarum non expressis relicta: cumque hujus applicationis ratione pauperes, & potissimum mendicantes legatis sibi relictis privati remaneant, multique pii fideles retrahi, vel saltem tepidiores reddi possint ad relinquendum legata pia, quæ alias in eorumdem pauperum commodum relicta essent; dubitantes irritas, & inanes evasuras similes eorum dispositiones, & in prædictæ fabricæ utilitatem ob privilegia prædicta cessuras: Nos licet ad absolutam fabricæ dictæ Basilicæ terminationem, illiusque ornatum a die nostræ ad summum Apostolatum assumptionis mentem direximus; considerantes nihilominus ejus admirabilem structuram ad optatum fere finem esse perductam, ac proinde longe minorem pecuniarum quantitatem nunc pro ejus perfectione, & conservatione, quam de tempore concessionis antedictæ, & aliorum ejus privilegiorum esse necessariam, æquum, & rationi consentaneum esse censemus, ut sublato privilegii hujusmodi impedimento, Christi pauperes in posterum legata sibi relicta, & pro tempore relinquenda plene, & libere capiant, & consequantur. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, decernimus, & declaramus Legata pauperibus in genere ubicumque locorum relicta, & pro tempore quandocumqne, & quomodocumque relinquenda non amplius sub legatorum incertorum nomine in beneficium dictæ fabricæ juxta prædicta ejus privilegia converti, neque sub ejus facultatibus comprehendi, sed omnia, veluti alia certa pia Legata in commodum, & beneficium pauperum, qui sub tali nomine secundum juris interpretationem comprehenduntur, plene, & integre juxta pias legantium dispositiones cedere, ac iisdem pauperibus ab hæredibus, aliisque obligatis, & seu a testamentariis executoribus, vel aliis, quibus Legatorum prædictorum solutio, seu exequutio commissa fuit, & erit pro tempore, eadem legata sive in pecunia, sive in frumento, pane, vino, aliisque ad humanum usum necessariis consistant, modis, temporibus, ac diebus a testatoribus, seu legantibus præscriptis solvi, & consignari debere. Quod si ob moram, seu negligentiam hæredum, aut exequutorum, seu aliorum obligatorum, vel etiam ob mortem eorum, quibus pauperum nominatio, & electio, seu alias legatorum exequutio commissa fuerit, eorumdem legatorum solutionem, seu consignationem ultra debitum tempus differri, vel impediri contingat, volumus, & mandamus, ut locorum Ordinarii, & illis deficientibus Commissarii, & Ministri prædictæ fabricæ in casibus, in quibus alias præmissorum exequutio de jure, & secundum facultates ejusdem Fabricæ ad eos devolvitur, voluntatem testatorum, & relinquentium legata hujusmodi, ac commodum, & beneficium eorumdem Pauperum dumtaxat, prout servatur in aliis legatis certis, exequantur. Porro quoad legata, pro piis operibus in genere etiam ad arbitrium, nominationem, electionem, seu declarationem certorum exequutorum, seu

Decre[...] tificum [...]

seu aliorum specificandis, & declarandis relicta, nullum præsenti nostra constitutione eidem Fabricæ præjudicium inferre, nihilque super iis de novo statuere intendimus, quinimo omnia, & singula ejus jura, & privilegia per Summos Pontifices Prædecessores nostros hactenus in præmissis concessa præservamus, in casibus tamen, in quibus Exequutores, seu alii prædicti, quibus competit facultas (quam per hujusmodi privilegia Fabricæ nullatenus impediri volumus) illam exercere, & ad nominationem, electionem, seu declarationem devenire nolint, vel nulla facta declaratione decesserint. Hanc vero constitutionem tam in casibus futuris, & deinceps contingentibus, quam in præsentibus, & præteritis, præterquam in eis legatis, & relictis, quę hactenus a prædicta Fabrica, seu ejus Ministris agnita, acceptata, & incorporata fuerunt, etiamsi super illis in quacumque instantia lis pendeat indecisa, servari, & locum habere volumus, & declaramus: Cæteris autem ejusdem Fabricæ, seu illius Collegii privilegiis, gratiis, & facultatibus in iis quæ præsentibus non adversantur, nullum ne minimum quidem prejudicium per præsentes illarum, aut illis derogatum esse, seu intelligi, dici, vel censeri posse, sed illas, & illa in suo robore, & firmitate remanere debere decernimus itidem, & declaramus.

Clausulæ. §. 2. Decernentes etiam præsentes literas, & in illis contenta nullo unquam tempore etiam ex eo quod Œconomus, & alii Officiales prædictæ Fabricæ, cæterique, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, vel auditi, causæque, propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, vel sufficienter, aut etiam ullatenus justificatæ non fuerint, de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio quantumvis substantiali defectu notari, vel ex quocumque alio capite etiam in corpore juris clauso impugnari, rescindi, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus, vel controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti posse, sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque sub similium, vel dissimilium constitutionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse, & censeri, sicque & non aliter in præmissis per quoscumq. Judices ordinarios, & delegatos, ac etiam quoslibet S.R.E. Collegii prædictæ Fabricæ Cardinales, necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, & quosvis alios quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon Collegii prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, gratiis, facultatibus, & literis Apostolicis per prædictos, & quosvis alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros in favorem ejusdem Fabricæ, ac illius Collegii, etiam per viam contractus jurati, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, & cum quibuscumq. etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie & alias quomodolibet emanatis, concessis, ac etiam pluries approbatis, & confirmatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita, & insolita forma ad hoc servanda esset, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat ad effectum premissorum specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Aug. 1655. Pontificatus nostri Anno I. Dat. die 30. Aug. 1655. An.VI.

Motiva. §. 2. Cum autem (sicut accepimus) nonnulli exequutores testamentarii ad exequenda diversa legata pro piis operibus incerta relicta deputati, præinsertæ Constitutionis nostrę pretextu illa in commodum Fabricæ prædictæ juxta illius privilegia minime converti debere, nec ad illam quovis modo spectare, neque sub ejus facultatibus comprehendi prætendant in maximum ipsius Fabricæ damnum, & præjudicium. Hinc est, quod Nos omnem, quæ premissorum occasione enata est, & posthac nasci posset, controversiam, & ambiguitatem tollere, ejusdemque Fabricæ indemnitati consulere cupientes.

§. 3. Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, similibus, constitutionem

Decretum præinsertum, confirmat.

nem præinsertam in illis dumtaxat legatis, quæ pauperibus in genere expresse, & explicite relicta sunt hactenus, & in futurum relinquentur, sive per hæredes, sive per exequutores, vel alios quoscumque veniant distribuenda, locum obtinere, non autem ad alia quæcumque legata pro piis operibus incertis hactenus relicta, & in posterum quandocumque relinquenda ullatenus porrigi, seu extendi posse, vel debere, tenore præsentium declaramus, ac perpetuo statuimus, & decernimus.

Privilegia indulta gratias ab aliis Pontificibus concessas confirmat.

§. 4. Ac quæcumque privilegia, indulta, gratias, & facultates prædictæ Fabricæ, ejusque Congregationi, & Officialibus quibusvis circa applicationes legatorum pro piis operibus incertis (non tamen pauperibus in genere, sicut supra declaratum est) relictorum in commodum, & utilitatem ipsius Fabricæ a prædictis, & aliis quibusvis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris quovis modo concessa, & concessas, illorum tenores, & datas præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes adversus Constitutionem præinsertam, indeque sequuta quæcumque in integrum, ac pristinum, eumque, in quo, antequam eadem Constitutio emanaret, quomodolibet erant, statum motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, illaque, quatenus opus sit, revalidamus, ac itidem perpetuo confirmamus, & approbamus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet etiam speciali, & individua mentione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quovis modo prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarunt, sufficienter, aut ullatenus adductæ, & justificatæ fuerint, seu ex alia quacumque quantumvis pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, formali, & substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, infringi, impugnari, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, Restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, seu gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac supradictæ Fabricæ plenissime suffragari, sicque in præmissis censeri, atque ita, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac præinsertis nostris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16. Nov. 1660. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Nov. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXXII.

Ex Regest. Secret. Br.

Confirmatio Decreti Congregationis de Propaganda Fide circa Jurisdictionem Archiepiscopi Sardicen., seu Sophien., & Episcopi Bosnen. in Regulares in concernentibus curam animarum personarum secularium.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur Decretum Congreg. S. R. E. Card. emanatum.

§. 1. Aliàs emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ sub die 23. Februarii 1660. ad mentem Sanctissimi Domini nostri ex Audientia Secretarii 3. Martii ejusdem Anni: Licet in Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Sacri Concilii Tridentini Decretis expressa sint ea, in quibus Regulares cujusvis Ordinis, non obstantibus quibuscumque eorum privilegiis, potestati, & auctoritati Episcoporum subjecti sunt, quia tamen Ecclesiis, & Diœcesibus sive in titulum, sive in administrationem concessis Archiepiscopo Sardicen., seu Sophien., & Episcopo Bosnen., in quibus ob carentiam Sacerdotum Secularium Regulares Ecclesiis Cathedralibus, & Parochialibus inserviunt, & Cleri vices supplent, ac fortasse, etiam in aliis similibus infidelium Dominio subjectis, sive ex contumacia, sive etiam, ex prædictarum Constitutionum ignorantia, quæ forsan in locis hujusmodi posset aliquando contingere plurima ex prædictis non sine magno spiritualis regiminis detrimento negliguntur, ecclesiasticæque

cæque disciplinæ Ordo perturbatur: Idcirco ne de prædictis in posterum dubitari contingat, & ut eorum Populorum regimen ad Sacrorum Canonum præscriptum dirigatur.

Innovat, quæ sequuntur.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis Fidei Propagandæ præpositorum operæ pretium esse duxit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, Canones, Constitutiones, & Decreta hujusmodi innovare, ac in usum, & observantiam inducere, præcipue vero hæc quæ sequuntur declarare, & quatenus opus sit, de novo statuere, & ordinare.

Regularibus officium Parochi exercere prohibet.

Primo. In iis omnibus, quæ ad curam, seu regimen animarum Personarum Secularium pertinent, Regulares cujusvis Ordinis, atque Instituti præfatis Archiepiscopo, & Episcopo respective, omnino pareant, & subjecti sint, adeout absque eorum licentia, examine, & approbatione in scriptis, vel ante eam obtentam, nullo pacto, aut prætextu audeant se immiscere in administratione Parochialium Sacramentorum, & in audiendis Confessionibus, aut quævis alia exercere, quæ ad prædictam animarum curam pertineant, neve possessionem, aut titulum Parochi, sive Curati, seu facto, seu nomine assumere, & usurpare, quamvis a suis Superioribus, seu Capitulo ad id munus destinati fuerint, sub pœna suspensionis, & privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda.

Secundo. Liceat suprad. Archiepiscopo, & Episcopo quemlibet ipsorum si ex aliqua justa causa, magis in Domino expedire, judicaverint a tali officio, & exercitio Parochiali quandocumq; etiam non elapso tempore, pro quo fuit deputatus, removere, & alium in ejus locum subrogare, donec, & quousque fuerit a Provinciali, seu Definitorio destinatus alius per ipsummet Episcopum, ut supradictum est approbandus. Et si quis supradictorum Fratrum in hujusmodi administratione deliquerit, aut memoratorum Archiepiscopi, & Episcopi respective Ordinationes circa prædicta factas tam in visitatione, quam extra non observaverit, eumdem corrigere, & punire etiam per censuras ecclesiasticas ad Sacrorum Canonum præscripta.

Tertio. Teneantur ii, qui Parochias, & curam animarum exercent, rudimenta Fidei saltem inter Missarum solemnia docere, debito tempore, ad Synodum singulis diebus Dominicis ab ipso Archiepiscopo, seu Episcopo præscribendis ad Congregationes casuum Conscientię accedere, publicisque Processionibus una cum aliis Fratribus interesse; renuentes vero debitis pœnis a prænominatis Præsulibus cogi, compellique possint.

Quarto. Nulli prorsus ipsorum Fratrum, sive Parochus, sive Superior sit, sub eisdem pœnis liceat in dubitationibus, quæ circa Sponsalium, & Matrimoniorum validitatem, & impedimenta emergunt, aliquid in consulto Episcopo, eoque absente, ipsius Vicario statuere, seu decernere minusque Populorum publica vota, Processiones, & similia approbare, & confirmare, aut licentiam impartiri extra Ecclesias ab ipso Episc. approbatas celebrandi.

Quinto. Valeant præfati Archiepiscopus, & Episcopus respective in prædictis omnibus tam personas, quam Ecclesias, earumque Sacraria, & Supellectilia Sacra, libros Parochiales, necnon bona tam mobilia, quam immobilia quæcumque etiam uti Sacræ hujus Congregationis quatenus opus sit delegati visitare, & opportunis juris remediis providere, ut ipsa cura laudabiliter exerceatur, eosdemque Fratres, & quemlibet alium ad onera Missarum adimplenda, & Testamenta, Scripturas, & quæcumque alia ad prædicta onera sive ad Ecclesias, & Parochias spectantia proferendum, & exhibendum compellere, detractantes vero visitationem, aut prædictis obtemperare canonicis pœnis compescere.

Sexto. Teneantur Fratres prædictis Archiepiscopo, & Episcopo respective, necnon Famulo, alterique Sacerdoti eis beneviso in eorum Conventibus, ubi residere solent, sive in alio pro temporis opportunitate congruam habitationem, expensasque, & victum subministrare.

Septimo. Liceat item prædicto Archiepiscopo, & Episcopo in propriis Diœcesibus unum ex supradictis Fratribus eligere, quem magis idoneum in Domino judicaverint, eidemque munus injungere Vicarii Generalis.

Octavo. Cum vero Fratres ex proventibus taxis, & quæsitibus Parochialibus majori saltem ex parte vivant, & contingat aliquando Archiepiscopos, & Episcopos Pastoralis muneris, & tituli intuitu a Turcis vexari eosdem Fratres Sacra Congregatio paterne monet, & quatenus opus sit, præcipit, ut Præsules, & Pastorales suos filiali amore, & reverentia in casibus hujusmodi complectentes, omni prorsus studio, & conatu eorum incolumitati, & liberationi incumbant, & charitativum subsidium in eorum subventionem, & redemptionem tribuant, ut unanimi animorum consensu, alter alterius portantes onera dictæ servitutis jugum facilius sustinere, nominisque Christiani hostibus Evangelicæ charitati, & patientiæ exempla præbere queant. Declarat demum Sacra Congregatio per prædicta nihil esse detractum, aut remissum Decretis alias in hac materia tam per ipsammet, quam alias Congregationes, & Sedem Apostolicam latis, quorum observantiam districte præcipit, & prælibatis Archiepiscopo, & Episcopo injungit, ut præter pœnas in præsenti Decreto, & in præd. Constitutionibus, ac Decretis adversus contravenientes latis, statim ipsam Sacram Congregationem edocere curent, num Fratres, aut alios quicumque quicquam contra præfata moliri, sive attentare præsumpserint, ut efficacioribus remediis renuentes compescere, necnon animarum curam aliorum administrationi demandare possint.

Card. Antonii Præfectus.

Confirmat decretum.

§. 2. Cum autem firmiora, & stabiliora sint illa, quibus apostolicæ confirmationis accedit præsidium; Hinc est, quod Nos præmissorum robori efficaciæ, & inviolabili observantiæ consulere cupientes, Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Clausulas apponit.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictum Decretum, omniaque, & singula in eo contenta ab illis, ad quos quoquo modo spectat, & in futurum quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, Institutorum, Provinciarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Hospitiorum, Ecclesiarum, & Locorum Regularium, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Nov. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die Nov. An. VI.

CCCXXIII.

Ex Reg. Secret.

Præceptum DD. Cardinalibus Protectoribus Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe, ut congregentur in Aula Congregationis de Propaganda Fide, ad agendum de rebus ad idem Collegium, & ipsius Alumnos spectantibus, cum interventu moderni, & tempore existentis Secretarii ejusdem Congregationis de Propaganda Fide &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§. 1. Ut Collegii Germanici, atque Hungarici de Urbe negocia maturiori consilio decernantur, ac expediantur, & Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales dicti Collegii apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectores, quibus ejusdem directioni præesse incumbit, ea omnia, quæ ad hujusmodi munus pertinent conjunctim, ac certo quodam ordine, & methodo valeant expedire, indeque frequentius ad nostram, & pro tempore existentium Romanorum Pontificum Successorum nostrorum ea, quæ digniora emerserint, notitiam deducantur, pro commissa Nobis divinitus pastoralis officii cura providere volentes, necnon quarumvis Literarum Apostolicarum, etiam in simili forma Brevis, super memoratorum Cardinalium Protectorum, deputatione, & facultatum illis, seu uni eorum respective concessarum impartitione Cedularumque motus proprii super præmissis, aut alias quomodolibet, & quandocumque emanatarum tenores, & datas, etiam veriores, & alia quæcumque etiam specialem, & individuam expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut in posterum præfati Protectores pro prius, & magis præcise, quam hactenus factum fuerit, utantur facultatibus, ac jurisdictione ipsis concessis super regimine, ac directione tam spirituali, quam temporali ejusdem Collegii, eaque de causa statis diebus, ac quoties opus fuerit, simul congregentur in aula Congregationis Venerabilium pariter Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum ad agendum de rebus ad præfatum Collegium, & ipsius Alumnos spectantibus, cum interventu dilecti filii moderni, & pro tempore existentis Secretarii ejusdem Congregationis de

Confirmat decretum.

de Propaganda Fide, per quem ea omnia, quæ decreta fuerint, de more expediantur; adeout Decreta quæcumque, aut mandata, quæ aliter quam ad præscriptam formam fient deinceps, aut emanaverint, nullius prorsus roboris, ac momenti existant.

§.2. Per eumdem vero Secretarium inter acta præfatæ Congregationis de Propaganda Fide inserantur, atque asserventur, &, si quid dignum existimatum fuerit, ad Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem deferatur, sicuti de negociis gravioribus memoratæ Congregationis fieri consuevit.

Clausulæ.

§.3. Decernentes easdem præsentes, & in eis contenta, quæcumque etiam ex eo, quod præfati, & alii quilibet, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, etiam specifica, & expressa mentione dignæ existant in præmissis forsan interesse quoquo modo habentes, aut habere prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi non fuerint, seu causæ, propter quas præsentes emanarunt adductæ, aut justificatæ, & verificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quamtumvis justa, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam incogitato, & incogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, eo functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Decretis quibuscumque tam circa facultatem uni dumtaxat ex præfatis Protectoribus concessæ, quam circa alia quæcumque, quæ præsentibus Literis, earumque observantiæ quoquo modo adversentur, emanatis, necnon supradicti Collegii erectione, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis manu Secretarii dictæ Congregationis, seu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis, seu alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Dec. 1660. Pontificatus nostri Anno VI. Dat. die 6. Dec. 1660. An. VI.

CCCXXIV.

Confirmatio Concordiæ super dissolutione Unionis Universitatum Mercatorum Fundacalium, & de Fondaco de Urbe. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Homines Universitatum Mercatorum de Fundaco, & Fundacalium, seu Merciariorum, eisque respective annexorum de Urbe, quod Universitas Mercatorum de Fundaco ex una, & Universitas Fundacalium, seu Merciariorum, eisque annexorum hujusmodi ex altera partibus, sive illarum respective Deputati unanimiter inter se convenerunt, & concordarunt, ut unio inter easdem Universitates alias stabilita, & per quasdam fe: rec: Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri literas in simili forma Brevis die 14. Februarii

rii 1651. expeditas confirmata, per quam dictæ Universitates in unam redactæ fuerunt, dissolvatur, revocatisque literis prædictis, res in pristinum statum cum juribus antiquis reducantur in omnibus, & per omnia perinde, acsi unio hujusmodi nunquam facta fuisset; cum diversis pactis, capitibus, conditionibus, & aliis contentis in scriptura desuper confecta, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum. Li Mercanti di Fondaco, e li Fondacali, o Merciari, e loro annessi sono d'accordo, che si tolga l'unione, e si revochi il Breve della felice memoria d'Innocenzo X., che la confermò sotto la data 14. Febraro 1651. riducendosi le cose all'essere di prima con le Ragioni antiche in tutto, e per tutto, come se non mai fosse stata fatta, ne possa alcuna delle parti allegare prò, ne contra cosa alcuna, che si contenga nella medema unione, e Capitoli allora concertati, e la Chiesa di S. Sebastiano rimanga alli Fondacali, o Merciari come prima.

Resti però ferma la Tassa dell'estinzione del monte del Quattrino, la quale in avvenire si dovrà continuare a pagar continuamente, come si osserva al presente per la somma di scudi 451. come se unitamente fosse stata da principio imposta ad ambedue l'Università de Mercanti di Fondaco, e Fondacali, o Merciari, e l'altra Università annesse alli Merciari, paghino le loro particolari Tasse, come è solito.

Ogn'anno al primo di Novembre si doveranno eleggere due Tassatori, e un Camarlengo, o Essattore d'essa Tassa, la quale elezione si faccia alternativamente, cioè un anno dalli Mercanti di Fondaco, e nell'altro dalli Fondacali, o Merciari, cominciandosi dalli Mercanti di Fondaco, e così s'osservi per sempre, e della Tassa, che faranno li sudetti Eletti non si possa richiamare in modo alcuno.

Quello, o quelli, che saranno eletti per Tassatori, o Camarlengi non possano in modo veruno ricusare la Curia sotto pena di scudi 25. da applicarsi alla Chiesa di quell'Università a cui sarà sottoposto il ricusante, e quando tutti rifiutassero, allora l'Emo Sig. Cardinale Camarlengo, o suo Auditore possa, e debba eleggere un Ministro di Dogana, o altri fuori del corpo di esse Università, a suo arbitrio, e a loro rischio, pericolo, e spese con constituirgli Salario da pagarsi prontamente dalle medeme Università, e loro persone particolari, al quale effetto possa usare la Mano Regia senza discussione di causa, ne si attenda alcun richiamo, appellazione, o ricorso, dizzione di nullità, restituzione in integro, ne qualunque altro remedio così ordinario come straordinario.

Si lascia ogn'uno nella sua libertà di matricolarsi nell'una, o nell'altra Università, onde doppo che sarà spedito il Breve dovrà ciascuno ad instanza delle dette Università, o d'alcuna di esse dichiarare negli atti del Lucarelli Notaro di Camera a quale Università voglia essere sottoposto, e in quella prender la Patente, la quale per questa volta si darà gratis, libera, e immune d'ogni spesa a quelli, che di già non avessero spedita la Patente di quella Università, alla quale nuovamente vorranno essere aggregati, e debba stimarsi ciascun Mercante di Fondaco, o Fondacale, e Merciaro non secondo la qualità delle robbe, che venderà, ma secondo la Patente, che averà spedita, e dove sarà stato ascritto in esecuzione delle presenti determinazioni, non ostante lo stato de Mercanti al Capitolo 173., e qualsisia altro, che vi sia, o potesse allegarsi in contrario.

L'una, e l'altra parte renuncia a qualsivoglia lite mossa in qualunque Tribunale doppo l'unione, e per occasione d'essa, come anche alle sentenze riguardanti la medema unione, e cose contenute in essa, e se ne faccia nel nuovo Breve da spedirsi pienissima estinzione, o suppressione con la remissione, e assoluzione da qualsivoglia spese accettuato però la sentenza data a favore de Mercanti di Fondaco in essecuzione del privilegio concessogli da Urb. VIII. sotto li 12. Gennaro 1643. seu &c. E l'altre promulgate prima dell'unione, le quali nelle cose non contrarie, ne pregiudiciali alle presenti dichiarazioni, restino illese, e nel loro vigore rimanendo parimente salvo alli Merciari, e loro Università il Moto proprio di Pio IV. sopra le facoltà delli loro Consoli, e fede de libri, e altro.

Nel Breve si dia facoltà a ciascuna Università di constituirsi uno, o più Consoli, e tutti gli altri Officiali, che stimaranno bisognarsi per il loro buon governo.

Per qualsivoglia cosa contenuta nelli presenti Capitoli, e Breve da spedirsi non si intenda fatto pregiudizio alcuno a qualsivoglia ragioni della Reverenda Camera, particolarmente quanto alla rescossione della sudetta Tassa, ma possa sempre valersi di qualsivoglia modo, che più gli piacerà per esigerla tanto dall'Università, quanto dalli particolari, nè l'Esazzione possa mai in qualunque modo essere ritardata, e possa farsi insolidum contro uno di ciascuna Università, quali possano però rivalersi contro gl'altri.

Ita sentio Ego Petrus Franciscus de Rubeis Fisci, & Cameræ Apostolicæ Auditor.

Ita sentio Ego Lazarus Odertus.

Ita sentio Ego Ferdinandus Ravilt Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarius Generalis.

§. 2. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut præmissa pro inviolabili eorum observatione, apostolicæ confirmationis nostræ robore communire, ac desuper opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ

datæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon præfatarum Innocentii Prædecessoris literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso habentes, supplicationibus dictorum Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, easdemque Innocentii Prædecessoris literas ex nunc revocantes, & annullantes, concordiam inter prædictos Exponentes, sicut præmittitur, initam, confectamque desuper scripturam præinsertam cum omnibus, & singulis pactis conventionibus, capitulis, & declarationibus, reservationibus, conditionibus, & aliis in illa quovis modo contentis, & expressis, sine ullo tamen præjudicio quorumcumque jurium Cameræ nostræ Apostolicæ quovis modo competentium, & quandocumque competiturorum, quibus per præsentes, ac in eis contenta, & inserta quæcumque nullatenus præjudicari, aut præjudicatum esse, vel unquam fore intendimus, idque serio protestamur, & hanc protestationem in principio, medio, & fine, aliave qualibet parte earumdem præsentium repetitam intelligi, nec eas, nisi protestatione hujusmodi salva, valere decernimus, apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Præterea quascumque lites in quovis Tribunali post unionem præfatam, & illius occasione motas, necnon sententias eamdem unionem, & contenta in illa concernentes, quas supprimi, & extingui in prædicta concordia conventum reperitur illarum, & cujuslibet earum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium, & alia etiam speciali expressione digna, præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis habentes, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo supprimimus, & extinguimus, sententiasque hujusmodi cassamus, irritamus, & annullamus, ac viribus, & effectu penitus vacuamus, necnon perpetuum utrique parti desuper silentium imponimus. Postremo cuilibet ex Universitatibus præfatis unum, seu plures Consules, aliosque Officiales, quibus pro bono earum regimine opus esse existimaverint, sibi respective constituendi facultatem, dicta auctoritate earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Decretum præinsertum confirmatur.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Universitatibus plenissime suffragari, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, dictæque Cameræ Commissarium, & alios Officiales, & Ministros judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam qua vis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulas add.t.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis prædictarum Universitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22.Decem.1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 22. Dec. 1660. An. VI.

CCCXXV.

Constitutio super numero Vocalium pro Comitiis General. Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum.

ALEXANDER PAPA VII
Ad perpetuam rei memoriam.

Felici, prosperoque regimini, & gubernio Congregationis dilectorum filiorum Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis officii cura, salubriter, quantum cum Domino possumus, providere cupientes.

Procœmium.

§.1. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, & decernimus, ut in Capitulo Generali eorumdem Clericorum Regularium Theatinorum jus suffragandi habeant infrascripti dumtaxat, & non alii, videlicet Præpositi Generales, tam pro tempore existentes, quam officio functi: quatuor Consultores, & Procurator Generalis pro tempore ex Provincia Galliæ Cisalpinæ, quæ in primam, & secundam visitationem dividitur: duo Visitatores, tres Præpositi, & tres Vocales pro qualibet Provincia: Præpositi quatuor, & totidem Vocales ex Provincia Neapolitana: Præpositi duo, & Vocales duo ex Provincia Siciliæ, dummodo ex hac eligantur duo Visitatores, sicuti ex Provincia Neapolitana, ex Hispania unus, ex Gallia Transalpina unus, & ex Romanis domibus unus.

Numerantur quos in Capitulo Generali jus suffragii habere vult.

§.2. Præpositorum quidem electio ad hunc plane modum fiat, Novembri mense Præpositi ad unam e suæ Provinciæ domibus a Præposito Gen., & Consultoribus designandam se conferant. Constituta vero die, quæ erit ultima ejusdem Mensis, una omnes

Electionis faciendæ modum assignat.

omnes, dato signo, fusisque de more precibus, de singulis Præpositis suæ Professionis ordine singula habeantur scrutinia: Scrutatores, quæ cuique contigerint, suffragia numerent, atque in schedula distincte notent. Tum scrutiniis absolutis, illi censentur ad Generale Capitulum electi, in quos majorem eligentium numerum consensisse scrutatores significaverint. Quorum paria fuerint suffragia, ex iis professione senior accedat: si quempiam ex electis Præpositis obire diem suum contigerit, ille subrogatus intelligatur, qui majori suffragiorum numero proxime succedit in dicta scrutatorum schedula, quæ statim Romam transmittatur Præposito Generali, & Consultoribus, eorumdem scrutatorum manu subscripta, & obsignata, resignanda videlicet ab eodem Præposito Generali, & Consultoribus, cum subrogatio postulaverit.

§.3. Præpositi si fuerint legitime impediti, aliquem e suæ Domus Vocalibus ablegare ad Provincialia hęc comitia possint. Qui Vocalis, si fuerit electus, non ipse, sed Præpositus, electus censeatur. Quod si e Præpositis aliquis neque alium miserit suo nomine, is passivo in eo Conventu, suffragio ne gaudeat. Electus vero ad Comitia generalia mittere, si fuerit impeditus e suis Vocalibus quem libuerit, possit. Qui Conventum hunc Præpositorum convocet, curetque, ut rite omnia peragantur, sit Senior ex Præpositis. Vocalium vero duplex fiat electio: Prior in singulis domibus, uti moris est, ad Instituti, ac Decretorum formam, intra Italiam quidem, die Septembris prima; extra Italiam vero, prima Julii: posterior, Septembri mense extra Italiam, Novembri vero intra Italiam. Ex Vocalibus electis, scilicet qui in Priori Domorum electione renunciati Vocales fuerint, alterum deinde Conventum eadem, qua Præpositi, die, non eadem domo, sed quam Præpositus Generalis, & Consultores destinaverint, celebrent, atque ad eumdem prorsus modum, eodemque suffragiorum ritu, quo peracta est Præpositorum electio, fiat Vocalium, qui adire Generale Capitulum debent, quemadmodum de Præpositis significatum est.

Clausulæ.

§.4. Caveant maxime Electores in electione Vocalium, ne quem eligant tam in prima, quam in secunda electione, qui a Definitorio nondum fuerit ad sacras tum virorum, tum mulierum confessiones audiendas admissus, neve in secundo conventu eos, qui prima vice, ex Constitutionum præscripto, ad utrumque suffragium admissi non fuerint, nisi a die admissionis ad passivam vocem per sex annos eorum virtus probata fuerit. Alioquin electio sit eo ipso nulla, absque alia declaratione: siquis primæ electionis Vocalis adire ex causa secunda comitia nequiverit, alter juxta Decreta Ordinis rite eligatur: qui autem secundæ electionis Vocalis impeditus quavis ratione fuerit, ne ad Generale Capitulum conveniat, illi nemo subrogetur. Porro in secunda Vocalium electione senior ex illis, ut de Præpositis dictum est, Patres rite cogat. Suum peculiare Conventum habeant Prępositus S. Andreæ Romæ, electus ejusdem domus Vocalis, & electus Domus Quirinalis, qui collatis inter se votis, unum ex se ipsis eligant. Hispaniarum Præpositi, & electi Vocales, suum item constituta die conventum agant, & eodem modo unum ex se ipsis eligant.

§.5. Similiter Præpositus, & Vocalis electus Parisiensis, ubi duo tantum fuerint, sive Præpositi, sive Vocales, ii suffragiis ne agant, sed sorte: quod si illorum alter alteri consenserit, illi Capitulum Generale adeundi jus esto. Si forte in aliquibus Comitiis nemo eligatur, professione antiquiores electi censeantur. Nullus autem de cætero in Visitatorem eligi possit, nisi postquam creatus fuerit Vocalis utriusque suffragii, septennium ad minus expleverit, totoque eo tempore prudentia, & probatæ vitæ exemplo præstaverit.

§.6. Sane in electione Præpositi Generalis, Consultorum, & Procuratoris Generalis, juniores, cæteris paribus, senioribus ne præferantur. Si aliqua oriatur difficultas, aut dubitatio circa prædicta, Præpositus Generalis cum Consultoribus eam declarent, aut interpretentur, ut fit de Constitutionibus. Postremo præcipimus, & mandamus, ut hæ ordinationes ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, & siquis eas impugnaverit, aut eis parere aliqua ex parte detrectaverit, arbitrio Præpositi Generalis, & Consultorum graviter puniatur.

Decretum irritans.

§.7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.8. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusq; Provinciarum, & domorum Regularium quarumlibet, & aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.9. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu

manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Jan. 1661. An.VI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Januar. 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXXVI.

Prohibitio Missalis Gallico idiomate impressi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Vide quartam Regulam Indicis Librorum prohibitorum, in qua prohibetur impressio Librorum Sacrorum vulgari lingua.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. AD aures nostras ingenti cum animi nostri mœrore pervenit, quod in Regno Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus studentes, & Ecclesiasticas Sanctiones, ac praxim contemnentes, ad eam nuper vesaniam pervenerint, ut Missale Romanum Latino idiomate longo tot seculorum usu in Ecclesia probato conscriptum ad Gallicam vulgarem linguam convertere, sicque conversum typis evulgare, & ad cujusvis Ordinis, & sexus personas transmittere ausi fuerint, & ita Sacrosancti Ritus Majestatem Latinis vocibus comprehensam dejicere, & proterere, ac Sacrorum Mysteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentaverint.

Motiva. §.1. Nos, quibus licet immeritis Vineæ Domini Sabaoth a Christo Salvatore Nostro plantatæ, ejusque pretioso Sanguine irrigatæ, cura demandata est, ut spinarum hujusmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumque quantum in Deo possumus, radices succidamus, quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumque plurium malorum facile productricem abhorremus, & detestamur.

Missale Gallico idiomate impressũ damnat. §.2. Ita Missale prædictum Gallico idiomate a quocumque conscriptum, vel in posterum alias quomodolibet conscribendum, & evulgandum, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, perpetuo damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejusque impressionem, lectionem, & retentionem universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus cujuscumque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, & præeminentiæ, licet de illis specialis, & individua mentio habenda foret, existant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso jure incurrendæ perpetuo prohibemus.

§.3. Mandantes quod statim quicumque illud habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, realiter, & cum effectu exhibeant, & tradant locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora exemplaria igne comburant, & comburi faciant, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Sudradictum igne comburi vult.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Januarii 1661. Pontificatus nostri Anno VI. Dat. die 12. Jan. 1661. An. VI.

CCCXXVII.

Decernit, & declarat Rectoribus, & Administratoribus Monasteriorum Carmelitanarum Regni Franciæ nullum Jus, nequidem cumulative, visitandi eadem Monasteria competere, sed solum administrationem spiritualem, & temporalem eorumdem ad eosdem spectare. Decretumque, & declarationem hujusmodi sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per omnes, & singulas personas, quæ ipsis quovis modo contravenerint ipso facto incurrenda inconcusse observari præcipit, & mandat. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. ALiàs emanarunt a Nobis literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet: Alexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Ad pastorale fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam evecti, inter gravissimas, multiplicesque curas, quibus assidue præmimur, eam peculiari studio amplectimur, ut felici Sacrarum Virginum, & honestarum Mulierum, quæ spreta seculi vanitate Altissimi obsequiis sese, sub suavi Religionis jugo manciparunt, regimini, & directioni opportunis rationibus consulere satagamus, prout matura consideratione prævia conspicimus in Domino salubriter expedire. Decretum alias emanatum refertur.

§.2. Nunc autem controversias super prædictorum Monasteriorum Monialium Carmelitanarum Excalceatarum in Regno Franciæ consistentium visitatione exortas pro commissæ Nobis divinitus apostolicæ dispensationis cura sopire cupientes, de memoratorum Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, in quorum Congregatione causa visitationis hujusmodi iterum examinata fuit, quippe quicquam a partibus, earumque Procuratoribus, & Advocatis utrumque deductum fuit, audiverunt, consilio, inhærentes priori memoratæ Congregationis Decreto nostrisque literis præinsertis desuper emanatis, ac Decre-

cretum, & literas hujusmodi harum serie confirmantes, & approbantes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus prædictis Rectoribus, & Administratoribus supradictorum Monasteriorum, Monialium nullum jus, ne quidem cumulative, visitandi eadem Monasteria competere, sed solum administrationem spiritualem, & temporalem ipsorum Monasteriorum ad eosdem Rectores, & Administratores spectare, tenore præsentium decernimus pariter, & declaramus; Decretumque, & declarationem hujusmodi sub excommunicationis latæ sententiæ pena per omnes, & singulas personas, quæ illis quovis modo contravenerint, ipso facto incurrenda inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandamus.

Decretū præinsertum confirmat.

Contravenientium pœnæ.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, sive intentionis nostræ, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodlibet juris facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulas addit.

§.4. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§.5. Ceterum volumus quoque, ut ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Januarii 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 13. Jan. 1661. An. VI.

CCCXXVIII.

Decernit, quod Breve Sanctitatis Suæ, quo statuitur Ecclesiasticos directos Dominos bonorum stabilium livellariorum, & emphyteuticorum in Territorio Civitatis Perusin. existentium, quæ per lineam finitam devolvi contigerit teneri de illis investire proximiores illius, per cujus obitum linea hujusmodi finita fuerit, perinde valeat, ac si narrata in illo plene verificata reperiuntur; dummodo tamen laici, qui petunt renovationem non solum augeant canonem ad quinquagesimam, & solvant laudemiam juxta dispositionem dicti Brevis, sed etiam intraturas ubi, & prout in præteritum solvi consuevit, & non alias.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Alias emanarunt a Nobis ad favorem dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis nostræ Perusin. Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet. Dilectis filiis Communitatis, & hominibus Civitatis nostræ Perusinæ. Dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem. Constantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quo Nos, & Romanam reveremini Ecclesiam promeretur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, quæ vestris commodo, & utilitatibus fore conspicimus opportuna.

Exord.

§.2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecistis, bona stabilia in Territorio Civitatis nostræ Perusinæ existentia, pro majori, & meliori eorum parte livellaria, & emphyteutica, ac de dominio directo Ecclesiarum, ac Monasteriorum utriusque sexus existant, & bona emphyteutica, & livellaria hujusmodi ex inveterata, & immemorabili consuetudine prioribus eorum concessionibus finitis in emphyteusim, seu livellum ab illorum Dominis semper de novo concedi soleant: Cumque si Ecclesiastici finita linea, ad quam bona prædicta concedi consueverunt, illa pro se retinere vellent, magnum exinde Incolæ Civitatis, & Diœcesis Perusinæ susciperent detrimentum: quinimo plerique ex iisdem Incolis ad inopiam redigerentur.

Exposi.

§.3. Nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut in præmissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur; Nos igitur vos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, vestrumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilibus Fratrum nostrorum

rum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositorum consilio. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus illi, ad quos spectabit bona supradicta directi Dominii Ecclesiastici quandocumque contigerit ea per lineam finitam devolvi, proximioribus in gradu personæ illi, per cujus decessum linea hujusmodi finietur, cum augumento tamen Canonum, & solutis laudemiis solitis, nec non cum obligatione meliorandi eadem bona Ecclesiastica concedere, ipsosque proximiores de illis investire omnino debeant, & teneantur, illaque pro se retinere nullatenus possint, Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, volumus, & ordinamus; sicque inviolabiliter observari, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, aliosque quoscumque quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Decreti confirmatio.

§.3. Quocirca dilecto filio Gubernatori dictæ Civitatis nostræ Perusinæ nunc, & pro tempore existenti, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios, easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte vestra, seu alicujus vestrum fuerit requisitus solemniter publicans, ac vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra, præsentes Literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari. Non permittens, & vos per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, impediri, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, servataque forma Concilii Tridentini censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Inviolabiliter observari vult.

§.4. Non obstantibus felic. recor. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, Abbatissarum, Monasteriorum, aliorumque locorum piorum quomodocumque nuncupatorum, ac qualitercumque qualificatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 18. Decembris 1655. Pontificatus nostri Anno Primo.

Decreti Bonifacii VIII. derogatio.

G. Gualterius.

§.5. Cum autem, sicut prædicti Communitas, & Homines Nobis nuper exponi fecerunt, dilecti filii Ecclesiastici dictæ Civitatis Perusinæ prætendant narrata in præinsertis Literis minime verificari, illasque proinde nullius valoris esse, Nobis propterea ipsi Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut ad tollendam omnem litem, & controversiam quæ præmissorum occasione oriri posset, opportune desuper providere de benignitate apostolica dignaremur.

Supplicatio.

§.6. Nos igitur dictos Exponentes amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositorum, in quorum Congregatione instantia dictorum Ecclesiasticorum pro revocatione præinsertarum Literarum sub prætextu, quod non verificarentur causæ in earumdem narrativa expressæ, & viceversa instantia prædictorum exponentium pro sanatione, quatenus opus sit hujusmodi defectus attentis aliis causis urgentibus in eadem Congregatione latius deductis, respective jussu nostro propositæ fuerunt, consilio, easdem præinsertas Literas valere, ac firmas, validas, & efficaces existere, & fore, plenamque roboris firmitatem, & effectum sortiri, & obtinere, necnon ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari debere in omnibus, & per omnia, perinde acsi in illis narrata plene verificata reperirentur, auctoritate prædicta tenore præsentium pariter decernimus, & ordinamus; dummodo tamen Laici, qui petunt renovationem non solum augeant canonem ad quinquagesimam, & solvant laudemium juxta dispositionem dictarum Literarum, sed solvant, etiam intraturas ubi, & prout in præteritum solvi consuevit, & non alias.

Clausulas addit.

Contraria tollit.

§.7. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Literis concessimus non obstares cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Jan. 1661. An. VI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaquinta Januarii 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXIX.

Confirmatio, & declaratio Constitutionum Apostolicarum de non contrahendo in favorem forensium super bonis in Statu Ecclesiastico consistentibus.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

UT ea, qua par est solicitudine, commisso Nobis a Divina Majestate subditorum Sanctæ Sedis Regimini respondere, ac vigili providentia eorum utilitati prospicere valeamus, ea, quæ a Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris de non alienandis in forenses bonis stabilibus, tam jurisdictionalibus, quam jurisdictione carentibus in nostra Ditione Ecclesiastica satis provide sancita fuere pari Constitutione duximus innovanda.

Decretum Sixti V.

§.1. Siquidem rec. mem. Sixtus Papa V. Prædecessor noster, quo crebrius subditorum facultates augerentur, ac ne importuno in exteros transitu suorum diminutæ substantiæ in alienæ messis cederent fœcunditatem, prohibuit bona quæcumque stabilia, seu immobilia sita in statu ecclesiastico, etiam Oppida, jurisdictiones, feuda, & similia a quacumque persona in quovis statu, etiamsi Imperiali, Regali, ac Ducali constituta, ac etiam ecclesiastica dignitate, & speciali mentione notanda insignita in quamlibet personam extraneam, Communitatem, Collegium, ac Universitatem, quæ temporali Sedis Apostolicæ dominio subjecta non esset, ullatenus transferri, tam titulo venditionis, quam permutationis, donationis, ac locationis supra triennium, necnon in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi, Apostolica prius non impetrata facultate, sub pœna nullitatis contractuum, aliorumque gestorum. Excepit tamen ab hujusmodi prohibitoria Constitutione, census, officia, loca montium, mulierum dotes, ac ipsam Almam Urbem una cum ejus circuitu simul filios, vel hæredes prædictarum mulierum soluto matrimonio, dummodo exteri fuerint, teneri, vel infra triennium sibi in eodem statu domicilium eligere, vel dicta bona in alios præfato statui subjectos transferre, civilitatibus, si quæ fuerint, derogando sancivit.

§.2. Sed ne hominum calliditas ad subterfugia nimium studiose proclivis, prædictæ Sixti Constitutionis leges, nec quidem indirecte posset eludere, fel. rec. Clemen Papa VIII., dubia quæ imposterum circa ipsam oriri possent explanaturus eandem Constitutionem innovavit, ac decrevit nulli licere, præterquam Ecclesiasticis Collegiis extra ecclesiasticum statum positis, nec quidem Universitatibus, Communitatibus, ac quibusvis exteris Principibus stabilia, aliaque bona, & jura quæ pro stabilibus habentur (citra tamen loca Montium, & Officia Romanæ Curiæ) nedum in ejusmodi ecclesiastici status confinio, verum nec in ipsamet Urbe existentia possidere, etiam sub quovis titulo, & contractu, præterquam ex causa dotis, necnon ex qualibet dispositione tam inter vivos, quam ex Testamentis, Codicillis, Legatis, Donationibus causa mortis, & aliis quibuslibet ultimis voluntatibus, sub pœna amissionis bonorum, quæ Camera Apostolica possit ipso jure, ac propria auctoritate vindicare, ac penes se, donec vita taliter disponentium duraverit, retinere, ac insuper privationis officiorum contra ipsos Tabelliones, qui de ejusmodi contractibus sese rogaverint.

Decret. Clem. VIII.

§.3. Accessit itidem Constitutio sanct. mem. Pauli Papæ V. Prædecessoris nostri, qua, ut ea, quæ in superenarratis Constitutionibus Sixti V., & Clementis VIII. disposita legebantur, Pontificiæ auctoritatis oraculo fortius communiret, easque quominus subverti possent, falsis interpretationibus subtraheret, ipsas declaravit, ac jussit facultatem prædictam alienandi in scriptis prius obtinendam esse, ac inde in ipso actu contrahendi exhibendam penes Notarium falsi pœnam, ac ammissionis officiorum Tabellionibus, privationis vero rei alienatæ contrahentibus injiciens.

Decret. Urb. VIII.

§.4. Quoniam vero nonnullis artificiose præinventis ad contractuum securitatem cautelis aditus patuerat alienandi, etiam non impetrata a Summo Pontifice congrua facultate, fel. rec. Urbanus Papa VIII. pariter Prædecessor noster, expositas superius literas confirmavit, easque extendi ad bona in confinibus Territorii Baronalis existentia, ad Castra demolita, Tenutas, & Prædia etiam non jurisdictionalia, censusque super hujusmodi bonis impositos, necnon ad jus prælationis illorum vigore resultans declaravit, terminumque trium mensium successive præfixit, intra quem unusquisque, qui nulliter contra præfatas Constitutiones contraxerat, a gestis recederet, mandans insuper Notariis omnibus, ut infra terminum supradictum in margine Instrumenti abolitionem contractus adnotare tenerentur, eisdem pœnis in supradictis Constitutionibus comminatis, eos, si non paruerint, subiiciens.

§.5. Ut autem quælibet dolosa conventio, quæ sub palliato dotium constituendarum prætextu in præjudicium Sanctæ Sedis iniri posset, evitaretur, idem Urbanus VIII. recensitas literas Sixti, Clementis, & Pauli innovans, & confirmans, easdem ad quoscum-

cumque contractus occasione quarumlibet dotium, etiam ratione educationis infantium, aliarumque miserabilium personarum per quascumque personas subditas, seu forenses. ac de quibuslibet bonis, jurisdictionabilibus nempe, ac non jurisdictionalibus, stabilibus tamen, celebrandos extendit, absque sua, & Romani Pontificis pro tempore existentis licentia, poenamque adjecit privationis eorumdem bonorum ad favorem Cameræ, vel alterius inferioris Ecclesiæ, a qua contrahentes illa recognoscerent, omnesque facultates alienandi in non subditos, acquirendi, ac domicilii non constituendi in statu ecclesiastico illuc usque contra præfatas Constitutionec concessas revocavit.

§.6. Et cum quo ferventius dictorum Prædecessorum curæ novis, ac iteratis Constitutionibus inconcusse studeret observantiæ, eo callidior nonnullorum versutia germanum earumdem intellectum invertendo, suscitaret inventa, quibus sese tuto reciperent, ac quomodolibet cum forensibus, ac exteris impune contraherent, speciosa palliatione beneplacitum apostolicum reservando, seu apponendo clausulas (quatenus non obstent Apostolicæ Constitutiones, ac ex nunc prout ex tunc, quando cessaverint earum obstacula, & non alias, aliter, nec alio modo) & alias formulas, & clausulas adhibendo, quibus eorum consensus conditionaliter tantum exhiberetur, Decretam Innocen. X. rec. mem. Innocentius Papa X. Prædecessor noster approbatis, & innovatis dictorum Prædecessorum Constitutionibus, eas pariter ad contractus initos cum reservatione beneplaciti apostolici, ac cum clausulis, quatenus non obstent, &c. aliisque similibus conditionalem consensum quomodolibet inducentibus, ac jurium cessiones super stabilibus extendit, necnon etiam ad contractus celebratos (cum relatione ad minutas, & scripturas penes contrahentes existentes) & per Procuratorem, aut negotiorum gestorem vigore mandati generalis etiam cum decreto Judicis, vel per aliam quantumvis privilegiatam personam cujuscumque dignitatis, ac speciali nota recensendam, vel denique quovis juridicarum solennitatum apparatu præmunitos, cunctosque ita contrahentes poenis in supradictis Constitutionibus inflictis mulctandos decrevit, licentiamque in scriptis super hujusmodi contractibus implorandam a Romano Pontifice, ac in eadem serie contractus explicandam esse declaravit, derogans cuicumque Civilitati, seu Privilegio, Indulto, aut Decreto Civilitatis, quolibet titulo etiam oneroso, ac sub quavis amplissima verborum structura concessæ, subdens præterea simplicem domicilii electionem apud acta publica nequaquam suffragari, sed opus esse, ut privilegio incolatus quoad præmissa quis uti possit, vere, & realiter domicilium in Statu, vel Urbe prædictis in perpetuum, & animo permanendi constituere. Et cum præjudicium Sanctæ Sedis æque immineret si bona prope Urbem consita dictis Constitutionibus supposita nullatenus remaneant, idcirco sub eisdem quæcumque Casalia, Tenutas, & Pedicas, sive jurisdictionalia, sive non ultra quatuor ab eadem Urbe milliaria comprehendi mandavit. Insuper, ut eo magis dictarum Constitutionum observantia firmata remaneat, ultra eas per dictos Prædecessores comminatas addidit poenas confiscationis bonorum prædictorum, vel eorum pretii, sive solutum fuerit, sive promissum, & destinatum, & interim ad cambium, vel sub alio interusurio penes contrahentes, vel alios relictum, si absque prædicta præcedente licentia in favorem forensis quoquo modo illorum dominus absolutus fuerit. Sin vero hujusmodi bona fideicommisso, vel Primogenituræ, aliive restitutioni supposita fuerit, tunc durante vita tantum contrahentis ad Cameram, vel Ecclesiam, a qua prædicta bona recognoscerentur, spectare decrevit, sive Contractus a Tutore, vel alio quolibet administratore celebratus fuerit, poenasque ad arbitrium sui, vel pro tempore existentis Pontificis, eos, qui taliter nomine alieno contraxerint, vel consensum qualitercumque præstiterint, constituendas reservavit, revocans quascumque licentias contrahendi in favorem forensium absque Romani Pontificis facultate usque illuc quomodolibet concessas.

§.7. Successive autem cunctis, qui contra tenorem dictarum Constitutionum de facto contraxisse reperiantur, terminum trium mensium, citra tamen præjudicium Cameræ quoad poenas vigore earum incussas præfixit, quo temporis spatio unicuique liceret, quod taliter gesserit retractare, ac Contravenientium poenæ. in pristino statu, quo ante conventionem erant, singula reponere, eoque elapso, ac contractibus hujusmodi non abolitis, ad Cameram bona prædicta pertineant, injungens simul Notariis quibuslibet, ut Instrumenta omnia super præmissis per eos confecta exhibere, ac revocationem gestorum omnium in eorumdem margine designare teneantur, loca autem Montium, & Officia Romanæ Curiæ, uti nec suorum Prædecessorum subjecta remansere Constitutionibus, ita pariter ab eisdem exempta fore, nec comprehensa censeri confirmavit.

§.8. Verum quia ad nostram notitiam devenit complures forenses præmissis nullatenus attentis bona tam feudalia, quam allodialia cum jurisdictione, & sine, in nostro statu ecclesiastico sita nihilominus possidere, eosque forsan a tenore supradictarum Constitutionum recedendo contraxisse: Nos cuncta, quæ a præfatis Prædecessoribus nostris, ut Subditorum utilitati, ac nostri status uberiori incremento consulerent, salubriter sancita fuere, pristinæ restituere observantiæ, eisque firmiora fulcimenta parare, eaque omnia, & singula, quæ prædictis ullatenus valeant adversari, etiam si de necessitate exprimenda forent, e medio tollere cupientes, prædictarum Constitutionum, ac omnium contrariorum quoquo

quo modo directe, vel indirecte adversantium, & aliorum quorumcumque de jure exprimendorum tenores, ac series, ac si de verbo ad verbum inserti fuissent, pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes.

Decreta supradictorum Pontificum confirmat.

§.9. Motu proprio, & ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione, Sixti V., Clementis VIII., Pauli V., Urbani VIII., ac Innocentii X. Prædecessorum Constitutiones, ac omnia, & singula in eis, & earum qualibet contenta, & expressa etiam forsan desuper non enunciata confirmamus, & approbamus, ac inviolabiliter in omnibus, & per omnia observari decernimus, & mandamus.

§.10. Atque, ut singula in eisdem Constitutionibus expressa plenius executioni demandentur, hac in parte etiam eorumdem Prædecessorum vestigiis inhærentes, omnes, & singulas facultates, licentias, ac Indulta quæcumque super quibusvis bonis stabilibus, tenutis, tenimentis, ac locis tam jurisdictionalibus, quam jurisdictione carentibus, sive sint feudalia, emphyteutica, & livellaria; sive allodialia, in quocumque loco Status nostri Ecclesiastici consistentia, contrahendi, necnon illa etiam retinendi, & non habitandi in Urbe, seu nostro Statu Ecclesiastico, a Prædecessoribus nostris, vel a Nobis in favorem forensium cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, ac præeminentiæ, tam laicalis, quam ecclesiasticæ, etiam motu proprio, & sub quibusvis clausulis, & cautelis, derogatoriis, & revalidatoriis, necnon reintegratoriis in pristinum statum validum quomodolibet, qualitercumque, & quomodocumque concessa, & impartita penitus, & omnino revocamus, annullamus, & abolemus, ac pro revocatis, annullatis, & abolitis haberi volumus, & mandamus.

Licentias, & facultates concessas revocat.

§.11. Cæterum quoad eos, qui hactenus contraxerunt, & bona prædicta retinuerunt, & possident, vigore licentiæ a Prædecessoribus nostris, vel a Nobis obtentæ opportuno curantes occurrere consilio, unumquemque ad illam re ipsa exhibendam in actis dilecti filii Francisci Lucarelli Notarii Cameræ nostræ infra tres menses a die publicationis præsentis nostræ Constitutionis in hac Urbe faciendæ adstringimus, & obligamus, necnon infra eundem terminum ad Urbem, ac nostrum Statum respective venire, ibique vere, ac cum effectu domicilium animo, ac proposito non recedendi amplius, perpetuoque cum familia manendi realiter constituere, prout etiam in eisdem dictorum nostrorum Prædecessorum Constitutionibus præcipitur, sub pœnis in illis respective contentis, volumus, & mandamus.

Decretum irritans.

§.12. Decernentes sic, & non alias per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditores, ac Gubernatores, illorumque Locumtenentes, necnon Camerarium nostrum, aliosque S. R. E. Cardinales etiam de latere Sedis Apostolicæ Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & quosvis alios quavis auctoritate fungentes, & jurisdictione pollentes, etiam Cameram ipsam, & Clericos ubique, & in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.13. Injungentes, & mandantes eisdem Legatis, Gubernatoribus, & Judicibus in toto Statu nostro Ecclesiastico nunc, & pro tempore existentibus, & eorum cuilibet, ut confirmationem, revocationem, & obligationem nostras hujusmodi, aliaque in præsentibus literis contenta ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, etiam per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia firmiter, & inviolabiliter observari faciant.

Decretum hoc servari mandat.

§.14. Non obstantibus omnibus quæ prædicti Sixtus, Clemens, Paulus, Urbanus, & Innocentius Prædecessores in dictis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.15. Volumus autem, quod præsentes, postquam Valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon in Acie Campi Floræ affixæ, & publicatæ fuerint, quoscumque tam in Romana Curia, & Statu prædicto, quam extra eos existentes perinde obligent, & arctent, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimatæ fuissent, cum verisimile non sit id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§.16. Volumus insuper quod earum exemplis etiam impressis manu Notarii publici, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si esse nt exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

§.17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, mandati, revocationis, annullationis, abolitionis, adstrictionis, obligationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1661. 17. Kal. Februarii, Pont. nostri Anno VI.

Dat. die Feb. 16. An. VI.

CCCXXX.

Declaratio Statuti Civitatis Bononien. excludentis fœminas propter Masculos a successione.

Ex Regest. Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Constantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Quadraginta

Proœmium.

ta Viri Regiminis Bononien. erga Nos, & Romanam gerere comprobantur Ecclesiam, promeretur, ut eos specialis favore gratiæ libenter prosequamur.

Supplicatio. §.1. Cum itaque pro parte prædictorum Quadragin. Virorum Nobis humiliter supplicatum fuerit, ut dignaremur declarare Statutum dictæ Civitatis excludens fœminas propter masculos in Successionibus ab intestato, comprehendere etiam fœminas, quæ de tempore delatæ successionis reperirentur in statu Religioso, vel alias exemptæ a Jurisdictione Laicali: Hinc est, quod Nos supplicationibus hujusmodi inclinati, ac eorumdem Quadraginta Virorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Congregationis super hujusmodi negotio a Nobis specialiter deputatæ, quæ idem negotium mature discussit, consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, & declaramus, quod pro hæreditatibus, & successionibus jam delatis usque in præsentem diem, neque fœminæ Regulares, neque ex earum personis Monasteria, Conventus, ac Domus Religiosæ cujusvis Ordinis, vel Instituti, in quibus ipsæ fœminæ hactenus receptæ fuerint, & professionem emiserint, sub prætextu invaliditatis dicti Statuti, vel non comprehensionis in eo dictarum fœminarum Regularium, consanguineos, & attinentes, ad quos vigore dicti Statuti per longissimum tempus absque controversia, ut præfertur, observari, bona, quæ alias ad ipsas Regulares spectassent devenerunt, vel eorum Hæredes, & Successores aliquo modo super ipsis bonis molestare, perturbare, vel quomodolibet inquietare, seu etiam contra eos via juris agere valeant in futurum. (Declarat, ut in rubr.)

§. 2. Decernentes pariter nullum jus, nullamque actionem eis competere super bonis præfatis, sine tamen præjudicio juris, quod ex causa successionum, & hæreditatum in præteritum, & usque in præsentem diem ab eisdem fœminis Regularibus, Monasteriis, aliisque Locis Religiosis agnitarum competere posset.

§.3. Cæterum non intendimus aliquid pro nunc declarare circa validitatem, vel invaliditatem prædicti Statuti, quoad hæreditates, & successiones, tam devolvendas in futurum, quam hactenus delatas, non tamen agnitas ut supra.

Clausulæ. §.4. Decernentes etiam easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, Monasteriorum, Conventuum, & Locorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumq; (Contraria tollit.)

Transumptis danda fides. §.6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ead. prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quę ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Jan. 1661. Pontificatus nostri Anno VI. (Dat. die 29. Jan. 1661. An. VI.)

CCCXXXI.

Confirmatio, declaratio, & extensio Constitutionis Pii Quinti de non alienandis, & infeudandis Civitatibus, & aliis Locis Sedis Apostolicæ.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. INter cęteras animi solicitudines, quibus in administratione pastoralis officii, Nobis Divina providentia commissi assidue præmimur, ea vehementer urget, quæ Sedis Apostolicæ dignitatem, ejusque Status etiam temporalis conservationem concernit; Hac ideo ratione, licet plurium Summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum decreta, & litteræ provide, ac sancte conditæ fuerint, præsertim rec. me. Pii V. sub dat. 4. Kal. Aprilis Anno 1567. ejus Pontificatus II. tenoris subsequentis videlicet: Pius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Admonet Nos suscepti curæ regiminis &c. *reliqua omittuntur, quia sunt per extensum in suo ordine Tom. 4. Par. 2. fol. 364.*

Quæ

Quæ ab ejus etiam Successoribus Romanis Pontificibus fuerunt approbatæ, & confirmatæ, ac præsertim ab Innocentio Nono fel. record. cum declaratione, seu extensione in ejus literis prid. non. Nov. 1595. Pontificatus Anno Primo inserta sequentis tenoris, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quæ ab hac Sancta Sede, cui licet indigni, auctore Domino præsidemus pie, ac salubriter sancita, & ordinata noscuntur, ea ut perpetuo firma, illibataque permaneant, non solum consensus, approbationis, & innovationis nostræ munimine roboranda, sed etiam declarationis præsidio quatenus expedire visum sit fulcienda censemus, & præcipue muneris nostri. *Reliqua omittuntur quia etiam sunt per extensum in suo Pontificatu Constit.* 1. *Tom.* 5. *Par.* 1. *fol.* 324.

Pii V., ac Inn. IX. Decreta.

§. 1. Nihilominus quia nonnullę pro varietate casuum contingentium successivis temporibus excitatæ fuerunt dubitationes, ac improprie forsan subsequutæ interpretationes, propterea, ut hæ quoque cessent, ac removeantur, congruum fore duximus, easdem literas in pręsentia comprobare, innovare, & confirmare, ac verum illarum sensum exponere, & quatenus opus sit de novo decernere. Hac igitur nostra perpetuo valitura constitutione, motu proprio, non ad alicujus supplicationem, vel super hoc oblatæ nobis petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & ex certa scientia nostra, easdem Prædecessorum, & specialiter præinsertas Pii V. & Innocentii IX. ac omnia in eis contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium comprobamus, confirmamus, & innovamus, easque inconcusse ad validissimæ firmitatis robur, plenamque exequutionem, & effectum perpetuis etiam futuris temporibus obtinere, & ab omnibus inviolabiliter observari decernimus, præcipimus, & mandamus. Præterea ne imposterum germanus earumdem literarum sensus in dubium revocari, & a Conditoris mente recidi contingat, motu, scientia, ac deliberatione paribus, & de potestatis Apostolicæ plenitudinę, habita super hoc cum Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus consultatione matura, & singulorum auditis sententiis in nostro Consistorio Secreto, ac etiam extra oretenus, & in scriptis de eorum consilio, & assensu declaramus præfatas Pii V. literas comprehendere non solum Principatus, Ducatus, Civitates, Castra, Oppida, Terras, Arces, Dominia, & Loca Jurisdictionales, & Jurisdictionalia S. R. E., ac Sedis Apostolicæ in feudum, Vicariatum, vel alium titulum tunc concessas, & concessa, ac etiam alias aliquando, & pluries concedi solitas, & solita quocumque tempore ad Cameram Apostolicam devoluta. Verum illas quoque, & illa, quæ nunquam antea in feudum, vel alio titulo concessa, sed per Cameram, & Sedem Apostolicam immediate possessa fuerunt, vel tunc possidebantur, prout etiam fel. rec. Clemens VIII. Prædecess. noster suo Consistoriali Decreto die 26. Junii anno 1592. Pontificatus illius primo declaravit, cujus sequitur tenor: Clemens VIII. SSmus Dominus noster dixit post editam per san. recor. Pium PP. V. Sanctitatis suæ Prædecessorem de Fratrum consilio Constitutionem de non alienandis Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis sibi, & Apostolicæ Sedi in temporalibus mediate, & immediate subjectis etiam ad illud usque tempus in feudum, atque quemvis alienationis titulum dari solitis ad Sedem prædictam quomodolibet devolutis, & pro tempore devolvendis gravissimis impositis pœnis contra personas tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de hujusmodi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & locorum infeudationibus, etiam sub prætextu necessitatis, & evidentis utilitatis, sive illas insinuantes, & suadentes prout in ipsa Constitutione sub Dat. 4. Kal. Aprilis anno secundo edita sæpius postmodum per Prædecessores suos, ac novissime per Sanctitatem Suam comprobata latius continetur. Piæ mem. Gregorium XIV. itidem Prædecessorem suum in Consistorio Secreto Romæ apud S. Marcum de Venetis 13. Septembris 1591. habito, sententiis tamen S.R.E. Cardinalium, qui tunc aderant, ac de quorum numero etiam Sanctitas Sua erat, minime requisitis, quinimo multis eorum expresse contradicentibus declarasse, & decrevisse, Pii Prædecessoris Constitutione præd. non prohiberi feudum nondum devolutum quando necessitas aut evidens, & vera Ecclesiæ utilitas postulaverit iterum infeudari. Nec juramentum in ea prętitum similem casum comprehendere, ac neminem licite jurare posse, quod contra necessitatem, aut evidentem utilitatem Ecclesiæ sit, sicque prædictam Constitutionem intelligendam judicasse, ac definivisse, itaut nemini postea de ea aliter, quam tunc ab ipso declaratum fuit, loqui, & scribere liceret, prout in eodem Decreto, & declaratione plenius continetur.

Supradicta Decreta confirmat.

Decr. Clem.

§. 2. Verum quia re ipsa compertum est, quod fere omnes alienationes Terrarum, Civitatum, Oppidorum, & locorum hujusmodi hactenus factæ, ex quibus magna læsio, & imminutio Patrimonii, ac existimationis S.R.E. sequuta est, etiam sub prætextu, & colore veræ, & evidentis necessitatis, vel utilitatis Prædecessoribus Sanctitatis Suæ insinuatæ fuerunt, cum tamen vix ulla necessitas excogitari possit cum ex aliis bonis, aut redditibus, & proventibus quam Constitutione predicta alienari prohibitis subveniri nequeat. Vix etiam ulla dari possit utilitas, cui non præponderet recuperatio, & realis reintegratio in Patrimonium S. R. E. earumdem Civitatum, & locorum hucusque alienatorum, cumque hujusmodi casus absolutæ necessitatis, aut veræ, aut evidentis utilitatis facilius mente, atque animo concipi, & effingi, quam usu venire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum, & investiturarum, prorogationum, & aliarum concessionum

Confirm...

num quomodocumque, & sub quibuscumque causis, & prætextibus attentandi viam omnino præcludere, quam ob rarissimos casus, qui vix unquam contingere possint apertam relinquere; Cumque lucrum in tempore negligere, maximum quandoque sit Ecclesiæ lucrum, utilius esse radices omnes, ex quibus hujusmodi alienationes provenire valeant penitus evellere, quam ex eo quod aliquando possit earum aliqua utilis esse occasionem præbere, ut multæ præjudiciales, & damnosæ fiant, cui absurdo, atque incommodo ipsum Pium Prædecessorem præfatum, dictam Constitutionem non immerito occurrere voluisse, qui longe plures, & graviores jacturas ex multis perniciosis distractionibus sequi posse censuit, quam utilitatem ex paucissimis, siquæ unquam contingerent fructuosę. Proinde Sanctitas Sua habita super hoc cum Venerabilibus Fratribus S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, & singulorum auditis sententiis, de eorum consilio, & unanimi assensu, Decretum, & Declarationem superius memoratam fel. rec. Gregorii XIV. tanquam destruens prædicti Pii Constitutionem, alienandique occasionem præbens, ac minime necessariam, & desuper forsan confectas literas, quarum omnium tenores haberi voluit pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, auctoritate Apostolica revocavit, abrogavit, cassavit, & annullavit, perinde acsi nunquam emanassent. Declarans dicta Constitutione prohiberi, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Feudorum, & locorum in ea contentorum tam quæ nunquam antea in feudum concessa, quam quæ alias sæpius etiam alienata, vel infeudata, ac postmodum devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt alienationes, infeudationes, & prorogationes, & extensiones investiturarum, feudorum, & concessionum etiam ex causa necessitatis, aut evidentis, & veræ utilitatis factas, & faciendas. Juramentum quoque super ejusdem Constitutionis observatione per Sanctitatem Suam, & Successores suos, ac S.R.E. Cardinales præstitum, & præstandum, casum hunc necessitatis etiam absolutę, & evidentis, & veræ utilitatis omnino comprehendere, nec propterea aliquid illicitum jurare, aut quod contra necessitatem, vel utilitatem Ecclesię sit, sed quod rationi consonum, atque e re illius est, ac summopere conducit, prout eadem auctoritate declaravit, statuit, & decrevit cum clausulis, & derogationibus opportunis. Actum Romæ in Monte Quirinali die 26. Jun. 1592 in Consistorio Secreto. Pariterque declaramus sub ead. Constitutione comprehendi Principatus, Ducatus, Civitates, Castra, Oppida, Terras, Arces, Dominia, & Loca jurisdictionales, & jurisdictionalia, non tantum ad S. R. E. & Sedem, & Cameram Apostolicam eo tempore devoluta, aut alio quocumque titulo quomodolibet acquisita, sed quæ post eam usque in præsentia, & in futurum successivis temporibus in perpetuum sive devolutionis, sive alio quovis

Gregor XIV. Decretum abrogat.

titulo quomodolibet acquisita fuerunt, & acquirentur, salvis tamen Constitutionibus, pro bonis confiscatis a fel. rec. Gregorio XIII. quinto Idus Julii an. 1580. ejus Pontific. IX. & Sixti V. Kal. Julii an. 1585. ejus Pontificatus I., quibus cautum fuit, Ducatus. Dominia, Vicariatus, Gubernia, Feuda, aliaque bona ad prædictam Sedem, & Cameram Apostolicam ratione delictorum, & confiscationum in casibus in eis statutis delata sub eadem Pii V. Constitutione super hujusmodi Dominiis, & Jurisdictionibus in feudum, aut alias non conceden., nec alienandis edita minime comprehendi: Declarantes tamen illas intelligendas esse, prout intelligi decernimus, & mandamus, ut Principatus, Ducatus, Civitates, Castra, Oppida, Terræ, Arces, loca, Dominia, Vicariatus, Gubernia, Feuda, & loca Jurisdictionalia in illis comprehensa, & ex earum dispositione confiscata, & confiscanda non subjaceant, neque subjacere debeant præfatis literis Pii V. pro eo tempore solum, quo delinquens, seu delinquentes vixerint, & investituræ, siquę antea concessæ fuerunt, durabunt, ac personæ, seu lineæ in illis comprehensæ superernt, & salvis etiam pactis in ipsis investituris contentis: Insuper eisdem motu, scientia, deliberatione, ac potestate, declaramus dispositionem præfati rec. mem. Clementis VIII. in ejusdem literis VII. Kal. Julii anno 1596. ejus Pontificatus V. in quibus decrevit Civitates, Terras, Castra, & loca juridisctionalia per Cameram Apostolicam in vim ejusd. Constitutionis emenda & acquirenda in dicta præcedenti Constitutione Pii V. per triennium a die illarum venditionis computandum minime comprehendi debere, ita intelligendum esse ut statim finito dicto triennio quatenus eo durante non fuerit deventum ad illorum veram, propriam, & effectualem alienationem, Civitates, Castra, Terræ, & Loca prædicta, ipso jure, & facto censeantur unita, & incorporata eidem Sedi, & Cameræ Apostolicæ, atque subjecta, & comprehensa in præfatis Pii V. literis, etiam nulla alia facta declaratione, acceptatione, seu decreto, itaut dictus terminus trium annorum nullo pacto suspendi, prorogari, vel aliter impediri, aut retardari possit cursus illius, neque incorporatio, comprehensio, & subjectio prædicta, & ita servandum esse decernimus, & mandamus.

Salvis Decretis Greg. XIII & Sixti V.

§.3. Postremo statuimus, ut sicut Nos præinsertas Pii V. ac Innocentii IX., & Clementis VIII. lit. seu decretum sub die 26. Junii 1592. & omnes, & singulas Constitutiones, & Decreta tam ejusdem Clementis, quam aliorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quibus Civitates, Castra, Oppida, & alia Loca, & bona hujusmodi jurisdictionalia Sedi, & Cameræ Apostolicæ quocumque tempore unita, & incorporata, ac prædictis literis Pii V. subjecta fuerunt, & specialiter Decretum a Nobis die 20. Decembris proxime præteriti in nostro Consistorio Secreto, assentientibus pariter, &

1661.

approbantibus Ven. Fratribus nostris S.R.E Cardinalibus factum super incorporatione, ac subjectione Ducatus, Castri, & Oppidorum Roncilionis, Valerani, ac aliorum omnium locorum, & bonorum jurisdictionalium, quæ a rec. mem. Innocentio X. Prædecessore nostro sibi, & eidem Cameræ Apostolicæ acquisita fuerunt ex Instrumentis respective rogatis per acta Bartolomæi Brunori die 7. Octobris 1649. & Francisci Lucarelli Cameræ Apostol. ac Caroli Viperæ Capitolii Notariorum die 19. Decembris ejusdem anni; Ac præsentem nostram Constitutionem inviolate servaturos promittimus, & sancte, & solemni more juramus, & Cardinales omnes, & singuli præsentes in eodem Consistorio nostro hodierna die, ut moris est, habito, pariter jurejurando promiserunt juxta formam, ac tenorem Juramenti pro observatione præfatæ Pii V. per eos antea præstiti; Ita & absentes a Consistorio in eorum habitationibus, & a Curia quandocumque ad eam se contulerint, ac futuri pro tempore Cardinales in sumptione pilei & deinde in Conclavi, ac etiam post assumptionem ad Pontificatum in manibus Cardinalis Vicecancellarii pariformiter promittere, & jurare debeant easdem omnes, & singulas Constitutiones, & hanc nostram quantum in eis erit observare, illisque non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, & absolutionem a juramento præstito non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare. Ac jusjurandum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adjungi, & inseri debere; Ac contrafacientes pœnam periurii ac perpetuæ infamiæ, juris, & facti eo ipso incurrere decernimus. Præterea, quod ipsi Cardinales occurrente Apostolicæ Sedis vacatione in Conclavi, quando de observandis literis rec. mem. Julii Papæ II. Prædecessoris nostri super electione Romani Pontificis, & aliis Constitutionibus, juramentum præstare solent, etiam de inviolabiliter observandis prædictis ac præsenti Constitutione nostra per quemlibet eorum qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post ejus assumptionem, hoc ipsum ad majorem cautelam promittere, & jurare, & deinde post coronationem suam, promissionem, & juramentum hujusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud a Pontifice (quod credendum non est) recusabit, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto & præcipue eorum Decanus, & Capita Ordinum apud eum, omni cum instantia, & instantissime pro præsentium observatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat diligentissime curare studeant, statuimus, & ordinamus.

Decretū hoc servare juramento una cum Cardinalib. promittit.

Contravenientium pœnæ.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes præsentes literas sub quibusvis revocationibus, cassationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis pro tempore quomodolibet factis, & faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de novo concessas esse, & censeri debere, & ita per quoscumque judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Cameræ præfatæ Præsidentes Clericos, causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac præsentes nostras literas in libello, in quo ipsa Constitutio Pii Prædecessoris continetur, ac in libro quinterno appellato Cancellariæ Apostolicæ describi mandamus.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatum, & Locorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis, & Consuetudinibus, & aliis quæ idem Pius Prædecessor voluit non obstare, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Con... rum ... tio.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, voluntatis, Decreti, promissionis, ac Juramenti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostol. ejus se noverit incursurum.

Claus... pœnalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimonono, Kalendis Februarii Pontificatus nostri Anno VI.

Dat... Febr... An.VI.

✠ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus promitto, voveo, & juro.

Providebam Dominum in conspectu meo semper q. a. d. e. m. n. e.

†

† Ego Franciscus Episcopus Portuen. Cardinalis Barberinus Vice-Cancell. promitto, voveo, & juro.

† Ego Bernardinus Episcopus Prænestin. Cardinalis Spada promitto, voveo, & juro.

† Ego J. Episcopus Sabinen. Card. Sachettus promitto, voveo, & juro.

† Ego Martius Episcopus Albanen. Cardinalis Ginnettus promitto, voveo, & juro.

† Ego Antonius Episcopus Tusculan. Cardinalis Barberinus Camerarius promitto, voveo, & juro.

†

Ego

† Ego Hieronymus tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis Columna promitto, voveo, & juro.
† Ego Joannes Baptista tit. S. Mariæ Transtyberim Card. Pollottus promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Uldericus tit. S. Petri ad Vincula Card. Carpineus promitto, voveo, & juro.
† Ego M. Antonius tit. S. Mariæ de Pace Card. Franciottus promitto, voveo, & juro.
† Ego Stephanus tit. S. Laurentii in pane, & perna Card. Duratius promitto, voveo, & juro.
†
† Ego F. Vincentius Maculanus tit. S. Clementis Card. S. Clementis promitto, voveo, & juro.
†
†
† Ego Hieron. tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Card. Grimaldus promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Angelus tit. SS. Quirici, & Julitæ Cardinalis Giorius promitto, voveo, & juro.
† Ego Nicolaus tit. S. Mariæ Angelorum Card. Ludovisius Major Pœnitentiarius promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Fredericus tituli Sanctæ Anastasiæ Cardinalis Sfortia promitto, voveo, & juro.
† Ego Benedictus tit. S. Onufrii Cardinalis Odeschalcus promitto, voveo, & juro.
† Ego Camillus tit. S. Petri in Monte Aureo Card. Astallius promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Aloysius tit. S. Alexii Card. Homodeus promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Jacobus tit. S. Mariæ Transpontinæ Cardinalis Corradus promitto, voveo, & juro.
† Ego Laurentius tituli S. Chrisogoni Cardinalis Imperialis promitto, voveo, & juro.
† Ego Gibertus tit. S. Joannis, & Pauli Card. Borromeus promitto, voveo, & juro.
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Cardinalis Sancta Crucius promitto, voveo, & juro.
† Ego Baccius tituli SS. Nerei, & Achillei Cardinalis Aldobrandinus promitto, voveo, & juro.
† Ego Joannes Baptista Spada tituli Sancti Marcelli Card. S. Susannæ promitto, voveo, & juro.
† Ego Franciscus tituli Sanctæ Mariæ in Via Cardinalis Albicius promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Octavius tituli Sanctæ Cœciliæ Cardinalis de Aquavivæ promitto, voveo, & juro.
† Ego Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo Cardinalis Chisius promitto, voveo, & juro.
†
†
† Ego Julius tituli Sancti Sixti Cardinalis Ruspigliosus promitto, voveo, & juro.
† Ego Nicolaus Sancti Eusebii Cardinalis a Balneo promitto, voveo, & juro.
†
†
† Ego Franciscus tituli Sancti Joannis ante Portam Latinam Cardinalis Paulutius promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Sfortia tituli Sancti Salvatoris in Laureo Cardinalis Pallavicinus promitto, voveo, & juro.
†
†
†
†
†
†
† Ego Virginius Sanctæ Mariæ in Via-Lata Diaconus Cardinalis Ursinus promitto, voveo, & juro.
† Ego Rainaldus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Estensis promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Paulus Emilius Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Rondininus promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Laurentius Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Raggius promitto, voveo, & juro.
†
†
† Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Barberinus promitto, voveo, & juro.
† Ego Carolus Sanctæ Mariæ in Domnica Diaconus Cardinalis Pius promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Decius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Azzolinus promitto, voveo, & juro.
†
†
† Ego Franciscus Maria SS. Viti, & Modesti Diaconus Cardinalis Mancinus promitto, voveo, & juro.

CCCXXXII.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod quicumque Ordinis, & Congregationis Fratrum Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis Sancti Francisci sine obedientia proprii Provincialis, seu Definitoris suæ Pro- *Ex Regest. in Secret. Brev.*

vinciæ ad Urbem accesserint, & post triduum non recesserint, omnino teneantur Conventui B. M. Miraculorum de Urbe dicti Ordinis unoquoque die singuli duos julios a die sui adventus, si non fuerint Sacerdotes solvere; Si autem Sacerdotes fuerint julium unum, & Missam pro exoneratione dicti Conventus, & intentionem Superioris, ac Sacristæ quotidie celebrare.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. §. 1. Alias pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Discretorum Conventus B. Mariæ Miraculorum nuncupat. de Urbe Fratrum Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis S. Francisci Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod plurimi Fratres diversarum Provinciarum ejusdem Ordinis, quibusdam literis obedientialibus sub speciosis prætextibus furtim, & insciis suæ Provinciæ Superioribus a dilecto filio nostro ejusdem S.R.E. Cardinale d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore, aut ipsius Ordinis Ministro Generali emendicantis, frequentius ad hanc Almam Urbem accederent, & aliquando per annos integros, imo etiam diutius in ea commorarentur, & quantum possent moram ibidem protraherent, ut a Superiorum suæ Provinciæ obedientia immunes perseverarent. Et in eadem expositione subjuncto, quod ex frequenti dictorum Fratrum accessu, moraque hujusmodi præfatus Conventus, quippe pauperrimus, valde gravaretur, magnaque impensarum accessione oneraretur. Ac proinde præfatæ Cardinalium Congregationi supplicato, ut in præmissis opportune provideret: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet.

Decretum Sac. Congreg. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, volens hujusmodi cursitationum, ac more in Urbe sine causa protrahendæ occasionem amputare, & Religiosos dicti Ordinis in propriis Provinciis sub obedientia continere, necnon paupertati, & indemnitati prænominati Conventus consulere, censuit decernendum, prout præsentium tenore decernit, ut quicumque Religiosi Ordinis, & Congregationis hujusmodi sine consensu, & obedientia proprii Provincialis, seu Definitoris suæ Provinciæ ad Urbem accesserint, & post triduum non recesserint, omnino teneantur unoquoque die Conventui prædicto singuli duos julios a die sui adventus, si non fuerint Sacerdotes solvere; Si autem Sacerdotes fuerint julium unum, & Missam pro exoneratione dicti Conventus, & ad intentionem Superioris, & Sacristæ quotidie celebrare; Præsentis autem Decreti executionem committendam, prout committit Guardiano, & aliis pro tempore dicti Conventus Superioribus, qui ad solutionem hujusmodi, Fratres extraneos in posterum accedentes, & alios jam forte in præfato Conventu existentes omni appellatione postposita omnino cogere teneatur; sin minus renitentes huic Decreto parere e Conventu, & Urbe compellat discedere, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 14. Januarii 1661.

M. Cardinalis Ginettus.

E. Episcopus Camerinensis Secretarius.

Decret. præinsert. confirmat. §. 2. Cum autem, sicut præfati Guardianus, & Discreti Nobis noper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus; Salva tamen semper in præmissis, auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Feb. 1661. An. VI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Febr. 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

Con-

CCCXXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Statutorum, & Ordinationum a Deputatis Cappellæ S. Januarii Neapolitan., quam Thesaurum vocant in forma specifica.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio.

Militantis Ecclesiæ regimini meritis licet imparibus Superni dispositione Consilii præsidentes, illis, quæ pro conservando Locorum Piorum quorumvis, & præsertim Deo in Gloriosissimorum ejus Martyrum honorem consecratorum, frequentique fidelium devotione celebrium decore, augendoque in illis divino cultu, ac fælici Ministrorum illic Altissimo famulantium directione pie, prudenterque statuta, & ordinata esse dignoscuntur, quo firmiora sint, ac exactius, & inviolabilius observentur libenter cum a Nobis petitur, apostolici muniminis robur adiicimus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Deputati Cappellæ Sancti Januarii Civitatis Neapolitan., quam illic Thesaurum vocant, quod ipsi vigore facultatis sibi a fel. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro per quasdam suas, die 27. Februarii 1635. expeditas literas attributæ nonnulla Statuta, & Ordinationes pro fælici gubernio, & administratione ejusdem Capellæ fecerunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Adì 13. Novembre 1659. congregati gli Sottoscritti Illustrissimi Signori Deputati del Tesoro del Glorioso S. Gennaro nella Camera della loro solita residenza.

Havendo l'esperienza dimostrato, i luoghi ben regolati essere sempre accresciuti, e gl'altri senza opportuni stabilimenti deteriorati, li Sommi Pontefici di fe: me: Paolo V., e Urbano VIII. nelle Bolle date sopra l'erezzione del nostro Tesoro con Cristiana prudenza diedero facoltà alla nostra fedelissima Patria, e conseguentemente a noi Deputati da lei al governo di questo Sacro Luogo, di far Statuti, Capitoli, e Decreti per il stato felice, governo, e amministrazione di quello, e in ogni tempo mutarli, aggiungervi, e mancarne, o farne altri, come la varietà dell'avvenire, e bisogni dimostrasse, con l'approvazione però della Sede Apostolica, o dell'Ordinario, o pure d'una delle Sagre Congregazioni nell'istesse Bolle assegnate. E volendo avvalerci di tal facoltà per servizio, e onore di Dio, e del nostro singolare Protettore S. Gennaro, gionto con gl'altri, e per i felici progressi dell'istesso Santo Luogo, havendo osservati alcuni anni gl'andamenti, e bisogni di quello, dopo matura deliberazione, e discussione de negozj in più Congregazioni avemo formati Statuti, Capitoli, e Stabilimenti da osservarsi inviolabilmente, dopo che saranno confermati, come sopra, sotto le pene nell'atto di tale confermazione apponende, e sono del tenore seguente, cioè.

Statutum Civit. Neapolis.

La fedelissima Città di Napoli arrichita del Corpo, e del Miracoloso Sangue dell'Illustrissimo Martire S. Gennaro suo precipuo Protettore, avendo giornalmente ricevute da quello singolarissime grazie, per picciolo segno di gratitudine fè voto d'erigere in suo onore la Capella nominata il Tesoro, in cui si conservassero le sue Sante Reliquie con l'altre de Gloriosi Santissimi Protettori. Ed essendosi perciò ottenute Bolle Pontificie, trà le facoltà in quelle concesse dalla fel. mem. di Papa Urbano VIII. nella Bolla spedita a 27. di Febraro 1635. due furono le principali, l'una che la cassa, e custodia delle Reliquie in detta Capella transferende, e una delle due chiavi, sotto le quali si conservano le Reliquie predette con l'assoluta, e omnimoda amministrazione di detta Cappella, suo Erario, beni, entrate, limosine, oblazioni, legati, e altre pie disposizioni fossero in potere d'essa Città, e suoi deputati; l'altra, che essi possano fare Statuti, Ordini, Capitoli, e Decreti per il prospero, e felice stato, regimento, governo, direzzione, e amministrazione di quella, Cappellani, Chierici, Ministri, beni, e entrate tanto spirituali, quanto temporali, e circa il modo, e forma delle Funzioni, e Divini Officj, che ivi averanno da farsi in qualunque modo d'approvarsi dalla Santa Sede, o dalle Sagre Congregazioni ivi assegnata, o dall'Ordinario. Quali s'osservassero sotto pene pecuniarie, e censure ecclesiastiche, come più amplamente apparisce da tal Bolla nel §. *Necnon custodiam*, & §. *Necnon etiam eisdem Oeconomis*. Essendosi dunque già compita, e ornata detta Cappella con spesa di più di Ducati trecentomila, e in essa transferite le Reliquie de nostri Santissimi Protettori. Volendo provedere alla buona amministrazione, e felice progresso di quella, avemo deliberato fare li statuti, ed ordini sopra ciò necessarj. Quindi è che congregati Noi infrascritti Deputati, e maturamente considerato quel, che si conviene per l'effetto, e governo predetto, in vigore di detta facoltà Apostolica avemo conclusi, stabiliti, fatti, ed ordinati gl'infrascritti Capitoli, Statuti, e Decreti, con riserva però espressa, di poter quelli in ogni tempo, e tante volte, quante bisognerà mutare, dichiarare, e farne altri, conforme richiederà il bisogno, e dimostreranno l'occasioni, e mutazioni di tempi in conformità della facoltà datane, da osservarsi da quelli, a quali spetta, sotto le pene pecuniarie infrascritte, e dalle censure in detta Bolla declarande da Superiori nell'atto dell'approvazione d'essi.

Primo. Statuimo, e ordinamo, che li molto Reverendi Tesorieri, e Cappellani

ni del nominato Tesoro non si ingeriscano nè direttamente, ne indirettamente nel governo dell' istesso Tesoro, suoi beni, entrate, suppelletili, limosine, legati, oblazioni, e altra qualsivoglia cosa, nè con li Chierici, o altri Ministri di quello, spettando tal amministrazione ad essa Città, e Deputati di quello in vigore delle Bolle Apostoliche, nè l' uno s' ingerisca nell' offizio dell' altro, mà ogn' uno attenda a quel, che l' incumbe (come si dirà a luogo suo) con carità, pace, e quiete, e occorendoli qualche difficoltà la riferischino a noi, acciò si possi provedere al bisogno sotto pena alli contravenienti di libre 20. di cera bianca lavorata per ciascheduna volta.

Sequitur statutum.

Secondo. Statuimo, che il molto Reverendo Tesoriere di detta Cappella debba personalmente assistere, quando si apriranno gl' Armarii, dove si conservano le prædette Sacre Reliquie, o per esporle al Popolo, o in altra qualsivoglia occasione, e mentre staranno esposte, diligentemente le custodirà, e precisamente quando stà esposto il Miracoloso Sangue del nostro Glorioso Protettore S. Gennaro, levandolo da quando in quando dal Ciborio, ove stà collocato, tenendolo nelle mani, riverentemente girandolo al quanto per far vedere al Popolo, che è liquefatto, e farlo baciare dalli Fedeli, conforme al solito per maggior accrescimento di devozione, però cantandosi la Messa, e il Vespro non si facci tal' azzione acciò non si impediscano le funzioni predette. Assisterà parimente a consegnare dette Reliquie alli molto Reverendi Canonici, quando dovranno esporsi su l' Altare Maggiore del Duomo, conforme li stabilimenti in ciò fatti, e poi li riceverà in dietro, e così anco consegnerà le Reliquie de Santissimi Prottettori, quali son solite consegnarsi nelle loro Feste rispettivamente, e quelle poi riceverà, quando se gli restituiranno, facendo il tutto gratis, e senza oblazione alcuna. E finalmente celebrarà ogni mattina la Santa Messa nell' Altare di detta Cappella conforme il suo obligo, eccetto nella giornata, che li toccherà essere franco, ne si intrometterà in altro. E mancando da ciascuna di dette funzioni per ogni giornata di mancanza sia tenuto alla pena di libre dieci di cera bianca lavorata applicanda a detta Cappella come sopra; dichiarando, che ciò non si intenda in caso mancasse dalla celebrazione della Messa, atteso v' è per tal' effetto quì appresso statuto generale, ove è provisto quel, che conviene.

Terzo. Ciascheduno de molto Reverendi Cappellani sia obligato di celebrare la Santa Messa ogni giorno nell' Altare di di detta Cappella (eccettuando la giornata, che gli toccarà d' esser franco) e personalmente, e non per interposita persona, e oltre di ciò siano tenuti assistere in detta Cappella nelle giornate, che si averanno da portare le Reliquie nell' Altare Maggiore del Duomo accompagnandole con cotte, e lumi, e portandole fin' alla porta di detta Cappella, nella quale si consegnaranno alli molto Reverendi Canonici, e così nel ripigliarle nel Sabbato precedente alla prima Domenica di Maggio, facendosi la Solenne Processione del Sangue del Santissimo Martire Gennaro, due d'essi di quella Piazza, dove si farà il Congresso del Sangue, col Capo del Benedetto nostro Protettore, assistano nel Teatro di quella lor Piazza a custodire la Testa, mentre si aspetta il Sangue, e nelle due ottave di Maggio, e Settembre, due d' essi debbano assistere continuamente assieme col Tesoriere alla custodia di dette Sacre Reliquie, mutandosi a vicenda, e questo dalla mattina fino alla sera di ciaschedun giorno, non convenendo, che in tal azzione resti solo il Tesoriere alla pena di dieci libre cera bianca lavorata, da pagarsi per ciascheduno di quelli, che mancherà per ogni giornata dall' assistenza, accompagnamento, e funzioni ad ogn' uno d' essi spettanti da esigersi, e applicarsi come sopra.

Quarto. Essendo obligati li molto RR. Tesoriere, e Cappellani per se stessi, e non per mezzo d' altri dir la Santa Messa ogni mattina in detta Cappella, eccettuata una giornata di ciascheduna settimana, e potrebbe occorrere, che prendendo tutti, o maggior parte d'essi detta franchizia nella istessa giornata, restasse detta Cappella senza lo debito servizio. Però statuimo, che nella Domenica nessuno sia franco, ma tutti detti molto RR. Tesoriere, e Cappellani siano tenuti dir la Messa nella Cappella predetta, e fra la settimana ogni giorno sian franchi due soli, esortandoli a dividersi fra loro detta immunità, in modo che nell' altri giorni della Settimana due soli per ciascun giorno la godano, e non più, acciò la detta Cappella non resti senza il debito servizio delle Messe, e ciascheduno di essi, che mancherà di celebrare in detta Cappella nelle Domeniche, e nell' altre Feste di Precetto, nelle quali Feste però non li tocchasse la franchizia come sopra, oltre la pontatura, e applicazione delle quali si dirà nel seguente capo, sia obligato per pena di tal mancanza a tre libre di cera bianca lavorata da pagarsi, e applicarsi a detta Cappella, e oltre di ciò si debba fare l'assegnamento predetto fra loro delle giornate franche a ciascuno, e toccanti come si e detto ogn' anno nel principio del mese di Gennaro sotto pena di Ducati 10. per ciascuna volta da pagarsi a detta Cappella da quello, o quelli, che impedissero tale aggiustamento, e questo senza pregiudizio dell'osservanza di quanto si e detto in questo capo.

Quinto. Accio la celebrazione delle Messe si faccia giornalmente da detti molto RR. Tesoriere, e Cappellani conforme all' obligo, che tengano, e si sappia se per avventura mancassero, ordiniamo, che ciascheduno d' essi di propria mano si scriva ogni mattina, che celebra nel libro per tal effetto fatto in Sacrestia, notando giornata per giornata il suo nome, e cognome, inca-

incaricando il Sacrista, che non facci scrivere se non quello, che effettualmente dirà la Messa in detta Cappella, e lasciando di celebrare senza legitimo impedimento (quale in caso vi fosse, debba notificarsi a noi Deputati, altrimenti non si ammetta) debba puntarsi, e puntato s' intenda ogni volta, che non si trovi scritto in detto libro, e per ciò nel tempo del pagamento solito farsi dalla fedelissima Città o da suoi Arrendatori assegnati, si debba cavar nota da detto libro di quelli, quali avendo lasciato di celebrare, e delle porzioni d'essi ritenersi quella quantità di denaro, che importando le puntature predette a Carlini 3 $\frac{1}{4}$ per ciascheduna puntatura quanto importa la provisione ad essi assegnata per il servizio predetto, e in caso, che alcuno d' essi mancasse dalla celebrazione in modo, che non se li dovesse la mesata assegnata, o in tutto, o in parte si debba similmente ritenere. Quali puntature, e mesate sospese s' applicano alla Sagrestia di detta Cappella in aumento delle suppellettili di quella, con peso anco di far celebrare in essa da altri Sacerdoti eligendi per Noi Deputati tante Messe, quante averanno lasciato di celebrare il Tesoriere, e Cappellani predetti, e dalla Città, e Arrendatori assegnati si paghino per tal'effetto alli stessi Deputati, che saranno pro tempore. E la puntatura con applicazione al Tesoro s' intenda anco bastare per pena di quel, che lascerà di celebrare oltre quel che s' è detto nel precedente circa la pena di quello mancherà dalla celebrazione nelle Domeniche, e Feste di precetto, e rispetto al segnarsi ciascuno di propria mano nel sudetto libro, stabilimo, che per pena della resistenza nel segnarsi, sia, che se bene celebrasse, resti puntato, se non si segna di propria mano, come sopra.

Sesto. Ordiniamo, che nel celebrare le Messe basse non vi sia precedenza alcuna frà detti molto RR. Cappellani, ma con l' ordine, che entrando in Sagrestia, così siano spediti, cioè, chi prima verrà si pari, e esca a dir la Messa; Eccettuando però il molto RR. Tesoriere, quale sempre sia præferito agl' altri, rimettendo alla prudenza del Sagrista ad onorare gli forastieri, senza però nessun pregiudizio di detti Tesoriere, e Cappellani, e così s' osservi con pena di 31. libre di cera bianca lavorata per ciascuna volta, tanto rispetto de' Cappellani, che intervertissero questo buon ordine contro volontà di quello fosse arrivato prima, quanto al Sacrista, in caso non facesse osservarlo, d' applicarsi come sopra.

VII. Perchè nelle due Ottave delle Feste del nostro Gloriosissimo Protettore S. Gennaro averà da cantarsi la Messa ogni mattina in detta Cappella, e nella prima Ottava anco il Vespro; perciò diciamo, che la prima di dette Messe debba cantarsi dal Molto Reverendo Tesoriere, la seconda da un di quelli Cappellani di quella Piazza, nella quale in quell' anno sarà fatto il Congresso del Capo col Sangue del Santo, cioè dal più anziano nella prima Ottava, e dall' altro nella seconda, e con l' ordine delle Piazze, come tocca il detto Congresso, vadino facendo detta funzione, e nel giorno ottavo di nuovo celebri detto Tesoriere, ancorchè per il turno predetto, avesse cantata la Messa frà l'Ottava oltre la prima, e non volendo si cavi a sorte, chi averà da cantarla, con dichiarazione, che chi canta la Messa, canterà parimente il Vespro; ed in caso, che alcuno di detti Tesoriere, e Cappellani non osservassero tal ordine contro volontà dell' altri, ò che il Sacrista per sua colpa non facesse osservarlo, sia tenuto per ciascuna volta dare per pena a detta Cappella dieci libre di cera bianca lavorata, con dichiarazione, che s' alcuno d' essi volesse d'accordo mutare la giornata a lui toccante col compagno, possa farlo volontariamente, e con pace, e quietudine frà loro.

Ottavo. Se nell' Ottave predette, o in altra occasione si trovasse legitimamente impedito il Molto Reverendo Tesoriere di modo, che non potesse assistere a fare le funzioni a lui spettanti, come si è detto nel cap. 2., volemo, che egli non si intrometta in deputare, o sostituire alcuno in luogo suo, ancorchè fosse degl' altri Cappellani, e se fosse di fatto da lui sostituito, non si ammetta; Essendo, che spettando a Noi principalmente la cura, e custodia di dette Reliquie, in tal' occasione sostituiremo altra persona di detti Cappellani a nostro arbitrio, ne doverà in ciò altri ingerirsi, ed ingerendosi per ciascuna volta incorrerà nella pena di ducati dieci applicati a detta Cappella da pagarsi la metà dal Tesoriere, che farà tal sostituzione, e l' altra metà da quello sarà sostituito, ò che senza ordine nostro farà tal funzione, ancorchè non fosse dal Tesoriere sostituito.

Nono. Acciò s' osservi il decoro di detto santo luogo, con tanta spesa nella nostra Fedelissima Città fondato, espressamente ordiniamo, che li Molto Reverendi Tesoriere, e Cappellani, e Sacrista, ne ciascheduno di loro, ne per se, ne per interposta persona ardisca di chiedere elemosina in nome di detta Cappella di denari, suppellettili, oglio, cere, e qualsivoglia altra cosa, ne sotto pretesto di solito, o altro qualsivoglia colore, a persona alcuna di qualunque grado, e condizione sotto pena di scudi 28. per ciascuna contravenzione applicandi a detta Cappella, alla quale parimente s'acquisti tutto quello che con tale dimanda fosse stato dato.

Decimo. Espressamente ordiniamo, che nessuno di detti Molto Reverendi Tesoriere, e Cappellani possano ingerirsi nell' oblazioni, che spontaneamente saranno fatte a detta Cappella di denari, cera, o qualsivoglia altra cosa, ne le Messe votive, o altre elemosine fatte, e faciende, ne quello ò in tutto, ò in parte a se stessi, ò ad altri applicare sotto qualsivoglia pretesto,

testo, ma quelle si debbano consegnare al Sacrista, quale ne debba fare distinta nota, e nell' immediata seguente Congregazione darne conto a Noi, a' quali in vigore di detta Bolla spetta l'assoluta, & omnimoda amministrazione, e governo; acciò disponiamo, come sarà conveniente, ed opportuno, ne possano pigliare, nè applicarsi le torcie, e candele etiam residui d' esse, ò siano comprate del peculio del Tesoro, ò d'altre offerte, ma quelle debbano conservarsi dal Sacrista sotto chiave tenuta da lui, dandone conto à Noi, acciocchè quando sarà fatto cumulo d' esse possano cambiarsi con le torcie, e candele nuove in servizio, ed utile di detto Tesoro, come sarà più opportuno intieramente, e senza niuna diminuzione, e questo s' intenda ancora dell' oblazioni, che si faranno a dette Sagre Reliquie, quando saranno esposte fuor del Tesoro nell' Altare maggiore del Domo, ò in altri luoghi, giacchè tutte spettano all' istesso Tesoro sotto la medesima pena di ducati 25. d' applicarsi alla Cappella predetta per ciascuna contravenzione, e per ogni uno d' essi, quale contraverrà, & anco che sotto pena d' espulsione del Sacrista, quale non dasse notizia, e conto delle cose predette, ò non le conservasse come stà in questo capo ordinato.

Undecimo. Al Sacrista, quale sarà pro tempore eletto, seu eligendo per essi Deputati a nuto amovibile, sia obligato assistere continuamente ogni mattina alla Sacristia, e aver pensiero, che le Messe escano a tempo, e ordinatamente, e abbia cura del libro dove si doveranno scrivere ogni mattina li molto RR. Tesoriere, e Cappellani, quali celebrano, non facendo scrivere in esso quello, che non celebrarà in detta Cappella, come si e detto nel c.5. e che li Chierici assistano, e faccino il servizio in detta Cappella puntualmente con decoro, e polizia facci parare l' Altari conforme il Rito Ecclesiastico. Averà cura de paramenti, e altre suppellettili di detta Cappella, e che siano politi, ben conservati, e custoditi, e si conservino le cere, oglio, vino, e altre cose necessarie al culto Divino, tenendole chiavi di detta Cappella, Sacristia, e Stipi, o Casse, seu officine, dove si conserveranno le cose predette, dando del tutto conto ad essi Deputati, a quali darà parte d'ogni difficolta, che occorresse in tal carica, e se vedrà qualche inconveniente, lo communichi a quelli, acciò provedano opportunamente sotto pena di espulsione.

Duodecimo. Si è stabilito, che li quatro Chierici ordinarj di detta Cappella a nuto amovibili, debbano servire al detto Tesoro con assistenza, decoro, e modestia conveniente ad un tanto luogo, senza partirsi la mattina, o in altri tempi necessarii, e fare tutto il servizio, che bisognerà in detta Cappella con puntualità, conforme sarà ordinato da essi Deputati, e dal R. Sacrista, alli quali doveranno esattamente obedire, e non ad altro, portando però ogni riverenza al molto RR. Tesoriere, e Cappellani, quali con essi non doveranno per altro ingerirsi, e acciochè attendano i detti Chierici al servizio, che li conviene, il R. Sacrista debba puntare s' alcuno d' essi manca, e egli esiga l'assignamento, che tengano dalla Città separatamente da quello del Tesoriere, o Cappellani, acciò con saputa, e ordine nostro possa dividersi frà Chierici, che serviranno, e in caso di contravenzione la pena sarà d'essere licenziati dal servizio della predetta Cappella.

Finalmente dicemo, che li predetti capi, ordini, e statuti, e ciascuno d' essi, e quanto in quello si contiene dopo che saranno approvati da Superiori, inviolabilmente s' osservino sotto dette pene pecuniarie, e censure, da quelli declarande, & apponende, e così concludemo, dicemo, e stabiliamo per adesso, con riserva espressa di mutare, aggiungere, e fare altri Capi, e stabilimenti tante volte, quante bisognerà secondo l' opportunità del tempo, occasioni, e bisogni, che giornalmente occorreranno, in vigore della detta potestà dataci in dette Bolle Pontificie con l'approvazione in quelle ordinate, tutto per servizio di Dio, e del nostro Glorioso Protettore, ed altri Santi, e per il buon governo di detta Sagra Cappella, con dichiarazione, che le suddette pene in caso di contravenzione debbano ritenersi a beneficio di detta Cappella da quello, che questa Città paga a detti Molto Reverendi Tesoriere, e Cappellani ogni mese per la loro dote con certificatoria facienda per essi Deputati.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes præinserta statuta, & ordinationes pro firmiori illorum subsistentia, apostolicæ confirmationis nostræ præsidio roborari summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, præinserta statuta, & ordinationes, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa quæcumque, auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, pœnasque in eis contentas in transgressores exequutioni demandari præcipimus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decreti inserti... mus & confirm.

§ 3. Decernentes eadem statuta, & ordina-

dinationes, necnon præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quatenus opus sit dictæ Cappellæ, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Feb. 1661. An.VI.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Febr. 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXXXIV.

Jubilæum universale ad implorandam Divinam opem contra Turcas.

ALEXANDER PAPA VII.

Universis Christifidelibus præsentes literas Inspecturis salutem, & Apost. benedictionem.

Exordium.

EX quo humilitatem nostram in excelsa Sedis Apost. specula collocavit Altissimus, nihil quidem (quantum divina bonitas dedit) prætermisimus, quo immanem Turcarum Tyranni Ditiones Reipublicæ Venetorum sævissimo bello jamdudum infestantis ferociam retunderemus. Nunc vero cum idem Tyrannus expugnata contra fidem publicam Arce Varadini, quæ erat validissimum Hungarici Regni propugnaculum, impetum in citeriores Provincias ingenii apparatu meditari, & adornare, miserrimasque clades universæ Reipublicæ Christianæ minitari videtur, Pontificia solicitudo nostra ad opponendum nos tamquam murum pro domo Dei ardentiori zelo stimulatum. Et quamvis omnia humanæ industriæ, opisque consilia, & auxilia alacri studio pro viribus expromere, & procurare non desistamus, omnem tamen spem in Domino collocamus: confidentes si deposita per veram pœnitentiam sarcina peccatorum, immensam ejus misericordiam unanimes imploremus, auctisque per eleemosynas, & jejunia viribus orationis, ad eum supplici, concordique voce clamemus, fore ut obliviscatur iniquitatum nostrarum, quibus ejus iram provocavimus, & Christianæ Relig. hostium vires conterat potentia virtutis suæ. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Supplicatio.

§.1. Hoc autem ut majori fructu, ferventiorique spiritus ardore peragatur, ex veteri Romanæ Ecclesiæ omnium matris, & magistræ more ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores Nos constituit Deus, in præsentibus necessitatibus proferre, & largissima manu erogare decrevimus. Itaque ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, tam in alma Urbe nostra, quam extra ubilibet locorum constitutos Apostolica auctoritate paterne requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ Fidem Catholicam protegere, & defendere, illiusque hostium conatus, & vires reprimere, & conterere; Principum Christianorum pacem, & concordiam conservare; eorumque corda illuminare; & vires ad Christiani nominis tutelam, & exaltationem unire, augere, & roborare, atque omnium nostrum piis conatibus opitulari dignetur.

Jubilæum statuit cum indulgentiis consuetis.

§.2. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe degentibus, qui S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris ejusdem Urbis Ecclesias, seu Basilicas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbatho alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, SSmum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam prout unicuique suggeret devotio, vel possibilitas, erogaverint.

§.3. Cæteris vero extra Urbem ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta Feria, ac Sab-

Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem nostri Prædecessores concedere consueverunt, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

§.4. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant.

Navigantibus regularibus, captivis, aliisque impeditis a visitatione Ecclesiarum, Confessarius, hæc in alia pietatis opera commutare possit.

§.5. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis, quam Ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Omnibus utriusque sexus facultatem concedit sibi eligendi quemcumque Confessarium qui ab omni peccato absolvere posse vult.

§.6. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus, tam laicis, quam Ecclesiasticis, secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe prædicta, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumq; Presbyterum Confessariū, tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant.

§.7. Et insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusd. Confessarii arbitrio injungendis.

§.8. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel illis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint; illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent, ne alias ulterius præsentium literarum exequutio protrahatur.

§.9. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi; etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pont. pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant: necnon Regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.10. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut

ut earumdem præsentium transumptis, vel
Transumptorum fides. exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides adhibeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 2. Mar. 1661. An. VI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Martii 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXXXV.

Indictio sex Decimarum super fructibus omnium Ecclesiasticorum Beneficiorum, & Pensionum in universa Italia, & Insulis Italiæ adjacentibus.

Vide ad Const. 354. *Urbani VIII.* Suprema dispositione, *Tom.* 6. *Par.* 1. *Fol.* 252. *in qua consimilem indictionem sex Decimarum inveniens.*

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. CUM Divina, æternaque illius providentia, cujus nutu universa, ac singula in hac Mundi machina reguntur, Nos, impari licet merito, ad eminentem apostolicæ dignitatis speculam clementissime evexerit, ea inter nostras præcipua, maximaque solicitudines animo obversatur, quæ potissimum totius Christiani Orbis discriminibus antevertendis incumbit.

Motivi. §.1. Hinc factum est, ut clarissime Venetorum Reipublicæ varia per tot annos fortuna Barbarorum impetus tam Mari, quam Terra strenue sustinenti ab initio Pontificatus Nostri, præter expensas in Triremium nostrarum classe singulis quibusque annis in Ægeum Mare traiicere jussa instruenda erogatas, præterque auxiliares copias jamdudum in Illyrium transmissas, indulgentissime etiam ecclesiasticas super ejus dominii Clerum sex Decimas, seu subsidia ad summam centum millium aureorum annuatim per sexennium ascendentes, seu ascendentia, ultra emolumenta, ac bona Conventuum ibidem suppressorum, concesserimus.

§.2. Verum quia ab Infidelibus nondum armis temperatur, sed eorum exercitus nuper Transilvaniam adorti, Varadino, aliisque Oppidis expugnatis audaciores circumferuntur, & majora in inclytæ Germaniæ, ac Dalmatiæ, & utrique confinium Provinciarum populos immaniori militum vi moliuntur. Nos ideo paterna commiseratione commoti multis antea præcibus effusis, ut exurgente Domino dissipentur inimici ejus, Charissimo in Christo filio nostro Leopoldo Romanorum Regi Illustri in Imperatorem electo enixe a nobis pro Hungarici Regni sui, quod undique impiorum Arma circumsonant, defensione, consilium, opes, & auxilium flagitanti suppetias ferre decrevimus.

§.3. At cum Cameræ Nostræ Apostolicæ proventus expensis, quas prædiximus, aliisque summopere attritos in præteritæ famis, ac pestis necessitatem, subditorum commodo adeo pietas profuderit, ut ad ea præsidia comparanda, quæ Turcarum bello non solum repellendo, verum etiam illis inferendo, amissisque Deo adjuvante recuperandis, impares reperiantur cogimur exemplo Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum ad aliarum Ecclesiarum peculium, quæ Domini patrimonia sunt, animum convertere, speramusque in causa, quæ Dei est, & pro qua sanguinem effundere nemo fidelium recusaret, omnes libentissime ac certatim contributuros.

§.4. Habita igitur super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem consilio, & assensu indicimus, & imponimus sex integras Decimas omnium, & quorumcumque fructuum, redditum, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium, & quarumcumque Patriarchalium, & Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, personatuum, administrationum, & Officiorum Cappellaniarum, cæterorumque Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Jurispatronatus Laicorum tam ex privilegio, quam ex fundatione, & dotatione, vel alio quocumque titulo, cum cura, & sine cura secularium, & Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensium, Cistercensium, Præmostratensium, Sancti Basilii, & qui proprietates, redditusque certos, ex privilegio, vel alias possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon Cassinensium, alias S. Justinæ de Padua, Carthusientium, Lateranensium, Montis Oliveti, Camaldulensium, S. Salvatoris, Vallisumbrosæ, S. Georgi in Alga, Cælestinorum, Cistercensium in Longobardia, Sancti Hieronymi, Sylvestrinorum, ac Clericorum Regularium Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium, exemptorum, & non exemptorum, & insuper Hospitalium etiam Pauperum Hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra Infirmorum necessitates, & alia pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium, necnon B. Mariæ Teutonicorum, S. Lazari de Altopassu, Templi Dominici, & aliarum Militiarum in universa Italia, & In-

Decretum præinsertum confirmat.

Insulis Italiæ adjacentibus consistentium secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum præfatorum, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica fuerit concordatum S. R. E. Cardinalibus, qui præteritis annis, tam prompta, & spontanea liberalitate, præsertim in duorum navigiorum expeditione opulentum subsidium Reipublicæ prædictæ præstiterunt, ob assiduos, magnosque labores, quos Ecclesiæ universali impendunt, & gravissima, quæ tuendæ dignitatis causa substinent onera, ac dominio præfatæ Reipublicæ Venetæ, & Militia Sancti Joannis Hierosolymitani ob causas antedictas, & bella, quæ pro sua, & Christiani Orbis tutela adversus Turcas præfatos semper gerunt, pro quibus alienis continuo indigent auxiliis, dumtaxat exceptis.

Impositio. §.5. Ac etiam indicimus, & imponimus sex similes Decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sive earum loco fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi (statu Veneto, ut præfertur, excepto) in favorem quorumcumque (non tamen Cardinalium prædictorum) reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, aut reservatorum, & assignatorum, vel translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandorum, & assignandorum, vel transferendorum percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiæ, conditionis personis infrascripto decennio durante præfata quocumque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, necnon Œconomis, Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia hujusmodi jura ex quacumque causa sibi, apostolica auctoritate in toto, vel in parte reservata, seu translata habentibus, & habituris Secularibus, & Regularibus, Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium (non tamen S. Joannis Hierosolymitani) præfatorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & Locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua suffultis.

Tempus, quo dicta impositio solvenda est. §.6. Quas omnes Decimas prædictas solvere obligatos, ut præfertur, easdem infra decennium proximum decem æqualibus solutionibus, pro prima videlicet intra proximum diem festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli mensis Septembris proxime futuri, & successive pro reliquis novem solutionibus, singulo quoque anno ratam partem intra festum hujusmodi cujuslibet anni immediate usque ad totalem solutionem in Cam. prædictæ, & illius Depositario Gen. ad id constituendo omnino volumus persolvisse. Ejusdem vero Depositarii munus erit sedulo curare, ut quicquid pecuniarum ex Decimis colligetur, id diligenter, ac fideliter asservetur de mandato nostro speciali in præfatos usus dumtaxat, nec alias erogandum.

Contravenientium pœna. §.7. Quicumque vero Decimas hujusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, ut præfertur, ineundam, sive in terminis constituendis non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem, si Ecclesiarum Antistites fuerint, suspendimus a divinis, Capitula vero, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas Antistite, inferiores excommunicationis sententia innodamus.

§.8. Cæterum ad prædictas Decimas consequendas præcipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis, & locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & jurium prædictorum etiam hujusmodi pensionibus oneratorum, & utrasque Decimas nomine Dominorum, ac pensionariorum ad computum suæ quisque locationis, omnibus vero possessoribus, & usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus, aliaque prædicta solvere debentibus, ut ipsi etiam Decimas pensionum hujusmodi nomine pensionariorum Cameræ, & Depositario prædictis integre persolvant. Clausulæ. Decernentes Decimas, fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum jurium prædictorum secundum verum valorem annuum, vel saltem juxta taxam, de qua cum Venerabili Fratre nostro Antonio Episcopo Tusculanensi Cardinale Antonio Barberino nuncupato S.R.E. Camerario, & dilecto filio nostro, & Cameræ prædictæ Thesaurario generali (quibus etiam Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum prædictorum fructus hactenus non taxatos taxandi, & taxam in libris Cameræ Apostolicæ describi faciendi, necnon taxas antiquas, si opus fuerit, juxta verum fructuum valorem, potestatem, & auctoritatem plenarie concedimus, & impertimur) ut præfertur, concordaverint, alias vero pensionum Decimas ad rationem decem pro centenario præstari debere, & secundum ea prædictos omnes in solidum cogendos esse, ipsarumque Decimarum Procuratores a quibus libuerit integre exigendi, optionem, facultatemque habere, neque ullas immunitates, & exemptiones etiam ex causa resignationis, cessionis juris, concordiæ, conventionis, aut quacumque alia gravi, & onerosa occasione, quocumque modo, & sub quibuscumque verborum expressionibus, etiam a Decimis, seu quibusvis aliis impositionibus,

bus, etiam pro expeditione, tam offensiva, quam defensiva contra Turcas, & alios Infideles, & Hæreticos, seu ex alia quavis, quantumvis legitima, & rationabili, ac necessaria, & de necessitate exprimenda causa, etiam in favorem Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, seu aliorum quorumcumque Principum, ac pro eorum, & Sedis Apostolicæ necessitatibus, seu alias canonice, vel de facto impositis, & pro tempore imponendis, etiam per Nos concessas, & interim concedendas, integram solutionem hujusmodi minuere, vel impedire, neque possessores, usufructuarios, aut alios pensiones, seu fructus hujusmodi solvere debentes, etiamsi ipsi juri, & actioni petendæ, vel detrahendæ, aut retinendæ portionis, & ratæ partis pensionarios contingentis jurejurando renunciaverint, atque ex forma dictæ Cameræ amplissima caverint modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi posse, sed pensionarios, & fructuum hujusmodi reservatarios ad Decimarum prædictarum onus subeundum omnino teneri: Omnes vero confessiones, ac quietantias receptionis Decimarum a Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ, tam conductoribus, censuariis, & locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus solvere debentibus, nomine pensionariorum faciendas perinde valere, atque in judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent.

§.9. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam hujusmodi, quam ad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius etiam adveniente successore continuare debere: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Collectores decimarum decernit.

§.10. Ut autem omnia prædicta, sicut causa urgens postulat, diligenter, & fideliter exequutioni demandentur, Antonium Cardinalem, & Episcopum, ac Camerarium, & Thesaurarium prædictos insolidum quorum integritas, fides, atque experientia jam pridem Nobis perspecta est, & nota devotio, generales omnium Decimarum prædictarum Collectores in Italia, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi, cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, jurisdictionibus, ac juribus, quæ omnes alii antehac hujusmodi Collectores habuerunt, auctoritate prædicta, tenore præsentium constituimus, & deputamus, eisque plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Cameræ prædictæ nomine procurandi prædictos omnes, tam conjunctim, quam divisim ad illarum integram solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum monendi, & requirendi, non parentes, fraudantes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas prædictas incidisse servata forma Concilii Tridentini declarandi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorũ etiã manu Regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionẽ retinendi, contradictores, perturbatores, & rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte quovis quæsito colore præstantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & amovendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumq; brachii secularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, super irregularitate forsan incursa, dummodo tamen in contemptum clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omnino restituendi.

§.11. Præterea Collectores, & Subcollectores viros utique providos, ac fide, & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quotquot viderint expedire cum simili, vel limitata, non tamen absolvendi potestate constituendi, eumque, vel eos eorum arbitrio revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi quotiescumque eis videbitur, ac ab eis, eorumque hæredibus, & Successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes, & suspectos per se, vel alium seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcumq; circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum, ea tamen conditione adjecta, quod Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem de eorum personis, ut præfertur, faciendam nullo modo censeantur exempti a solutione sex Decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentarum solvere debebunt.

Collectores a decimarum solutione non absolvit.

Contrariis derogat.

§.12. Non obstantibus piæ mem. præsertim Pauli III. ac Gregorii XIII. quibus inter

ter alia cavetur, quod Clerici Regulares Societatis Jesu a solutione Decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac Pii V. duodecim Congregationibus, præfatis ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio generalii edita de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & Locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, necnon quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore juris clausis, immunitatibus, Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus, Regularibus locis, Capitulis, dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis, tam Secularibus, quam Regularibus generaliter, vel specialiter sub quacumque forma, & verborum expressione ab eadem Sede etiam ex causa concordiæ, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut alias ex qualibet alia causa, etiam hinc non expressa, & necessario exprimenda concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 13. Quodque si Prælatis, & personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & Locis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim a præfata sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, necnon personis, earumque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, ac Locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere, vel in specie quandocumque concessis, confirmatis, & innovatis, etiam solutionem Decimarum alias, quam secundum antiquam taxam, & nisi in universali Decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, Juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas, quoad præmissa contra quecumque locum habere similiter declaramus; aliisque indultis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumq; totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis: quæ omnia contra premissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint, factis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Insuper in percipiendis Decimis prædictis Constitutionem recol. mem. Clementis Papæ V. similiter Prædecessoris nostri in Concilio Viennensi editam, quod Decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, cæteraq; Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causa pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plura quanticumque valoris beneficia Ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens pro litera, & sigillo quietantiæ universalis, si illam habere voluerit, ultra unum Carolenum conficientem quatrenos trigintaseptem monetæ Romanæ, solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam prætextu cambii uspiam compellatur.

§. 15. Cæterum volentes illos, quos Dei timor a malo non revocat, saltem formidine pœnæ, & publica disciplina compescere, omnes, & singulos cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis decimis aliquid usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentarum, ut præfertur, retinere, aut in illas exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem aliquam committere malitiose præsumpserint interdicimus a divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda sententias, censuras, & pœnas incurrere volumus ipso facto, itaut ab eadem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, aut in mortis articulo absolutionis beneficium nequeant obtinere.

§. 16. Quia vero difficile nimis esset præsentes literas ad singula quæque loca, & quocumque illis opus erit perferre, volumus, ut illarum exemplis etiam impressis & Notarii publici manu, ac Antonii Episcopi, & Cardinalis, ac Camerarii præfati, aut Thesaurarii, seu alterius ab eisdem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiarum, ejusve Curiæ sigillo obsignatis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel osten-

ostensæ. Ut autem præsentes ad eorum notitiam deducantur, eas valvis Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut ii quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§.17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indictionum, & impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, voluntatis, & præcepti nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 9. Mar. 1661. An. VI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem an. Incarnationis Dom. 1661. 9. Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno VI.

✠ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†
† Ego Franciscus Episcopus Portuensis Card. Barberinus S. R. E. Vice-Canc.
† Ego Bernardinus Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada.
† Ego Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sacchettus.
† Ego Martius Episcopus Albanensis Cardinalis Ginettus.
†
†
†
† Ego Hieronymus tituli S. Laurentii in Lucina Cardinals Columna.
† Ego Joannes Baptista tit. S. Mariæ Transtyberim Card. Pallottus.
†
† Ego Uldericus tit. S. Petri ad Vincula Card. Carpineus.
† Ego M. Antonius tit. S. Mariæ de Pace Card. Franciottus,
† Ego Stephanus tit. S. Laurentii in pane, & perna Card. Duratius.
†
† Ego Fr. Vincentius Maculanus tituli S. Clementis Cardinalis S. Clementis.
†
†
† Ego Hieronymus tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio Card. Grimaldus.
†
† Ego Angelus tit. SS. Quirici, & Julitæ Cardinalis Georius.
† Ego Nicolaus tit. S. Mariæ Angelorum Card. Ludovisius Major Pœnitent.
†
† Ego Feder. tit. S. Anastasiæ Card. Sfortia.
† Ego Bened. tit. S. Onufrii Card. Odesch.
†
† Ego Camillus tit. S. Petri in Monte Aureo Card. Astallius.
†
† Ego Aloy. tit. S. Alexii Card. Homodeus.
†
† Ego Jacobus tit. S. Mariæ Transpontinæ Cardinalis Corradus.
† Ego Laurentius tituli S. Chrisogoni Cardinalis Imperialis.
† Ego Gibertus tit. S. Joannis, & Pauli Card. Borromeus.
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Cardinalis Sancta Crucius.
† Ego Baccius tituli SS. Nerei, & Achillei Cardinalis Aldobrandinus.
† Ego Joannes Baptista Spada tituli Sancti Marcelli Card. S. Susannæ.
† Ego Franciscus tituli Sanctæ Mariæ in Via Cardinalis Albitius.
† Ego Octavius tituli Sanctæ Cœciliæ Cardinalis de Aquaviva.
† Ego Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo Cardinalis Chisius.
†
†
† Ego Julius tituli Sancti Sixti Cardinalis Rospigliosius.
† Ego Nicolaus tituli Sancti Eusebii Cardinalis a Balneo.
†
†
† Ego Franciscus tituli Sancti Joannis ante Portam Latinam Card. Paulutius.
†
† Ego Sfortia tituli Sancti Salvatoris in Laureo Cardinalis Pallavicinus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Virginius Sanctæ Mariæ in Via-Lata Diaconus Cardinalis Ursinus.
† Ego Rainaldus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Estensis.
†
† Ego Paulus Emilius Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Rondininus.
†
† Ego Laurentius Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Raggius.
†
†
† Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Barberinus.
† Ego Carolus Sanctæ Mariæ in Domnica Diaconus Cardinalis Pius.
†
† Ego Decius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Azzolinus.
†
†
† Ego Franciscus Maria SS. Viti, & Modesti Diaconus Cardinalis Mancinus.
†
†

Decla-

CCCXXXVI.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Declaratio quod Abbates, Priores, Guardiani, & alii Superiores parvorum Conventuum non habentium præſcriptum numerum Religioſorum ad Synodum Diœceſanam accedere teneantur, ſi ad eam vocentur ab Epiſcopo uti Sedis Apoſtolicæ Delegato.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum præinſertum confirmatur.

§. 1. CUM (ſicut accepimus) poſito Decreto felic. recor. Innocentii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri incipien. *Ut in parvis &c.* die 10. Februarii 1654. edito, quo parvi Conventus non habentes præſcriptum numerum Religioſorum viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tanquam ſuper hoc a Sede Apoſtolica delegati plene in omnibus ſubiiciuntur, dubitetur, an Abbates, Priores, Guardiani, & alii prædictorum Conventuum Superiores ab Epiſcopo vocati ad Diœceſanam Synodum accedere teneantur? Nos ejuſmodi dubium tollere cupientes, prædictos Abbates, Priores, Guardianos, & alios parvorum Conventuum hujuſmodi Superiores ad Synodum Diœceſanam accedere teneri, ſi ad eam ab Epiſcopo, uti Sedis Apoſtolicæ delegato, vocentur auctoritate apoſtolica tenore præſentium declaramus. Et ita ab omnibus, ad quos pertinet, ſervari præcipimus.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 30. Maii 1661. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Maii 1661. Pontificatus noſtri Anno VI.

CCCXXXVII.

Caſſatio electionis Margarithi Guanguelin in Rectorem Monaſteriorum Carmelitanarum Excalceatarum Regni Franciæ, cum alterius Rectoris deputatione, aliiſque Ordinationibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœm.

§. 1. CUM (ſicut accepimus) defuncto nuper Jacobo Carton., dum vixit, uno ex tribus Rectoribus, & Adminiſtratoribus Monaſteriorum Monialium Carmelitanarum excalceatarum in Regno Franciæ conſiſtentium, dilecti filii Carolus de Gamache, & Martinus Grandiu ſuperſtites eorumdem Monaſteriorum Rectores, & Adminiſtratores dilectum pariter filium Margarithum Guanguelin. Presbyterum in tertium Rectorem, & Adminiſtratorem Monaſteriorum hujuſmodi loco prædicti Jacobi defuncti elegerint, & occaſione abſentiæ a Civitate Pariſien. Venerabilis Fratris Cœlii Archiepiſcopi Cæſareæ noſtri, & Apoſtolicæ Sedis apud Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum Nuncii electionem hujuſmodi a quodam Vicario Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Pariſien. in ſpiritualibus generali confirmari curaverunt, ſeu idem Margarithus curaverit; ipſeque Margarithus ſine ejuſdem Cœlii Archiepiſcopi Nuncii conſenſu munus tertii Rectoris, & Adminiſtratoris dictorum Monaſteriorum aſſumpſerit: Nos qui eaſdem Moniales uti peculiares noſtras, & hujus Sanctæ Sedis filias in viſceribus gerimus paternæ charitatis, paſtorali ſollicitudine, & providentia præcavere cupientes, ne quæ præmiſſis, ſeu illorum occaſione navatur materia contentionum, unde ipſarum Monialium religioſa tranquillitas perturbetur; aliiſque juſtis, & rationalibus ex cauſis Nobis notis adducti, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, electionem dicti Margarithi in tertium Rectorem, & Adminiſtratorem præfatorum Monaſteriorum a memoratis Carolo de Gamache, & Martino Grandiu, necnon ejuſdem electionis confirmationem a præfato Vicario generali, ſicut præmittitur, reſpective factas, cum inde ſequutis quibuſcumque tenore præſentium caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac caſſas, irritas, & nullas, viribuſque, & effectu vacuas eſſe, & perpetuo fore decernimus, & declramus. Diſtricte inhibentes præfato Cœlio Archiepiſcopo Nuncio ne dicti Margarithi electionem hujuſmodi confirmet, ullamve deſuper conſenſum præſtet, omnibus vero, & ſingulis Monialibus prædictis, earumque Prioriſſis, & Superioriſſis quibuslibet; ne ipſum Margarithum in earum Re-

Decret. firmat.

Rectorem, & Administratorem, seu Superiorem ullatenus admittant, seu recognoscant, ullamve ei tanquam tale obedientiam, vel reverentiam exhibeant, ipsi autem Margaritho sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per eum in casum contraventionis ipso facto incurrenda apostolica auctoritate præcipientes, & prohibentes, ne in administratione, regimine, & gubernio præfatorum Monasteriorum, aut alicujus illorum sese immiscere, seu ingerere, aut uti Rectorem, & Administratorem Monasteriorum hujusmodi, seu alicujus eorum publice, vel privatim, tam conjunctim, quam divisim se gerere ullo modo audeat, vel præsumat. Præterea prospero, felicique eorumdem Monasteriorum regimini, & gubernio quantum Nobis ex alto conceditur providere volentes, ac de dilecti filii Renati Almeras Præpositi Generalis Congregationis Presbyterorum secularium Missionis nuncupat. charitate, prudentia, dexteritate, industria, & experientia, ac spiritualium providentia, temporaliumque circumspectione, & Religionis zelo plene in Domino confisi, eundem Renatum in tertium Rectorem Administratorem memoratorum Monasteriorum Monialium in locum prædicti Jacobi defuncti, cum omnibus, & singulis facultatibus, quæ similibus Rectoribus, & Administratoribus a fel.rec. Clemente Papa VIII. Prędecessore nostro per suas anno Incarnationis Dominicæ 1603. Idibus Novembris super erectione primi in Regno Franciæ prædicto memoratarum Monialium Carmelitanarum excalceatarum Monasterii sub plumbo expeditas literas, quarum tenorem præsentibus pro pleno, & sufficienrer expresso haberi volumus, concessæ fuerunt, salva tamen subsequutarum Literarum Apostolicarum, & præcipue nostrarum in simili forma Brevis die 2. Octobris 1659., & die 13. Januarii proxime præteriti super controversiis inter Visitatores, ac Rectores, & Administratores eorumdem Monasteriorum vertentibus respective emanatarum in omnibus, & per omnia dispositione, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus constituimus, & deputamus. Ad hæc nullam Monialem, quæ præfatis nostris in forma Brevis literis inobediens sit, vel fuerit, in Priorissam, seu alterius nominis Superiorissam cujuscumque ex præfatis Monasteriis eligi, seu assumi, aut prius electam, seu assumptam in ejusmodi Priorissæ, seu Superiorissæ munere confirmari posse decernimus pariter, ac statuimus, & ordinamus. Ac præmissa omnia, & singula a præfatis Visitatoribus, necnon Rectoribus, & Administratoribus, ac Priorissis, & Superiorissis, & Monialibus quibuscumque Monasteriorum hujusmodi sub inobedientiæ, & privationis Officiorum pœnis, si ipsi contravenerint absque alia declaratione incurrendis inviolabiliter, & inconcusse observari mandamus, & præcipimus.

In casu contraventionis excommunicatione puniatur.

Clem. VIII. Decretum confirmat.

§.2. Decernentes quoque easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod præfati Carolus, & Martinus, ac Margarithus, aliique quilibet etiam speciali, & individua mentione digni, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis fuerint, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, sive causæ, propter quas ipse præsentes emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juxta, pia, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite atiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali, ac specificam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, limitari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis danda fides.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 11. Apr. 1661. An.VI.

CCCXXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Magno Magistro, & Consilio Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani concedendi Prioribus Linguæ Franciæ ejusdem Hospitalis licentiam permutandi jurisdictiones.

Dilectis filiis Magno Magistro, & Consilio Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Procuratores Linguæ Franciæ istius Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quod in Præceptoria, seu Commenda de Chenus nuncupata Prioratus Franciæ dicti Hospitalis reperitur quoddam Feudum la Battaglia nuncupatum, quod si eidem Præceptoriæ, seu Commendæ cum suis jurisdictionibus, censibus, & aliis juribus uniretur, id in evidentissimam Præceptoriæ, seu Commendæ hujusmodi utilitatem cederet, præcipue ratione jurisdictionis, quam Possessores dicti Feudi in multis locis ipsius Præceptoriæ, seu Commendæ exercent.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prævia informatione per Commissarios a Conventu Hospitalis prædicti deputatos capta, habitaque deliberatione Capituli Provincialis dicti Prioratus, exponentes ipsi cum memoratis possessoribus dicti Feudi de facienda jurisdictionum, censuum, aliorumque jurium prædictorum cum aliis jurisdictionibus, censibus, & juribus ad membrum de Clici nuncupatum a præfato Prioratu Franciæ dependens spectantibus, modicamque eidem Prioratui utilitatem reddentibus permutatione, reservato tamen nostro, & hujus Sanctæ Sedis, vestroque beneplacito, convenerint, ita scilicet, ut jurisdictiones, census, & alia jura dicti Feudi præfatæ Præceptoriæ, seu Commendæ, illiusque Commendatario, seu Præceptori assignentur, cum onere tamen præstandi Priori pro tempore existenti dicti Prioratus Franciæ pensionem annuam in recompensationem jurisdictionum, censuum, & aliorum jurium dicti membri possessoribus Feudi præfati vigore permutationis hujusmodi assignandorum: Nobis propterea dicti Exponentes asserentes præmissa si fiant, in evidentem Linguæ præfatæ cessura esse utilitatem, humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis si tamen, & postquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac præmissis omnibus, & singulis illorum circumstantiis universis prius coram vobis specificatis, de permutatione hujusmodi, quodque illa, si fiat, in evidentem Linguæ præfatæ sit cessura utilitatem vobis conjunctim procedentibus legitime constiterit, super quo conscientiam vestram oneramus, Exponentibus præfatis, ut eamdem permutationem sicut in memorato Capitulo Provinciali Prioratus Franciæ resoluta, & stabilita fuit, facere, aliosque actus, & Instrumenta quæcumque desuper necessaria, seu opportuna celebrare, & exequi libere, & licite possint, & valeant, licentiam auctoritate nostra apostolica concedendi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

A censuris absolvit.

Fac. conced. in casu.

§.3. Non obstantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Hospitalis, Linguæ, & Prioratus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumq;

Contrar. derogat.

§.4. Volumus autem, ut si permutatio hujusmodi vigore præsentium fiat, jurisdictiones, census, & alia jura secundodicta pro quacumque evictione jurisdictionum, censuum, & aliorum jurium primodictorum in eventum quo hæc quovis modo evinci contingat, semper obligata, & in specie hypothecata remaneant.

Clausula.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 22. Apr. 1661. An. VII.

CCCXXXIX.

Ex Regest. Secret. Brev.

Concessio Privilegiorum prælationis, & non appellationis suspensivæ usque ad Summam 250. Monetæ Universitati, & Hominib. Mercatorum Fundacalium de Urbe pro suarum pretio Mercium, seu rerum Fundacalium, quæ ad usum Indumentorum inserviunt dumtaxat juxta formam Brevis Urbani VIII. Mercatoribus de Fundaco concessi, uti illis fruebantur, antequam eorum Universitas ab

ab Universitate Mercatorum de Fundaco separaretur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Universitas, & Consules Mercatorum Fundacalium Ecclesiæ Sanctorum Sebastiani, & Valentini hujus nostræ Almæ Urbis, quod ipsi eorum artis Merces, & res ad indumentorum usum variis, & diversis personis pro ipsis Emptoribus, eorumque Uxoribus, Filiis, & Familis, habita fide de pretio, ut plurimum vendere sunt soliti, sed quando pro satisfactione instant, vel per anteriores, seu potiores Creditores excluduntur, vel per dilatorias exceptiones, aut appellationes tamdiu defatigantur, ut non sine ingenti eorum jactura creditum cogantur amittere.

Motiva. §.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat alias per felic. recordat. Urbanum Papam VIII. Prædecessorem nostrum Universitati, & Hominibus Mercatoribus de Fundaco, & Mercantia nuncupat. dictæ Urbis, eorumque hæredibus, & Successoribus inter cætera fuerit indultum, quod pro Mercium, ac rerum ad ipsorum artem spectantium pretio post Pistores, & Aromatarios ejusdem Urbis omnibus, & singulis aliis quibusvis defuncti, licet anterioribus, aut potioribus Creditoribus etiam quaslibet obligationes Camerales, & publica Instrumenta etiam juramento, & quavis hypotheca vallata, etiam causa Dotis, & quaslibet alias clausulas, seu cautelas in se continentes habentibus usque ad Summam quinquaginta scutorum Monetæ Romanæ tantum præferantur, & præferri debeant, dummodo quoad Dotes probetur versio in utilitatem Viri, & Uxoris, ac filiorum in communione viventium; Præterea quod in causis eorumdem Mercatorum non esset locus appellationi suspensivæ pro ea pecuniarum dumtaxat summa, pro qua in causis Aromatariorum, & Pistorum prædictorum vigore Indultorum Apostolicorum eis concessorum contra eosdem non datur pariter appellatio suspensiva, prout in quibusdam dicti Urbani Prædecessoris literis die 17. Januarii 1643. desuper in simili forma Brevis expeditis uberius continetur. Cumque his Mercatorum Fundaci privilegiis memoratorum Exponentium Universitas, ejusque homines coram quocumque Judice fuerint usi, durante eorum cum prędictis Fundaci Mercatoribus unione, quæ nuper ad dirimendas varias lites, & dissentiones occasione unionis hujusmodi exortas fuit dissoluta, & divisa perinde acsi illa nunquam unita fuisset, quam unionis dissolutionem, & divisionem Nos per nostras die 22. Decemb. proxime præteriti etiam in forma Brevis expeditas Literas approbavimus. Idcirco ne dissolutione, & resolutione unionis hujusmodi attentis dubitari contingat dictos Exponentes prædictis privilegiis, & indultis uti non posse, Nobis ipsi Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur prædictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat conseqnendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Universitati Exponentium, ac ejus hominibus pro suarum pretio Mercium, seu rerum Fundacalium, quæ ad indumentorum usum inserviunt dumtaxat, ac modo, & forma, & pro iisdem Mercatoribus Fundacalibus uti fruebantur ante præfatam unionis dissolutionem, & divisionem, & non alias prælationis, & non appellationis privilegia ad primodictam summam scutorum quinquaginta monetæ juxta formam prædictarum Urbani Prædecessoris in forma Brevis Literarum, quarum tenorem præsentibus pro plene, & de verbo ad verbum expresso, & inserto haberi volumus auctoritate Apostolica eorumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur. Concedit prout in rub.

Clausulæ. §.3. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalem Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in prędictis Urbani Prędecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris die 6. Maii 1661. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 6. Maii 1661. An. VII.

CCCXL.

Commissio exequutionis quorumdam decretorum pro Provincia SS Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ Archiepiscopis Tolosan., & Burdegalen. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, & Defi-

Definitores Provinciæ Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ, quod alias videlicet anno 1659. per dilectum filium Leonem de Peguillam fratrem, & assertum Procuratorem fratrum Aquitanorum Ordinis, & Provinciæ hujusmodi exposito, quod Fratres Lugdonen. eorumdem Ordinis, & Provinciæ, & præcipue contra modernum Ministrum Provincialem diversa habebant gravamina, propter quæ contra prædictos via juris volebant agere, & causam habere. Nos ad supplicationem dicti Leonis causam, & causas, quam, & quas super præmissis contra dictos adversarios habere, & movere volebat, cum omnibus suis dependen., inciden., emergen., annexis, & connexis, totoque negotio principali Ven. Fratribus Episcopis Agennen., Lectoren., & Montis Albanen., seu alteri ex ipsis commisimus, sed cum postea resciviſsemus, quod Congregatio Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita prætensæ causæ, & causarum, & præcipue negotii principalis præfati cognitionem suscepisse, totumque negotium partibus informantibus dilecto filio nostro Joanne Baptista tituli Sancti Petri ad Vincula ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinale Pallotto nuncupato referente, pluries terminasset, dictam commissionem, tacitis præmissis a Signatura nostra Justitiæ subdole extortam, revocavimus per nostras literas 14. Kal. Decembris 1659. expeditas, mandando Commissario quatenus suas inhibitiones moderaretur, acsi dictæ commissionis literæ non emanassent. His tamen non obstantibus dictus Commissarius nempe Episcopus Agennen., seu ejus Officialis, etiamsi dicta revocatio debite ipsi, seu ipsis significata fuerit, a suis actibus, & processibus noluit desistere, quinimo dictam revocationem suæ præfatæ commissionis sententialiter declaravit subreptitiam, dictum Ministrum Provincialem, Definitoresque jam secundo citavit, minaturque censuras, nisi compareant, in dilectum pariter filium Henricum fratrem dictæ Congregationis Gallicanæ quasi contumacem sententiam tulit, & alia multa fecit in grave damnum, & perturbationem totius dictæ Provinciæ, itaut etiam de ejus mandato Superiores a Definitorio, & Capitulo Provinciali pro Conventibus Aquitanis designati a duobus circiter annis e suis Conventibus exulare cogantur, & dicti Conventus cum Fratribus in ipsis degentibus a jurisdictione Ministri Provincialis, & aliorum Superiorum seditiose eximantur; Imo etiam Ministro Provinciali moderno munere suo fungenti in quibusdam ex iis Conventibus novissime negatus fuerit ingressus contra multa præfatæ Congregationis Cardinalium Decreta, & nostras in simili forma Brevis literas eorumdem Decretorum confirmatorias sub diebus 11. Februarii 1659., & XIV. Kal. Decembris ejusdem anni, ac 9. Januarii 1660. respective emanata, seu emanatas. Quare ipsi Exponentes, ut malis, & scandalis hujusmodi remedium adhibeatur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur.

§.2. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, attentis narratis, inhærendo Decreto emanato sub die 17. Septembris proxime elapsi, ut tandem hujusmodi negotio jam toties agitato finis imponatur, & memoratæ Provinciæ tranquillitas, & pax restituatur, executionem Decretorum Congregationis eorumdem Cardinalium super negotiis dictæ Provinciæ contra præfatos Fratres Aquitanos nuper emanatorum necnon etiam nostrarum in forma Brevis literarum sub diebus 11. Febru. 1659. & XIV. Kal. Decembris ejusdem anni, & 9. Januarii 1660. pro eorum confirmatione desuper edit., denuo auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus, & injungimus Ven. Fratribus Archiepiscopis Tolosano, & Burdegalen., seu alteri ex ipsis, vel iis absentibus, aut impeditis, eorum Officialibus, & Vicariis generalibus, qui juxta illorum formam, & tenores fieri, exequi, & adimpleri mandent, & faciant; Contradictores quoscumque, ac Rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia juris, & facti remedia omni appellatione postposita compescendo. Confirmat decretum.

§.3. Non obstantibus literis prænarratę Commissionis emanat. sub die 12. Augusti 1659. stante illius subsequuta revocatione sub die 18. Novembris ejusdem anni, necnon memorati Commissarii inhibitionibus, dispositionibus, & quibuslibet ordinationibus ejus vigore relaxatis, & peractis, omnibusque aliis præmissis, ac fe: rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, cæterisq; contrariis quibuscumq; Contrariis obst.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Pisc. die 14. Maji 1661. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 14 Maii 1661. An. VII.

Facul-

CCCXLI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Congregationi Generali Societatis Jesu eligendi Vicarium perpetuum cum futura successione in Generalatu.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§. 1. CUM, sicut accepimus, dilectus filius Gosvvinus Nickel Præpositus Generalis Societatis Jesu sentiens, se ob senii gravitatem, & corporis impedimenta non posse amplius tot, ac tantis officii sui laboribus parem esse, & eo animi vigore, quo optaret, Societatis gubernationem administrare, Congregationi generali ejusdem Societatis proposuit, ut Vicarium sibi adjungeret Societati aptum, & convenientem, cum jure futuræ successionis, ipsa vero Congregatio, & si unice optaret, eidem Gosvvino Præposito Generali bene de universa Societate merito, integritatem virium, & plenum regimen, ac diuturnum, tamen cum tam provectæ ætatis infirmitas superari non possit, grato animo propositionem factam acceptavit, & re per biduum Domino diligenter commendata, ac discussa, tandem secretis, iisque concordibus suffragiis decreverint, eligendum esse Vicarium perpetuum, cum jure successionis, & cum universali, ac libero exercitio potestatis: Idque, ut necessitati, rursum, ac forte brevi, convocandæ tot expensis, ac periculis Congregationis generalis, quantum humana consilia ferunt, occurratur. Hinc est quod Nos pro commissa Nobis divinitus pastorali sollicitudine Societatis præfatæ, quæ copiosa virorum pietate, doctrinaque insignium sobole instructa, & ornata, urberes in Ecclesia Dei fructus ad animarum salutem ubique terrarum, divina gratia largiente, in dies profert, utilitati quantum Nobis ex alto conceditur, providere, ac memoratorum Gosvvini Præpositi Generalis, & Congregationis generalis votis paterna benignitate annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine eidem Congregationi generali Vicarium perpetuum cum futura ad ejus favorem in Officio Præpositi Generalis dictæ Societatis quandocumque illud per obitum, cessionem, renunciationem, vel dimissionem memorati Gosvvini Præpositi Generalis, seu alias quomodolibet ex illius persona vacare contigerit, successione, ac cum universali, & libero exercitio potestatis, servatis alias servandis, eligendi plenam, & amplam facultatem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Facultatem concedit, ut in rubr.

Clausulas apponit.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali, specialemque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullatenus posse; Sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 3. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Apostolicis, ac in Conciliis, etiam universalibus, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon dictæ Societatis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Societati, ejusque Præposito Generali, & aliis Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus, in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo

suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Jun. 1661. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Junii 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCXLII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Commissio Episcopo Rhedonen. super publicatione Jubilæi novissime concessi, in locis Fontis Bellausii & Moreti Senonen. Diœcesis.

Ven. Fratri Henrico Episcopo Rhedonen.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§. 1. CUM sicut Charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus Nobis nuper exponi fecit, Nostræ in simili forma Brevis literæ die 2. Mar. proxime præteriti emanatæ, per quas omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui præscripta in eisdem literis peragerent, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Almam Urbem, nostri Prædecessores concedere consueverunt, sub certis modo, & forma ibidem expressis concessimus, & elargiti sumus, in Diœcesi Senonen. publicatæ hactenus non fuerint; cupiatque propterea ipse Ludovicus Rex opportune, ut infra a Nobis indulgeri: Nos ad præclara ejusdem Ludovici Regis in nos & Sedem Apostolicam fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita, necnon eximias, & Christianissimo Rege dignas virtutes, quibus eum largiter insignivit Altissimus paternæ dirigentes considerationis intuitum, piisque ipsius Ludovici Regis votis quantum Nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere cupientes, necnon prefatarum literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso habentes, supplicationibus ejusdem Ludovici Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut supradictarum literarum nostrarum transumptum, seu exemplum in locis Fontis Bellausii, & Moreti dictæ Diœcesis Senonen. auctoritate nostra Apostolica publices, & publicari facias, Ecclesiamque, seu Ecclesias juxta earumdem literarum præscriptum visitandas itidem respective designes: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam tibi in premissis facultatem dicta auctoritate earumdem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Confirmat prout in rubr.

Contrariorum derogatio. §. 2. Non obstantibus quatenus opus sit prædictis nostris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eis voluimus non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumq;

Dat. die 10. Jun. 1661. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Junii 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCXLIII.

Secret. Brev. Ex Regest. Facultas Regi Catholico applicandi 10. m. ducat. ex fructibus Commendarum Militiæ de Calatrava in fabricam Ecclesiæ, & Monasterii Monialium Conceptionis B. M. V. Immaculatæ Oppidi Madriti Diœces. Toletan. ejusdem Militiæ.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium. MAjestatis tuæ nomine Nobis nuper expositum fuit, quod tu, qui Militiæ de Calatrava Cistercien., seu alterius Ordinis administrator perpetuus, auctoritate apostolica deputatus existis, summam decem millium ducatorum monetæ Hispaniarum ex fructibus, & proventibus Præceptoriarum, seu Commendarum ejusdem Militiæ in Fabricam Ecclesiæ, & Monasterii Regii Monialium Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ Oppidi Madriti dictæ Militiæ, seu Ordinis de Calatrava Toletan. Diœces. applicare posse plurimum desideras.

Facultatem concedit prout in rubr. §. 1. Quare Nobis humiliter supplicari fecisti, ut tibi in præmissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis Majestatis tuæ votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Majestati tuæ summam decem millium ducatorum monetæ hujusmod i [semel] tantum ex fructibus, redditibus, & proventibus Præceptoriarum, seu Commendarum dictæ Militiæ nunc vacantium, & posthac vacaturarum, deductis tamen inde prius illarum oneribus, in Fabricam Ecclesiæ, & Monasterii præfatorum, auctoritate nostra apostolica applicandi plenam, & amplam facultatem, eadem auctoritate, tenore præsentium tribuimus, & impertimur, ea tamen lege, ut nonnisi medietas fructuum, redditıuum, & proventuum uniuscujusque ex præfatis Præceptoriis, seu Commendis sumatur, & integra summa decem millium ducatorum hujusmodi in supra expressos, & non alios usus expendatur, ac statim atque illa ex eisdem fructibus, redditibus, & proventibus conflata fuerit, præsens gratia expiret, & expirasse censeatur eo ipso.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Militiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel qua-

quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Junii 1661. An. VII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaoctava Junii 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCXLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio literarum Abbatis, & Capituli generalis Ord. Cistercien. anno 1244. emanatarum, per quas Monasterium Beatæ Mariæ Regalis dicti de Maubuisson dicti Ordinis immediate subiicitur jurisdictioni, & superioritati Abbatis Cistercii.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. EXponi Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Catharina Angelica D'Orleans Abbatissa Monasterii Monialium Beatæ Mariæ Regalis dicti de Maubuisson juxta Pontisaram Cistercien. Ordinis Parisien. Dioecesis, quod dudum ad instantiam clar. mem. Blanchæ dum vixit Francorum Reginæ Illustris, ejusdem Monasterii Fundatricis, ipsum Monasterium filiationi Abbatis, & Conventus Cistercii fuit a Capitulo generali dicti Ordinis incorporatum, atque omnimodæ jurisdictioni, & superioritati ejusdem Abbatis Cistercii tanquam Patris immediati subjectum, prout uberius contineri dicitur in literis tenoris, qui sequitur videlicet: Nos Frater Claudius Vaussin. Abbas Cistercii Sacræ Theologiæ in facultate Parisiensi Doctor Christianissimo Regi a Sanctioribus Consiliis, & in Supremo Burgundiæ Senatu primus Consiliarius natus, universi Cistercien. Ordinis Caput, ac Superior generalis, ejusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungens, omnibus præsentes literas inspecturis notum esse volumus, quod cum exhibitæ Nobis fuerint patentes quædam literæ a Rmo Prædecessore nostro piæ mem. Bonifacio Abbate Cistercii, & Capitulo generali de anno 1244. emanatæ, quarum tenor sequitur, & est talis. Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, Frater Bonifacius Abbas Cistercii, totusque Conventus Abbatum Capituli generalis salutem in salutis Authore Universitati vestræ præsentium significatione intimamus, quod cum D. Blancha Illustris Regina Franciæ Nobilem Abbatiam Sanctimonialium, quæ dicitur Abbatia Beatæ Mariæ Regalis juxta Pontisaram fundasset, ædificasset, & sufficienter dotasset pro remedio Animæ suæ, & suorum cupiens imposterum providere quieti, & paci dictarum Sanctimonialium ibidem Deo servientium, voluit, & humiliter postulavit, quod esset Abbatis, & Conventus Cistercii filia specialis. Nos igitur læto animo tantæ Dominæ præcibus annuentes ordinamus, & statuimus, ut dicta, Abbatia Beatæ Mariæ Regalis, ita pleno jure pertineat ad Abbatem, & Conventum Cistercii supradictos quoad institutionem, destitutionem, visitationem, correctionem, & reformationem, & omnia alia, quæ Patri Abbati in sua filia competunt de jure Ordinis Cistercien., quod nulla alia persona in ea jus sibi aliquod valeat vendicare, in ejus rei testimonium præsentes literas prædictis Abbatissæ, & Conventui misimus sigilli nostri munimine roboratis. Actum Anno Domini 1244. tempore Capituli generalis, & sigillatum F. Bonifacius dictus Abbas, & Conventus Cistercii Dilectis in Christo Abbatissæ, & Conventui Beatæ Mariæ Regalis juxta Pontisaram salutem, & continuos in Sancta Religione profectus. Cum ad petitionem Dominæ Blanchæ Illustris Reginæ Franciæ, statuerit Capitulum generale, ut Abbatia vestra, quam prædicta Regina fundavit, nobiliter ædificavit, & dotavit, sit filia Cistercii specialis. Nos similiter attendentes piam devotionem prædictæ Dominæ, vos in curam nostram recipimus: ita quod in perpetuum ad Nos pertineat, in omnibus, & per omnia visitatio, correctio, & reformatio domus vestræ, & cætera, quæ in literis Capituli generalis continentur. In cujus rei testimonium, & perpetuam firmitatem vobis transmittimus præsentes literas sigilli nostri munimine roboratas.

Literas Abbatis, & Capituli Generalis Ordinis Cistercien. alias editas refert.

Actum Anno Domini 1244., & sigillatum. Nos præsentes de verbo ad verbum supra expressas literas approbavimus, & acceptavimus, uti serie præsentium approbamus, & acceptamus, gratasque, & ratas habemus, iisdemque novum robur quatenus opus foret, novamque firmitatem adiicimus.

Datum Cistercii die 21. mensis Novembris Anno Domini 1659. sub nostro manuali signo Secretarii nostri Chirographo, & majoris nostri sigilli appositione.

Claudius Abbas Cisterciensis generalis sit signatum, & infra de mandato prædicti Reverendissimi Domini Abbatis mei Generalis Franciscus Destrechy Secretarius ita subscriptum, & sigillatum.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat prædictum Monasterium, ejusque Abbatissa, & Conventus sub tali Abbatis Cistercii superioritate feliciter hactenus perseveraverint; quo vero imposterum quoque perseverare, nec a quoquam in tali jure molestari, & turbari valeant, memorata Catharina Angelica Abbatissa plurimum cupiat præmissa, apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri.

Nos

§. 3. Nos ipsam Catharinam Angelicam Abbatissam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutam fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii nostri, & Apostolicæ Sedis, apud Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum Nuncii audiverunt, consilio, attentis narratis, perinsertas literas auctoritate apostolica tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus ita ut erectionis memorati Monasterii Sanctæ Mariæ Regalis ratio habeatur, ejusdemque circa assertam subjectionem tenor, & forma servetur.

Confirmat decretum.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Jun 1661. An. VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Junii 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCXLV.

Confirmatio, & innovatio literarum Clementis VIII., & Pauli V. contra Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini conquirentes dignitates in eadem Religione ad requisitionem personarum extra Ordinem constitutarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Admonet Nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiæ, ut illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris pro felici Christifidelium, qui abnegantes semetipsos Altissimi obsequiis sese sub suavi religiosæ humilitatis jugo manciparunt, directione, & quiete salubriter constituta esse dignoscuntur, quo serventur in posterum exactius, innovemus, & Apostolicæ confirmationis nostræ munimine constabiliamus.

Decretum Clem. VIII.

§. 1. Dudum siquidem a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecess. nostro emanavit Constitutio tenoris, qui sequitur, videlicet: Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tanquam Aaron, & a regularis vitæ instituto valde alienum est, ut Religiosi viri, quos honorum, & dignitatum gradus sanctitate vitæ, ac aliis religiosis virtutibus potius promereri, quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet, mendicatis secularium præsertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesia Dei pernicies afferri solet. Nos qui pro nostri muneris debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut Ecclesiastica, regularisque disciplina pristino candori restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

Motiva.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in Ordine Eremitarum S. Augustini, Professionis, & Regulæ, quam professi sunt, penitus immemores, nimiaque dignitatum & officiorum Ecclesiasticorum in dicta Religione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis, Ecclesiasticorum, & secularium Principum studia requirant, & a S.R.E. Cardinalibus, aliisq; Prælatis commendatitias literas, aliosque favores, & gratias propterea expetant, quibus adjuti, quos ipsi ex se promeruisse minime confidunt gradus, & dignitates in eadem Religione consequi valeant, sicque ejusdem Religionis quietem non sine animarum suarum periculo perturbant.

§. 3. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Religione, cujus prosperum regimen, & incrementum ad Ecclesiæ sanctæ utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali solicitudine propellere summopere cupientes, motu proprio, & ex nostra certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine eos omnes, & singulos Fratres dicti Ordinis, & Religionis, cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Religionis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque personarum, tam Ecclesiasticarum, quam secularium, de gremio dictæ Religionis non existentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque seculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe, vel indirecte palam, vel occulte ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiverint aut etiam sponte oblatis, & minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices, & fautores, ad quascumque prælaturas, dignitates, & officia, gradusque, honores, administrationes, & munera in ipsa Religione obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officiis hujusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce, tam activa, quam passiva carere decernimus, & declaramus.

Istos fratres ad quascumque munera obtinenda inhabiles declarat.

Atque

§. 4. Atque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus dicti Ordinis, & Religionis Fratribus, Superioribuſque, & Prælatis quocumque titulo nuncupatis, etiam Priori Generali, præſentibus, & futuris præcipimus, diſtricteque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, vel alias ad inſtantiam, ſeu requiſitionem; vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam ſecularium, quam Eccleſiaſticorum, extra dictum gremium exiſtentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cujuſvis generis prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia prędictæ Religionis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant, vel præſumant.

Superioribus dicti Ordinis mandat, nequem piã ſic ad honores, dignitateſq: promovere audeant.

Clauſulæ.

§. 5. Decernentes electiones, & promotiones ad Monaſteria, ſeu Prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Religionis contra præſentium diſpoſitionem (quod abſit) quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorſus, invalidaſque fore, & eſſe, nulliſque juribus ſubſiſtere: Ac omnes, & ſingulos in præmiſſis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias, & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrere, & ad illas ſententias, & pœnas præmiſſa damnabiliter incurriſſe legitime probandum, & omnino convincendum, ſolas præmiſſarum perſonarum inſtantias, preces, & favores, etiam oretenus porrectas plenam, indubiam, & ſufficientem in judicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Ordinis, & Religionis hujuſmodi, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, Aut ſi præfatis Fratribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 7. Ut autem harum literarum notitia ad omnes dicti Ordinis Eremitarum Fratres facilius deveniat, volumus illas etiam in Capitulis Provincialibus, ſeu Congregationibus, & poſtea in Capitulo Generali publice legi, illaſque in dictis Capitulis Provincialibus, ſeu Congregationibus, & Capitulo Generali lectas, ſic arctare, ac ſi legitime unicuique intimatę fuiſſent, illarumque exemplis, etiam impreſſis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prioris Generalis ipſius Religionis, vel alterius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ obſignatis eamdem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur:

Tranſumptis credi mandat.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 1. Decembris 1604. Pontificatus noſtri anno XIII.

§. 8. Et ſubinde rec. mem. Paulus V. Prædeceſſor noſter conſtitutionem pariter edidit tenoris ſequentis: videlicet, Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Admonemur Paſtoralis officii noſtri debito diligentius proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſeculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus. Quocirca motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dilectis filiis, Priori Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis S. Auguſtini Fratrum Eremitarum Prælatis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendę præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam Laicarum, quam Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſeculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, dignitates, honores, officia, & adminiſtrationes, functiones, & prælaturas ejuſdem Ordinis concedere audeant.

§. 9. Quinimo dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & aliis mediis per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia, & ſimilia, ac etiam majora in eodem Ordine conſequenda perpetuo inhabiles declaramus. Inſuper Religioſis, & Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſſe interdicimus, ut non ſolum in præmiſſis omnibus favores hujuſmodi minime procurare, ſed nec etiam ſponte oblatos, aut ab eis minime procuratos recipere, & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant.

§. 10. Non obſtanſibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel qua-

Contrariorum derogatio.

quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut divisim ab Apost. sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes pœnam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1608. Pontificatus nostri Anno IV.

§. 11. Cum autem ea sit rerum humanarum conditio, ut Constitutionum, & Ordinationum, vel maxime salubrium, sensim lentescat vigor, quin etiam ex animis hominum paulatim elabatur memoria, nisi provida Legislatorum vigilantia subveniat; hinc est, quod Nos inviolabili præinsertarum Constitutionum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere, & ambitionis malum a prædicto Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, in quo plurimos Viros singulari pietate, & doctrina insignes Deo famulari novimus, penitus excludere cupientes, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præinsertas Clementis, & Pauli Prædecessorum Constitutiones cum omnibus, & singulis quomodolibet contentis in illis, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac illas innovamus, & adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, vel allegari posset, restituimus, & plenariè reintegramus.

Clementis, & Pauli literas confirmat.

§. 12. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent, quomodolibet in futurum, cujusvis status, gradus, ordinis, & conditionis existant, inviolabiliter, & inconcusse observari; Neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 13. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ prædicti Clemens, & Paulus Prædecessores in suis literis præinsertis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum pariter volumus, ut earumdem presentium transumptis, etiã impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Julii 1661. Pont. nostri Anno VII.

Dat. die 1. Jul. 1661. An. VII.

CCCXLVI.

Declaratio quod Abbates Ordinis Cistercienfis, qui scilicet utuntur dispensatione apostolica circa esum carnium ubique acceptata, non possint privari voce activa, & passiva, virtute sententiarum a Visitatore Apostolico emanatarum.

Vide ad Const. 178. *hujus Pontificis*, In Supremi. *Tom.*6. *Par.*4. *fol.*203.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Reipublicæ Helvetiorum Nobis expositum fuit, quod cum dilecti filii Abbates Ordinis Cistercientis in ejusdem Reipublicæ ditione existentes convocati ad Capitulum Generale Cistercii in Gallia pro more celebrandum sese accingerent, & præpararent ad iter, occulto rumore perceperunt, quosdam Religiosos Gallos, ejusdem Ordinis dictos Abstinentes contra antiqua ipsorum jura nunquam hactenus controversa, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris toti Ordini concessa, velle sese prævalere quibusdam sententiis a bo: me: Francisco dum vixit S.R.E. Card. de la Rochefaucaud nuncupato emanatis: qui cum a fel. rec. Gregorio Papa XV., & Urbano Papa VIII. Prædecessoribus pariter nostris commissionem habuisset ad visitanda, & juxta statuta ejusdem Ordinis a Romanis Pontificibus confirmata reformanda Monasteria dicti Ordinis, quæ in Gallia indigerent reformatione, & tamen ea nullatenus visitasset; nihilominus dicti Abstinentes contra formam Literarum Apostolicarum, & Statuta Apostolica, duas sententias ab eo obtinuerunt, quibus omnes Abbates, & Religiosos communis Observantiæ, qui scili-

Supplicatio.

scilicet utuntur dispensatione apostolica circa esum Carnium ubique acceptata, atque a Nobis per nostras in simili forma Brevis literas die 10. Novembris 1657. expeditas approbata, inter alia signanter prætendunt esse privatos voce activa, & passiva in electionibus Abbatis generalis, & quatuor primorum Abbatum, Vicariorum Provinciarum, Procuratoris Generalis in Curia, & aliorum publicorum Officialium, administratione Collegii Parisiensis, communis studii dicti Ordinis, receptione Novitiorum ad communem observantiam, aliisque Juribus pertinentibus ad Abbates, & Capitulum generale, & in vim dictarum sententiarum ipsos solos Abstinentes redditos capaces dignitatum, & officiorum dicti Ordinis, & independentes a jurisdictione ordinaria Superiorum, & Capituli Generalis esse præsumunt.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, licet hujusmodi sententiæ fuerint per Judices delegatos cassatæ, atque a rec.mem. Innocentio Papa X. etiam Prædecessore nostro super prætensis Juribus Abstinentibus prædictis perpetuum impositum silentium; attamen iidem Abstinentes semper dictas sententias validas auhument, & pro earum observatione diversos recursus habuerint, propter quas præsumptiones prorogatum fuit Capitulum Generale dicti Ordinis, donec Nos super hac vexatione fuissemus consulti: Idcirco Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis Officii cura memorati Ordinis quieti quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ac causæ, & causarum hujusmodi statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & Collitigantium, & alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, necnon causam, & causas prædictas a quocumque Tribunali, & Judice ad Nos harum serie avocantes, ac declarationem, approbationem, & novam concessionem a Nobis per prædictas literas die 10. Novembris 1657. emanatas circa esum carnium factas confirmantes, habita relatione de præmissis.

Decretum præinsertum confirmatur. §.2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium districtè prohibemus, ne Abbates, & alii quicumque dicti Cisterciensis Ordinis communis Observantiæ Religiosi ejusmodi apostolica dispensatione circa esum carnium utentes, super libertate vocis activæ, & passivæ in electionibus Abbatis Cistercii Generalis, aliorumve quatuor præcipuorum Abbatum, Vicariorum, Provincialium, Procuratoris Generalis Curiæ, & aliorum publicorum Officialium, in administratione, & regimine Collegii Parisiensis communis Studii dicti Ordinis, in Novitiorum ad communemObservantiam cum usu talis dispensationis circa esum carnium, servatis servandis receptione, eorumque educatione, nec in omnimoda Jurisdictione, quam ab initio ejusdem Ordinis habuerunt, & quibuslibet aliis juribus, quæ ex vi Regulæ, & sæpedicti Ordinis Constitutionum apostolica auctoritate confirmatarum, illis, & Capitulo Generali competunt, ullatenus perturbentur, prohibeantur, vel molestentur, prout non molestari, prohiberi, seu perturbari mandamus, & præcipimus, circumscriptis memoratis sententiis, die 27. Julii 1634. Augusti 1635. a præfato Apostolico Visitatore (ut dicitur) emanatis, necnon quorumlibet aliorum Judicum, qui circa præmissa quidquam secus statuere, vel decernere tentaverunt, aut præsumpserunt, cum omnibus inde sequutis.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulas addit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti Ordinis, & ejus Monasteriorum quorumvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2.Jul.1661. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 2. Jun. 1661. An.VII.

CCCXLVII.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo injungitur Generali, & Definitorio Ordinis FF. S.Pauli primi Eremitæ in Regno Portugalliæ, ut indulta degendi extra Claustra Religionis dict.Ordinis a quibuslibet quomodolibet absque Sedis Apostolicæ facultate speciali quavis de causa concessa revocent, & Religiosos ad claustra sub suspensionis a divinis, excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis &c. redire cogant, ibique sub obedientia Superiorum manere cogant, & compellant. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis in Romana Cu- Motiva.

Curia residentis Ordinis Fratrum S. Pauli primi Eremitæ in Regno Portugalliæ Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod Superiores Generales, & Definitores, qui ante hac fuerunt, dicti Ordinis Religiosis ejusdem Ordinis licentiam degendi habitu regulari retento in domibus suorum genitorum, genetricum, & suorum sub prætextu illis subveniendi concedere soliti fuerant; Et quia, ea res non solum expressæ dispositioni quarumdam felic. rec. Clementis VIII., & Urbani VIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum in simili forma Brevis Literarum, sed etiam Dei servitio, Religionisque augumento adversabatur, dilecti pariter filii moderni Superior Generalis, & Definitores d. Ordinis, inconvenientibus hujusmodi occurrendi, ac illis, quæ ab eorum antecessoribus sine legitima auctoritate facta esse reperiebantur, remedium afferendi ergo, omnibus, & singulis Religiosis Ordinis prædicti, qui in domibus privatis sine licentia Sedis Apostolicæ degebant, præceperant, ut ad Claustra sub obedientia Regulari permansuri reverterentur: Et in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli ex præfatis Religiosis Superioribus obedire renuerant, quinimo ad Judices Laicos recurrerant, litemque Religioni intentabant; Ideoque supplicato eidem Congregationi, ut in præmissis opportune provideret: emanavit a dicta Congregatione decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Sacræ Congr. Decretum. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac ne propter memorata indultatalibus sub prætextibus Religiosis Ordinis hujusmodi præbeatur causa extra claustra vagandi, neque ideo Regularis observantia relaxetur, censuit injungendum, prout præsentis decreti tenore injungit Generali, & Definitorio ejusdem Ordinis, ut dicta indulta a quibusvis, seu quomodolibet absque Apostolicæ Sedis facultate speciali, quavis de causa concessa pro eorum zelo, & regularis disciplinæ studio ejusdem Sacræ Congregationis auctoritate revocent, ipsosque Religiosos, quibus concessa esse prætenduntur ad claustra sub suspensionis a divinis, excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris, & pœnis eisdem Generali, & Definitorio benevisis, ac etiam per privationem suffragiorum, graduum, & officiorum, & inhabilitationum ad ea, & alia quæcumque imposterum obtinenda redire, ibique sub obed. Super. manere cogant, & compellant, prædictum autem Generalem, & Definitorium a similibus concessionibus, sive directe, sive indirecte, aut alio quovis modo in futurum sub jam dictis pœnis omnino abstinere præcipit. Exequutionemq; præsentis decreti Judicibus Conservatoribus Religionis hujusmodi pro tempore existentibus demandat, & committit: in contrarium non obstantibus quibuscumque.

Romæ 3. Junii 1661.

M. Card. Ginettus.

E. Episc. Camerinen. Secr.

§.2. Cum autem, sicut dictus Procurator generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Procuratorem generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: decretum præinsertum, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Decretū confirmat.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulas apponit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris. die septima Julii 1661., Pontificatus nostri Anno Septimo. Dat. die 7. Julii 1661. An. VII.

Ere-

CCCXLVIII.

Erectio Provinciæ Sancti Ladislai Regis in Sclavonia, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. Ex commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito ad ea propensis studiis jugiter intendimus, per quæ religiosorum virorum, qui relicto seculo Dei obsequiis sese manciparunt, statui, & felici directioni consulitur, ut secundum laudabilia Ordinum suorum instituta, gratum Altissimo impendentes famulatum, prosperioribus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Supplicatio. §. 1. Alias siquidem pro parte dilecti filii Lucii a Sancto Justo tunc temporis Commissarii Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis exposito, quod antea postquam Congregatio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Zagabriensem, Varasdiensem, Ormusdiensem, Crisiensem, Remeticensem, Ivanicensem, & Capinensem Conventus Ordinis prædicti in Sclavonia constitutos, necnon Monasterium Sanctissimæ Trinitatis Zagabriensium Monialium Ordinis S. Claræ curæ primodicti Ordinis subjectum in novam custodiam ad præscriptum Constitutionum Ordinis hujusmodi, cum prærogativis, titulis, & præcedentiis consuetis erigi mandaverat, dilectus pariter filius Paulus de Tauris Frater expresse professus Provinciæ Austriæ dicti Ordinis vigore mandati sibi super hoc a dilecto etiam filio Sebastiano a Cajeta Cismontanæ familiæ prædicti Ordinis Commissario Generali dati septem Conventus, & Monasterium hujusmodi prævia illorum separatione a Provincia Hungariæ ejusdem Ordinis in novam custodiam sæpedicti Ordinis juxta dispositionem decreti dictæ Congregationis super præmissis emanati erexerat: Nos supplicationibus dicti Lucii nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, erectionem supradictorum septem Conventuum, ac Monasterii in novam custodiam Ordinis præfati a memorato Paulo, sicut præfertur, factam, auctoritate apostolica confirmavimus, & approbavimus, & aliàs prout in nostris in simili forma Brevis literis, die 20. Junii 1656. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Fratres Custodiæ præfatæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi eamdem custodiam, quæ, ut asserunt, in novem Conventibus fratrum adjunctis scilicet ad supradictos septem Caproncensi sub titulo Sancti Antonii Patavini; & Chiaktoniensi Conventibus sub titulo Sancti Nicolai Episcopi, necnon prædicto Monialium Monasterio ad præsens consistit, pro majori illius decore in novam dicti Ordinis Provinciam a Nobis erigi summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eamdem Custodiam in novam memorati Ordinis Provinciam cum omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, juribus, gratiis, & indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ de jure, usu, & consuetudine, & alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, ac solent, & debent, auctoritate prædicta tenore præsentium, sine cujusquam præjudicio perpetuo erigimus, & instituimus. Decretum præinsertum confirmat.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædicti Ordinis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Julii 1661. An. VII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decimasexta Julii 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCXLIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Præceptum, ut Breve fel. Urbani VIII necnon Decreta Congregationis Episcoporum, & Regularium super controversiis inter Fratres Recolectos, & Fratres de Observantia Provinciæ Brittaniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci vertentibus emanata, sub pœnis expressis in illis exequutioni demandentur, & observentur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Cyrillus Boullevic, & Hilarius Pezron Fratres, & Procuratores speciales Fratrum Provinciæ Brittaniæ in Galliis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod alias fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster inter cætera transtulit jus dictæ Provinciæ a Fratribus de Observantia ad Recollectos, & mandavit, ne in præfata Provincia ullus in Novitium inter dictos Fratres de Observantia, sed inter Recollectos dumtaxat in posterum reciperetur sub pœna nullitatis receptionum, ac professionum aliter factarum, necnon pœnis excommunicationis latæ sententiæ, ac officiorum, & omnium actuum legitimorum privationis, ipso facto per Superiores aliter recipientes incurrendis, ordinavitque eosdem Recollectos introducendos fore in Landerniensem, & Briocensem Conventus, ac in cæteros a dictis Fratribus de Observantia sibi pro tempore relinquendos, prout in ejusdem Urbani Prædecessoris literis in simili forma Brevis, die 25. Maii 1639., ac die 26. Martii 1640., & die 17. Augusti 1641. respective expeditis, in sententiis Commissariorum Apostolicorum in partibus exequentium, & concordatis ex utraque parte initis uberius dicitur contineri. Postmodum vero Nos Decreto Venerabilis Fratris nostri Francisci Episcopi Portuen., S.R.E. Cardinalis Barberini nuncupati partibus in contradictorio auditis die 2. Martii 1658. de mandato Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ edito, aliisque pluribus Decretis inhærentes, supradictas Urbani Prædecessoris literas confirmavimus, ac prohibuimus præfatos Conventus a dicta Provincia ullatenus separari, aut dismembrari, sed Recollectis tradi jussimus, præcipientes omnibus Provincialibus Ministris dicti Ordinis in Regno Galliæ degentibus ne ullum ex suis Religiosis ad aliquem dictorum Conventuum mitterent, sed missos quamprimum revocarent; dilecto autem filio Carolo Manoix rebellionis auctori, ut intrusos remitteret, nec rem ullam in contrarium præmissorum attentaret, & hæc omnia, & plura alia sub censuris, & pœnis; præterea Commissionem in signatura nostra Justitiæ per Fratres de Observantia præfatos subreptitiè obtentam revocavimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis literis die 4. Februarii, & die 30. Martii 1658., & die 10. Octobris 1659. respective emanatis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Carolus Manoix cum suis sequacibus novissime, videlicet die 29. Novembris 1660. sententiam a dilecto filio Officiali Venerabilis Fratris Episcopi Briocen. extorserit, qua prætendit præfatos Conventus Landermen., & Briocen. a supradicta Provincia dismembrare, & alienæ scilicet Provinciæ Chordigerorum Turoniæ Majoris adfiliare, illisque Novitios recipiendi facultatem restituere in contemptum literarum, & Decretorum præfatorum; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut prædictam dicti Officialis sententiam, utpote evidenter attentatam, & de se nullam, attenta revocatione, & nullitate assertæ suæ Commissionis, cassare, & annullare, ac alias opportune in præmissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem diligenter, & mature perpenderunt, & examinarunt, consilio, attentis narratis, circa præmissa præfatas Urbani Prædecessoris, & nostras in forma Brevis literas, necnon Decreta Congregationis eorumdem Cardinalium alias desuper emanata sub pœnis in illis expressis exequutioni demandari, & observari auctoritate apostolica tenore præsentium mandamus, & præcipimus. Confirmat decretum.

§. 3. Decernentes irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus prætensa sententia, seu Decreto prædicti Officialis Episcopi Briocen. vigore assertæ Commissionis Signaturæ Justitiæ edita, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Julii 1661. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 23. Julii 1661. An. VII.

Com-

CCCL.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Nuncio Franciæ, & Archiepiscopo Tholosano contra Vicarios generales Archiepiscopi Parisien. occasione Edicti temeraria, & falsa continentis, per eos publicati.

Ven. Fratribus Cælio Cæsari Nostro, & Apostolicæ Sedis apud Charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Chistianissimum Nuncio, ac moderno Tholosan. Archiepiscopis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva.

PErvenit ad aures nostras non sine gravi animi nostri dolore, dilectos filios Joannem Baptistam de Contes, & Alexandrum de Hodeng. dilecti filii nostri Joannis Francisci Pauli Gondi tituli S. Mariæ super Minervam S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Retz nuncupati Ecclesiæ Parisien. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulis Vicarios in spiritualibus generales Edictum sub data diei 8. Junii proxime præteriti publicasse, quo temerariis mendaciis inter alia narrare, seu asserere ausi sunt, tempore Pontificatus fe: re: Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri non fuisse tractatum nisi utrum quinque Propositiones per Constitutionem ejusd. Innocentii Prædecessoris anno Incarnationis Dom. 1653. pridie Kal. Junii emanatam condemnatæ, veræ, & Catholicæ, an vero falsæ, & hæreticæ forent: Cum tamen non solum de earumdem quinque Propositionum veritate, vel falsitate tunc tractatum fuerit, sed etiam quod illæ ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus* excerptæ extitissent, ipsæque quinque Propositiones in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento, damnatæ fuerint, sicut nos per nostram Anno Incarnationis Dom. 1656. decimo septimo Kal. Novembris editam Constitutionem declaravimus; Quo circa Nos pro pastoralis officii nostri debito tam gravi inconvenienti remedium adferre cupientes, ac dicti Edicti tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso habentes, motu proprio, ac ex certa scientia nostra fraternitatibus vestris per præsentes committimus, & mandamus, ut contra memoratos Joannem Baptistam, & Alexandrum Vicarios generales non solum super præmissis, sed etiam super aliis quibuscumque in eodem Edicto comprehensis, quæ concernant, aut referantur ad mendacia, & temere asserta similia, vel res aliquas cum deceptione, & tergiversatione contineant, quæ præfatas Constitutiones infringere valeant, servatis servandis auctoritate nostra Apostolica procedatis; Nos enim vobis annullandi prædictum Edictum ac eosdem Joannem Baptistam, & Alexandrum Vicarios generales officiis suis privandi, eosque in pœnas in præfatis Constitutionibus contentas incurrisse declarandi, ac ad electionem Vicarii Apostolici quatenus opus fuerit deveniendi facultatem, auctoritate Apostolica, earumdem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Commissio ut in rubr.

§. 1. Non obstantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus sit Ecclesiæ Parisien. & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Augusti 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 1. Aug. 1661. An. VII.

CCCLI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio quarumdam Ordinationum Congregationis Fratrum S. Hieronymi Fesulan. super electionibus Patrum Definitorii, necnon Procuratorum, & super studiis, & lecturis, ac prædicationibus per Fratres obeundis nuper editarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

MIlitantis Ecclesiæ regiminis per abundantiam divinæ bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præpositi, illa, quæ pro felici Congregationum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum regimine, & directione provide ordinata esse dignoscuntur, libenter, cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis patrocinio roboramus.

Expositio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Fratrum Sancti Hieronymi Fesulan., quod alias pro felici dictæ Congregationis gubernio de dilectorum filiorum Prioris Generalis, & aliorum Fratrum ipsius Congregationis, Religionis zelo, doctrinaque prædictorum consilio factæ fuerunt Ordinationes tenoris, qui sequitur, videlicet.

Vicarius Generalis Capituli, & Generalis eligantur libere a Patribus vocalibus, itaut nullus nominetur, aut proponatur. In eligendis vero novem Patres Defini-

Ordinationes FF. ipsius Congregationis.

nitorii servabitur consuetudo, secundum quam ultra Generalem, & Vicarium, qui a Constitutionibus absque alia electione numerantur inter Definitores proponuntur prius tres Visitatores Procurator Generalis, & qui aliquando fuerunt Generales; tandem in proponendo ad alias dignitates Generalis ineat consilium cum Patribus Definitorii de dignitatibus, & aptioribus proponendis, ab iisdem præstito prius juramento de servandis sub secreto, quæ ibi tractata fuerint. Quod si diffideant, in consilio dando ferantur vota secreta super singulos, de quibus fuit controversia, quique supra medietatem plura vota sortitus fuerit, is proponetur toti Capitulo eligendus. Per hoc tamen non tollitur quin Patres Capitulares possint alium quemcumque libere eligere, & electio erit valida, si aliud canonicum non obstet impedimentum, & hæc quidem in Capit. Gen. extra vero CapitulumGen. vacante dignitate quacumque non sufficiat quempiam, nisi de consilio, & consensu per vota secreta duorum saltem Visitatorum nullus eligetur in Priorem nisi idoneus ad audiendas Confessiones, aliter electio sit nulla; illum solum autem dicimus idoneum, qui vel per triennium antecedenter cum facultate Ordinarii hoc munus exercuerit, vel ab Examinatoribus a Capitulo Generali destinatis, prævio diligenti examine per vota secreta talis judicatus fuerit.

Clerici omnes, & Sacerdotes, qui anno 1660. emiserunt professionem, quive deinceps emittent, teneantur navare operam scientiis septem annis humanarum literarum studio minime computato, vel totidem erudire professis in literis humanis, alioquin non possint eligi, nisi ad Vicariatum, & Prioratum, & si secus fiat electio sit nulla. Quinimo, si juxta præscriptum Constitutionum Lauream Doctoratus consequuti, consuetis Magistrorum privilegiis frui voluerint, teneantur prius per annum docere literas humanas Clericos professos, deinde, vel legere scientias septem annis, octo saltem mensibus anni, vel decem annis prædicare in nostris Ecclesiis omnibus Dominicis non impeditis ab Octava Paschæ Resurrectionis usque ad septuagesimam exclusive. Sanctissimus annuit 13. Julii 1661.

P. Fagnanus.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Procurator Generalis ordinationes hujusmodi pro firmiori illarum subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri summopere desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ordinationes præinsertas auctoritate apostolica, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ordinationes præinsertas confirmat.

§. 3. Decernentes easdem ordinationes, ac præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictæ Congregationis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Aug. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 17. Aug. 1661. An. VII.

CCCLII.

Commissio Archiepiscopo Civitatis Cæsaraugustan. super contributione Ecclesiasticorum in gabella ad favorem Hospitalis Regii imponenda.

Secret. Brev. Ex Regest. in

Ven. Fratri Archiepiscopo Cæsaraugustan.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Rectores, & Administratores Generales, & Regii Hospitalis Sanctæ Mariæ

Expositio.

Mariæ Gratiarum nuncupat. istius Civitatis Cæsaraugustan., quod alias cum dictam Civitatem, ejusque districtum pestis illic ab anno 1648. usque ad annum 1653. seu alio veriori tempore grassata in graves expensas conjecisset, contractoque ea de causa ære alieno maximę quantitatis involvisset, universi Ordines ejusdem Civitatis, apud quos regimen existit, & inter quos Clerus Ecclesiasticus primus computatur, de licentia Sedis Apostolicæ ex communi tam Laicorum, quam Ecclesiasticorum contributione æs alienum hujusmodi extinxerunt.

Motiva. §. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictum Hospitale ære alieno undecim millium trecentorum quadraginta duorum scutorum, & septendecim solidorum monetæ illarum partium occasione dictæ pestis ob expensas in curandis, & sublevandis infirmis, ministrisque sustentandis, seu manutenendis factas, damnaque ex combustione lectulorum, aliorumque suppellectilium, quæ peste infectis servierant, accepta, contracto oneratum remanserit, nec illius dissolutioni, & extinctioni, simulque pauperibus infirmis assidue curandis, ac solvendis debitis, ministrorum salariis, aliisque impensis de necessitate subeundis par existat; prædicti vero Ordines provide considerato, expensas per dictum Hospitale factas, & damna accepta hujusmodi personarum tam Ecclesiasticarum, quam laicarum beneficio, & commodo cessisse, nullam promptiorem, expeditioremque eidem Hospitali consulendi rationem iniri posse compererint, quam si super singulis mensuris tritici, & olei in prædictis Civitate, & districtu vendendi, & emendi aliqua communis gabella ad favorem ipsius Hospitalis in satisfactionem dicti æris alieni, & non in alios usus, & causas quantumvis necessarias, & urgentissimas convertenda usque ad complementum dictorum undecim millium trecentorum quadraginta duorum scutorum, & septendecim solidorum, & non ulterius duratura, ad cujus solutionem concurrere, & contribuere debeant omnes tam Ecclesiastici, quam seculares, præcedente nostro, & dictæ Sedis beneplacito imponatur: Nobis propterea prædicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt; ut dicti Hospitalis inopiæ, & egestati in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus constito tibi de narratis, & dummodo Cleri Civitatis, & Districtus hujusmodi in primis, & ante omnia accedat assensus, ut prædictæ personæ Ecclesiasticæ utriusque sexus tam seculares, quam cujusvis Ordinis regulares eorumdem Civitatis, & Districtus ad solutionem prædictæ gabellæ super singulis mensuris tritici, & olei in dictis Civitate, & Districtu vendendi, & emendi legitime imponendæ concurrere, & contribuere teneantur pro rata, & quantitate per Te, & ejusdem Cleri Deputatos taxanda, seu concordanda, ipsique Exponentes Gabellam ipsam tam a laicis, quam a prædictis Ecclesiasticis personis secularibus, ac cujusvis Ordinis, Congregationis, ac sexus Regularibus exigere, recipere, & recuperare libere, & licite possint, & valeant, ita tamen, ut proventus contributionis, seu gabellæ hujusmodi in extinctionem tantum ęris alieni prædicti hospitalis, & non in alios usus, & causas etiam urgentissimas, etiam urgentissima qualibet, ac quam pręsens sit urgentiori necessitate non obstante, successive convertantur, & ad hunc effectum computa proventus hujusmodi in fine primi anni, & deinde cujuslibet mensis coram te ipso liquidari, & solutio facta Hospitali præfato justificari omnino debeant, alioquin his omnibus, & singulis exacte non servatis, & si in aliquo defectum fuerit, præsens gratia eo ipso nulla penitus, & invalida existat, & pro non facta habeatur, neque prædicti Ecclesiastici ulterius ad hujusmodi contributionem, seu gabellam teneantur, aut contribuere debeant, nec possint etiam voluntarie, auctoritate nostra Apostolica concedas, & indulgeas, ac licentiam, & facultatem desuper opportunam elargiaris. — Decretū præinsertum confirmat.

Clausulæ. §. 3. Decernentes præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon majoris, & aliarum quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, & prædictorum locorum Civitatis, & Districtus hujusmodi, ac Ordinum, Congregationum, & Institutorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis in contrarium præmissorum

rum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulas pœnales apponit.

§.5. Volumus autem, ut statim atque præfata summa conflata fuerit, Personæ Ecclesiasticæ illicò ab ulteriori contributione, & solutione gabellæ hujusmodi cessent, & abstineant, neque ab illis quicquam amplius exigi possit sub pœnis a sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis in contrarium facientibus inflictis eo ipso absque alia declaratione incurrendis.

Dat. die 18. Aug. 1661. An. VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Aug. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CCCLIII.

Præceptum Superioribus Provinciæ Brasilien. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia sub pœnis privationis utriusque vocis, & Officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad eadem ipso facto incurren., ut processionem feria quarta Cinerum quotannis fieri solitam a Tertiariis Secularibus ejusdem Sancti Francisci in Brasilia degen. per Conventus Bayæ omnium Sanctorum, sicut antea conventualiter, & cum solita Cruce associare faciant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. CUM sicut dilecti filii Tertiarii seculares Ordinis Sancti Francisci in Brasilia degentes Nobis nuper exponi fecerunt, dilecti etiam filii Minister Provincialis, aliique Superiores, & Fratres Provinciæ Brasilien. Ord. Minorum Sancti Francisci præfati de Observantia nuncupatorum non permittant, ut Fratres Conventus Bayæ omnium Sanctorum ejusdem Provinciæ processionem feria quarta Cinerum a præfatis Tertiariis quotannis fieri solitam associare possint, sicut antea ex laudabili Instituto quondam Pantaleonis Baptistæ, dum vixit Ministri Provincialis dictæ Provinciæ facere solebant; Id vero in divini cultus detrimentum cedere, fraternamque inter eosdem Fratres Minores, & Tertiarios charitatem lędere, aut minuere valeat: Nobis propterea ipsi Tertiarii humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur spirituali eorumdem Tertiariorum consolationi quantum cum Domino possumus benigne consulere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum; harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatis Ministro Provinciali, aliisque Superioribus, & Fratribus Provinciæ hujusmodi tam præsentibus, quam futuris, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, officiorumque, & perpetuæ inhabilitatis ad eadem ipso facto incurrendis auctoritate apostolica tenore præsentium stricte præcipimus, & mandamus, quatenus prædictam processionem, sicut antea conventualiter, & cum solita Cruce associari faciant.

Præcipitur ut in rubr.

§.3. Decernentes, & declarantes, quod in reliquis per hoc nullum præjudicium illatum censeatur exemptionibus vigore Cõstitutionum Apostolicarum eisdem Ministro Provinciali, aliisque Superioribus, & Fratribus competentibus, itaut hujusmodi exemplo ad associationem aliarum processionum, necnon ad alias functiones nullo modo compelli possint.

Decretum irritans.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciæ, & Conventus hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Augusti 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 24. Aug. 1661. An. VII.

CCCLIV.

Confirmatio ordinationum, & declarationum Congregationis Generalis Societatis Jesu circa jurisdictionem, & gubernationem Vicarii Generalis cum futura successione.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. ALias Nos dilectis filiis Congregationi Generali Societatis Jesu Vicarium perpetuum cum futura ad ejus favo-

Supplicatio.

favorem in Officio Præpositi Generalis dictæ Societatis quandocumque illud per obitum, cessionem, renunciationem, vel dimissionem dilecti filii Gosvvini Nickel Præpositi Generalis ejusdem Societatis, seu alias quomodolibet ex illius persona vacare contingeret, successione, ac cum universali, & libero exercitio potestatis, servatis alias servandis, eligendi plenam, & amplam facultatem tribuimus, & impartiti sumus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis Literis die prima Junii proxime præteriti desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Motivà. §.1. Cum autem, sicut pro parte dictæ Congregationis Generalis Nobis nuper expositum fuit, eadem Congregatio præfatarum nostrarum Literarum vigore in Vicarium generalem perpetuum dictæ Societatis elegerit dilectum etiam filium Joannem Paulum Olivam Presbyterum Regularem ipsius Societatis, cum jure succedendi, in eumque contulerit exercitium universale, ac liberum potestatis, non revocandum, neque impediendum, idque (prout ipsamet Congregatio declaravit se intellexisse) non comulative, sed privative, etiam quoad memoratum Præpositum Generalem; itaut si secus aliquid fiat, illicite, & invalide fiat. Cumque injecta nihilominus hac de re dubitatione, rursus eadem Congregatio, quod jam fecerat confirmaverit, & si opus esset, de novo factum voluerit, totumque exercitium jurisdictionis, quod supradictum est, esse penes solum Vicarium, ne Societas a duobus capitibus gubernetur: Præposito vero Generali præfato reliquerit septemdecim ejusmodi facultates, quæ gubernationem non respiciunt, neque impediunt. Quæ omnia idem Præpositus Generalis, qui jam se totum Congregationis judicio, & dispositioni permiserat, videns expedire Societati, declaravit, se omni meliori modo rata habere ea omnia, quæ Congregatio Generalis circa gubernationem Vicarii decreverat. Ac præterea eadem Congregatio statuerit, ut in casu ægritudinis Vicarius sibi subroget alium, qui Societatem gubernet interim dum ipse convalescat. Quod si contingat Vicarium Generalem præmori Præposito Generali, voluerit eadem Congregatio jus nominandi Vicarium esse pœnes Præpositum Generalem, si ad id aptus inveniatur; qui Vicarius statim nominatus, convocet Congregationem Generalem, habeatque interea exercitium potestatis independens ac liberum, perinde atque haberet mortuo Præposito Generali. Nobis propterea ejusdem Congregationis Generalis nomine humiliter supplicatum fuit, ut præmissa omnia rite, & concordibus animis ab ipsa Congregatione constituta, ne in posterum ulla ex parte infirmari, aut in dubium verti a quoquam possint, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communire de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur specialem dictæ Congregationi Generali gratiam facere volentes, illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula supra expressa a memoratis Congregatione Generali, & Præposito Generali respective, sicut premittitur, acta, gesta, declarata, confirmata, ratificata, statuta, & ordinata, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus. Decretum confirmat.

§.4. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus, super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulas addit.

§.5. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in præfatis Literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumq; Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Aug. 1661. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 30. Aug. 1661. An. VII.

CCCLV.

Præceptum, ut serventur Constitutiones Congregationis S. Mariæ Fullien. Ordinis Cistercien. Nationis Gallicanæ circa dicendas Culpas in Capitulo, non obstante Decreto ultimi Capituli Generalis, quod Fratres Conversi, & Donati publicis proclamationibus Sacerdotum, & Professorum Vocalium, quæ fiunt in Capitulo, adesse non possint, nec ipsis usquam fas sit quemquam Sacerdotum, aut Clericorum professorum, & Vocalium Superiorem privatim, vel palam in Capitulo proclamare, sed tantummodo apud Superiorem conqueri, & Justitiam postulare. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ægidius a Sancto Franci- Expositio.

sco,

sco, & Joannes a Sancto Spiritu Procuratores Fratrum Conversorum, & Donatorum Congregationis Beatæ Mariæ Fulliensis Ordinis Cistercien. Nationis Gallicanæ, quod Capitulum, seu Definitorium Generale prædictæ Congregationis in Conventu Burdegalen. congregatum de Mense Aprilis anni proxime præteriti 1660. edidit Decretum, seu Definitionem tenoris sequentis, videlicet.

Definitio Capituli Generalis.

Definitum est, quod Fratres Conversi, & Donati publici proclamationibus Sacerdotum, & Professorum Vocalium, quæ fiunt in Capitulo adesse non poterunt, ideoque ipsi Conversi, & Donati primum ante omnes culpas suas dicent, postmodum egredientur de Capitulo locum daturi Sacerdotibus, & Clericis professis, & Vocalibus, ut & ipsi culpas suas; Excepto tamen in Magisteriis, in quibus sunt Novitii, aut noviter professi, & non Vocales, in quibus Novitii, & noviter professi qui ipsi dicta culpa exire teneantur; nec usquam fas sit ulli Frati Converso, & Donato quemquam Sacerdotum, aut Clericorum professorum, & Vocalium Superiorem privatim, vel palam in Capitulo proclamare, sed si res exigat, possint tantummodo apud Superiorem conqueri, & Justitiam postulare.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, hujusmodi novum Decretum, seu Definitio contrarietur non solum praxi hucusque in præfata Congregatione inviolabiliter observatæ, verum etiam ipsismet Constitutionibus generalibus ejusdem Congregationis a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro approbatis, prout latius ex iisdem Constitutionibus *cap. 46. titulo de his, qui in aliquibus rebus, &c.* necnon ex Rituali ejusdem tituli *de Capituli observatione*, constare dicitur. Nobis proterea præfati Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem, partibus auditis, diligenter examinarunt, consilio, attentis narratis, circa præmissa Constitutiones Congregationis hujusmodi per eos, ad quos spectat, sub pœnis privationis vocis activæ, & passivæ, necnon officiorum, & inhabilitatis ad ea, & alia quæcumque in posterum obtinenda, eo ipso incurrendis, servari auctoritate apostolica tenore præsentium mandamus, & præcipimus.

Confirmat decretum.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon memorato Decreto, seu Definitione Capituli Generalis ejusdem Congregationis novissime celebrati, cæterisque in contrarium adductis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Septemb. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 5. Sep. 1661. An. VII.

CCCLVI.

Declaratio, quod revocatio privilegiorum, & exemptionum Regularibus concessarum, & subjectio Nuncio Apostolico Hispaniæ ab Urbano VIII. fact. etiam Monachos Congregationis Hispaniæ Ordinis S. Benedicti comprehendat, cum nova, quatenus opus sit, eorumdem Privilegiorum, & exemptionum revocatione.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Alias felic. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster inter alias Ordinationes, & Declarationes, quas circa Tribunal Nunciaturæ Hispaniarum fecit, quoad personas Regulares a jurisdictione Ordinariorum exemptas, ac immediate Sedi Apostolicæ, ac consequenter ejus Nunciis subjectas in primis, & ante omnia revocans quæcumque privilegia, aut exemptiones concessas cuivis Ordini Mendicantium, vel Monachorum, etiam Sancti Benedicti, Cistercien. Præmonstraten., Cluniacen., aut aliis, de quibus specialis mentio fieri deberet, vel cuicumque Congregationi, aut societati etiam Jesu, etiam particolari nota dignę, cum Sacrum Concilium Tridentinum per dispositionem Capit. *Causæ omnes* Sess. 24. de reformat. Regulares non comprehendat, prout fuerat a Romanis Pontificibus ipsius Urbani, nostrisque Prædecessoribus declaratum; voluit, ut ab omnibus præfatis Nuncius dictæ Sedis in Regnis Hispaniarum pro tempore residens pro Ordinario, & Superiore agnosceretur, & alias, prout in ejusdem Urbani Prædecessoris literis in simili forma Brevis die 27. Aprilis 1641. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem Nos præfatam Urbani Prædecessoris voluntatem

Supplicatio.

tem exacte observari, plenumque robur, & effectum habere volentes, motu proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione, nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine revocationem privilegiorum, & exemptionum Regularibus concessarum hujusmodi, eorumque subjectionem præfato Nuncio a memorato Urbano Prædecessore, sicut præmittitur, factam, etiam Monachos Congregationis Hispaniæ dicti Ordinis S. Bendicti comprehendere tenore præsentium declaramus. Et quatenus opus sit eadem privilegia, & exemptiones cuivis Ordini Mendicantium, vel Monachorum etiam ejusdem Sancti Benedicti, Cistercien., Præmonstraten., Cluniacen., aut aliis, de quibus specialis mentio fieri debeat, vel cuicumque Congregationi, aut Societati, etiam Jesu, etiam particulari nota dignæ sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, præservativis, mentis attestativis, restitutionis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, aut ad quarumvis personarum etiam Imperiali, Regali, Ducali, aliave qualibet mundana, vel ecclesiastica dignitate præditarum instantiam, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quandocumque concessa, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbata, & innovata, quorum vigore, colore, seu prætextu præfatæ personæ Regulares a jurisdictione Ordinariorum exemptæ, dictæque Sedi immediate subjectę memoratū Nuncium pro Ordinario, & Superiore juxta supradictam Urbani Prædecessoris voluntatem agnoscere sese non teneri, seu illi non subjacere quovis modo prætendere possent, denuo revocamus, ac cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus.

Confirmat prout in rubr.

Clausulæ.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, etiam speciali, & individua mentione dignæ existant, ad ea citati, vocati, & auditi non fuerint, nec causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, & justificatæ extiterint, seu ex alia quacumque quantumvis juridica, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, restringi, invalidari, retractari in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, nec easdem præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium declaratis nunc revocationum, & annullationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis unquam comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Urbanus Prædecessor in suis literis præfatis voluit non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, insertis, servatis, & expressis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personę in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 12. Sept. 1661. An. VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Sept. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Con-

CCCLVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo Fratribus Cappuccinis, aliisve cujuslibet Ordinis Regularibus novorum Conventuum, seu Domorum Regularium Fundationes, & Erectiones absque Sedis Apostolicæ expressa licentia prohibentur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§.1. Alias pro parte dilecti filii Joannis Ortiz de Zurate Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum professoris Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum felic. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster considerans, in Provincia Carthaginen. dicti Ordinis, licet valde angusta, triginta tres, & ex illis octo Fratrum Recollectorum, & Reformatorum nuncupatorum Conventus contineri; Provinciam vero Sanctorum Joannis Baptistæ, & Josephi in ejusdem Regionis circuitu septem Conventus habere, aliosque de novo erigere, unde seculares prægravabantur; dicti vero Recollecti ex eleemosynis quotidianis vivere nequibant, sed a puritate regulæ recedere cogebantur, eleemosynas ad sui sustentationem accumulando, quinimo ob multitudinem Conventuum, necesse illis erat Novitios omnis generis recipere, per quasdam suas in simili forma Brevis Literas mandaverat, ne ex tunc in posterum ędificari possit ullus Conventus intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a Conventibus erectis, seu erigendis a præfatis, prout in eisdem Literis die 2. Julii 1601. expeditis uberius dicitur contineri; Et in eadem expositione subjuncto, quod in Provincia Burgen. dicti Ordinis in Castella consisten. eadem, ac etiam majora nascebantur inconvenientia, cum intra spatium triginta sex leucarum Regionis majorem partem sterilis, & montanæ viginti quatuor Conventus Fratrum d. Ordinis, ac tria Oratoria, necnon sex Conventus Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum reperirentur, præter tres fundationes controversas, ac circiter quadraginta Domos Religiosorum diversorum Ordinum, ex quibus, & seculares valde onerabantur, & variæ ea de causa tam inter seculares, quam inter regulares oriebantur discordiæ, non sine regularis observantiæ detrimento: Ideoque Congregationi præfatæ supplicato, ut ordinaret ne in dicta Provincia ad ullam novorum Conventuum tam Fratrum Cappuccinorum, quam aliorum Regularium Fundationem deveniretur: emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Sacræ Congr.

Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac memorato Brevi san. mem. Clement. VIII. censuit, & decrevit servandam esse formam, ac tenorem ejusdem Brevis; Ideoque nedum Fratribus Cappuccinis, sed etiam aliis cujuslibet Ordinis Regularibus novorum Conventuum, seu Domorum Regularium hujusmodi fundationes, & erectiones absque Sedis Apostolicæ expressa licentia esse prohibendum, & interdicendum, prout harum serie prohibet, ac interdicit contrariis non obstantibus quibuscumque. Romæ 12. Augusti 1661.

M. Cardinalis Ginnettus.
E. Episcopus Camerinen. Secretarius.

§.2. Cum autem, sicut prædictus Joannes Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsum Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis, super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Confirmat decretum.

§.3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & ex- Contrariorum tollit.

expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Sep 1661. An. VII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 16. Sept. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLVIII.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium super observatione ab Ordinariis, & aliis Judicibus delegatis Regnorum Hispaniarum Constitutionum Clementis VIII., & Gregorii XV. de novorum Conventuum erectionibus, circa appellationem suspensivam pro Provincia Burgen. Ordinis Minorum S. Francisci.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio. Alias pro parte dilectorum filiorum fratrum Provinciæ Burgen. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis. & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod per Constitutionem felic. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri super novorum Conventuum erectione editam cavebatur expresse, quod si a sententiis Ordinariorum in hujusmodi causis ad Sedem Apostolicam provocari, & appellari contingeret, ipsi Ordinarii tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere deberent quousque a Sede Apostolica præfata in eadem causa pronunciatum existeret; ac in decreto dictæ Congregationis dudum rec. mem. Gregorii XV. etiam Prædecessoris nostri jussu emanato disponebatur, quod si a decretis per Ordinarios ipsos in causis hujusmodi ferendis legitime appellari contingeret, ex tunc prout ex ea die qua appellatio interponeretur, ea ad eamdem Congregationem una cum toto negotio principali devoluta esse censetur, appellationeque hujusmodi pendente nihil innovandum esset: Et nihilominus Ordinarii, aliique Judices in talibus causis delegati de facto exequebantur eorum sententias in gravissimum partium damnum sub pretextu, quod Constitutio, & Decretum hujusmodi in usu non essent in eisdem Regnis. Ac in eadem expositione subjuncto, quod dicti Exponentes in præfata Provincia Burgen. viginti quatuor Conventus antiquissimos habebant, eisque sæpissime movebantur lites super erectione novorum Conventuum ab aliis Religiosis, ac specialiter a Fratribus Minorib. Ordinis ejusdem Sancti Francisci Cappuccinis nuncupatis, a quibus intentatæ multæ lites actualiter pendebant; ipsi vero Exponentes verebantur, ne contra formam Constitutionis, & Decreti præfatorum sententiæ ab Ordinariis, & Judicibus delegatis de facto exequutioni demandarentur: Ideoque memoratæ Congregationi supplicato, ut in exequutionem libelli supplicis ipsi Congregationi a Nobis remissi declararet, & decerneret, dispositionem Constitutionis, & Decreti hujusmodi, præsertim circa appellationem suspensivam locum habere debere in dicta Provincia Burgen., ac in omnibus Regnis Hispaniarum, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negociis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, censuit comittendum, & injungendum, prout præsentium tenore injungit Archiepiscopo Corinthi Nuncio Apostolico apud Regem Hispaniarum, ut comperta veritate expositorum memoratas Constitutiones san. mem. Clementis VIII., & Gregorii XV. circa præmissa mandet, omnique conatu studeat adimpleri, & observari; asserto contrario usu minime obstante; si quid vero ex adverso relevans deducatur, id ad eamdem Sacram Congregat. referat. Romæ 23. Septembris 1661. Sacræ Congr. Decretum.

M. Card. Ginnettus.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Decreti confirmatio.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit quorumvis Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium Contrariis derogat.

præ-

præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 27. Oct. 1661. An. VII. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Pisc. die 27. Oct. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLIX.

Approbatio Constitutionum, & Reformationum Collegiorum Capranicensis, & Nardini cum suppressione Protectoris dicti Collegii Capranicensis, ac quatenus opus sit nova concessio jurisdictionis, gubernii, & aliorum ejusdem Collegii Custodibus, & Gubernatoribus Archiconfraternitatis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum juxta formam prædictarum Constitutionum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. §. 1. Alias postquam bon. mem. Dominicus unum Capranicense, & Stephanus S.R.E. Cardinales de Capranica, & Nardinus respective nuncupati alterum Nardinum respective nuncupata Collegia in Urbe fundaverant, erexerant, & dotaverant, ac Constitutiones, & statuta pro vita, moribus, habitu, vestitu, & professione inibi Studentium Scholarium ediderant, ac eorumdem Collegiorum Gubernatores tunc, & pro tempore existentes Custodes pii Hospitalis Imaginis Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum de eadem Urbe creaverant, & esse voluerant, necnon eisdem Custodibus Gubernatoribus omnimodam potestatem Scholares, aut Studentes prædictos gubernandi, & juxta eorum demerita corrigendi, mulctandi, & puniendi concesserant, aliaque statuerant, & ordinaverant, prout in eisdem Constitutionibus, & Statutis uberius continetur. Et fel. rec. Paulus Papa III. Prædecessor noster non sine animi sui molestia accepto, quod Scholares, & Studentes prædicti contra proprium ipsorum juramentum non observabant, & iisdem mandatis tunc existentium Custodum Gubernatorum prædictorum non obediebant, & ipsis in dies contradicentes a Signatura Justitiæ Causam, & Causas contra Constitutiones, & Statuta, ac Custodes Gubernatores hujusmodi diversis Judicibus, non minus nulliter, quam indebite committi facere non erubescant, calumniis, & fraudibus prædictis obviare volens, motu proprio, & ex certa scientia suis, omnes & singulas Causas prædictas pro parte eorumdem Scholarium, & omnium in eisdem Collegiis habitantium coram quibuscumque Judicibus tam ordinariis, quam commissariis, & tam commissas, & pendentes, quam in futurum committendas, in statu, & terminis, in quibus reperiebantur, ad se avocaverat, ac tunc, & pro tempore existentibus Custodibus dictorum Collegiorum Gubernatoribus, & omnium in eisdem Collegiis habitantium, & sub eorumdem Statutis degentium Judicibus ordinariis, cum omnibus eorum incidentibus dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis juxta formam Constitutionum, & Statutorum Collegiorum hujusmodi audiendas commiserat alias in præmissis, & circa ea mandaverat, prout in ejusdem Pauli Prædecessoris literis, etiam per piæ mem. Paulum Papam IV. similiter Prædecessorem nostrum confirmatis tenoris subsequentis.

Decretum Pauli IV. Paulus Papa IV. Ad futuram rei memoriam. Piis quomodolibet votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Custodum Societatis Sanctissimæ Imaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe Nobis exhibita petitio continebat, postquam a fel. rec. Paulo Papa III. Prædecessore nostro emanaverat infrascriptum rescriptum, cujus tenor sequitur, & est talis: Motu proprio. Cum sicut accepimus non sine animi nostri molestia, quod licet laudabiles Constitutiones, & Statuta tam Collegii Capranicensis, quam Nardini per Scholares, & Studentes pro tempore dictorum Collegiorum observari debent, cum illas, seu illa etiam cum juramento servare promiserint, & mandatis dilectorum nostrorum Custodum Venerabilis Societatis Sanctissimæ Imaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe, & prædictorum Collegiorum Gubernatorum pro tempore existentium parere debuissent, cum illis per Fundatores eorumdem data fuit facultas, Scholares, & Studentes in dictis Collegiis gubernare, corrigere, mulctare, & punire secundum prædictorum Studentium demerita in eventum contraventionis; Nihilominus præfati Studentes prædictas laudabiles Constitutiones, & Statuta minime servare cupientes, & præsertim in vestiendo, & deferendo longas vestes cum caputiis juxta formam prædictarum Constitutionum, nullo habito respectu ad præmissa, imo in dies contradicentes mandatis prædictorum Custodum pro tempore existentium, & prædictis Sacris Constitutionibus, & Statutis, & contra ipsorum respective proprium juramentum, non observando prædictas Constitutiones, ac Statuta, sub prætextu paupertatis, & non habere modum induendi prædictas vestes, cum postea plures sericis utantur, ut tenentur prædicti Juramenti vinculo, & non erubescunt contra eorum proprium juramentum prædictas laudabiles Constitutiones, & Statuta in dies diversis Commissionibus a Sacra Signatura Justitiæ extorquere, & in contemptum prædictorum Dominorum Custodum Gubernato-

torum prædictorum Collegiorum, & Causam, & Causas prætensarum jactationum, & molestationum contra prædictos Dominos Custodes Gubernatores, & Præses eorumdem, illamque, & illas diversis Judicibus committere desiderant, & committunt,& committi obtinuerunt, licet indebite, & nulliter, cum nulli liceat præterquam Pontifici Romano, & propria ipsius Signatura similes Sacras Constitutiones permutare, volentes igitur calumniis, & fraudibus hujusmodi obviare, prout nostro incumbit officio pastorali, ac providere; Motu simili, ex certa nostra scientia, omnes, & singulas causas prædictas coram quibuscumque Judicibus tam ordinariis, quam commissariis, & tam commissas, & pendentes, quam in futurum committendas, per præfatos Scholares, & omnes in Collegiis habitantes in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, harum serie ad Nos avocamus, & dictis modernis, & pro tempore Custodibus dictorum Collegiorum Gubernatoribus, & omnium in dictis Collegiis habitantium, & sub eorum statutis degentium Judicibus ordinariis committimus, & mandamus audien., & terminan. juxta formam prædictorum Collegiorum prædictarum Constitutionum, & Statutorum, cum omnibus eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, connexis, & annexis, insuper mandantes, ut Statuta Collegiorum simpliciter, ut jacent, intelligantur nullis additis commentis, seu cavillationibus a Causidicis inventis, mandantes etiam, ut qui secundum Statuta conclusiones non habuerint infra tempus Constitutionum, ipso facto sine ulla monitione a Collegiis expellantur,& alii pro iis substituantur,& cogantur expensas Collegiis persolvere. Declarantes insuper auctoritate nostra Apostolica per præsentes tam Judices Ordinarios, quam Commissarios nullam penitus jurisdictionem habere, seu obtinere posse in Collegiales, & omnes in dictis Collegiis habitantes, & omnes, & singulas commissiones in posterum impetrandas, & adhuc impetratas tam sub nomine alicujus Collegii, quam particularium in Collegio seu Collegiis habitantium, tam de Scholaribus admittendis,& removendis nullas,& invalidas,& nullius roboris, ac momenti fore, & esse, nullamque in futurũ tribuere alicui Judici ordinario, vel delegato Jurisdictionẽ, cui, vel quibus commissum fuerit, vel committeretur in futurum, & volentes, quod quandocumque prædicti Scholares, vel aliquis eorum senserint de aliqua definitiva, seu sententia declaratoria ferenda per dictos pro tempore Custodes, se gravatos, quod tunc recursum habere possint ad dilectos filios nostros pro tempore Urbis Conservatores, tanquam Judices appellationum, & non ad alios Judices: Imo ipsis Judicibus tam Ordinariis, quam Commissariis inhibemus, præcipimus, & mandamus, quatenus sub pœnis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac nostræ indignationis, anathematis, ac mille

Sequitur decretum.

Ducatorum auri ipso facto Cameræ nostræ applicandorum, si secus fecerint, quod absit, a quibus quovis modo liberari non possint, præterquam a Nobis, vel pro tempore Romano Pontifice, irritum quoque, & inane, quicquid scienter, vel ignoranter factum fuerit secus, ipso jure fore decernimus, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, stylo Palatii, nomine, & cognomine prædictorum studentium causarum qualitates, & instantias, ac tenores Constitutionum, & privilegiorum, & illarum forsan Constitutionum, & aliorum hic exprimi necessariorum, status Causarum tam in prima, seu secunda, aut ulteriori instantia indecisa pendente, & alia quæ forsan de verbo ad verbum majorem expressionem requirant, pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Audiant præfati Judices, citent, procedant, ut petitur, & justitiam faciant, præmissis non obstantibus. Placet, & extracta fuit præsens copia ex alia cum suo originali auscultata, & collationata, ut a tergo dictę copiæ descriptum est, hac sub die 5. Junii 1550. Pro magnificis Dominis Guardianis Immaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe contra Rectores, & Collegiales Collegiorum Capranicen., & Nardini, etiam a tergo dictæ copiæ intitulata, & in filsa jurium productorum dicti anni 1550. reperta cujus originale etiam a tergo dictæ copiæ est descriptum fuisse restitutum,& consignatum Domino Petro de Cœlano, & cum eadem copia auscultata concordat, in cujus fidem hic me subscripsi manu propria die 14. Mensis Novembris 1658.: Joannes Antonius Curtus Curiæ Causarum Camerę Notarius. Ipsi Custodes sub quorum gubernio, & cura Scholares, & Studentes Collegiorum Capranicen., & Nardini hujusmodi reguntur, & gubernantur, ut quiete, honestè viverent juxta eorumdem Collegiorum respective Constitutionum formam dictum rescriptum tum Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, seu in illius Curia præsentari fecerunt, prout ex supradicta fide Notarii eidem Auditori Cameræ apparet. Cum tamen ipsius rescripti copia cum illius originali auscultata, non autem originale reperiatur, ne a nimium scrupolosis de ipsius rescripti validitate in futurum dubitari contingat, pro parte eorumdem Custodum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad omne dubium prorsus tollendum, quod copia rescripti hujusmodi, sicut præfertur auscultata fidem faciat mandare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica per præsentes committimus,& mandamus, quod supradictæ copiæ sic, ut præfertur, auscultatæ, a quibusvis Judicibus ordinariis, & extraordinariis, seu delegatis, & quavis dignitate, & auctoritate fungentibus in Judicio, & extra, ubique ple-

na fides adhibeatur,& quod aliter interpretari, cognosci, aut terminari non possit, neque valeat, quinimo quicquid per quemvis Judicem a die concessionis prædicti rescripti citra, de, & super administratione, ac rebus dictorum Collegiorum, vel alias contra formam prædicti rescripti factum fuerit, irritum, & nullius roboris, vel momenti sit, & esse debeat, & nihilominus potiori pro cauthela, dictum rescriptum quatenus opus sit, eadem auctoritate Apostolica per easdem præsentes confirmamus, illudque de novo concedimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Dec. 1558. Pontificatus nostri Anno IV.

B. Melchiorius.

Joannes de Leon.

Variorum Pontificum decreta recensentur.

§.2. Necnon rec. mem. Pius Papa V. pariter Prædecessor noster Constitutiones, & Ordinationes Pauli III.,& Pauli IV. Prædecessorum hujusmodi, ac eorumdem Collegiorum Constitutiones, & statuta prædicta, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus approbaverat, & confirmaverat, ac auxerat, & ampliaverat,prout in ejusdem Pii Prædecessoris Literis similiter plenius continetur. Et licet Paulus III. Paulus IV., & Pius V. Prædecessores præfati menti, & voluntati Dominici, & Stephani Cardinalium fundatorum prædictorum eorum Ordinationes, & statuta confirmantes consulere, & præsertim plenariam Jurisdictionem Custodum Gubernatorum prædictorum modo, & forma prædictis conservare voluerint, prout clarius colligitur ex Literis Pauli III. Prædecessoris prædicti; nihilominus, cum sicut accepimus, progressu temporis nonnulli alii Romani Pontifices pariter Prædecessores, & præsertim similis recol. mem. Innocentius Papa X. in Protectorem ejusdem Collegii Capranicensis venerabilem Fratrem nostrum Antonium, Barberinum Episcopum Tusculanum tum S. Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem Antonium nuncupatum, cum facultate, & auctoritate per eum, vel Judicem ab eo deputand. quascumque causas, tam civiles, quam criminales præfati Collegii Capranicensis, & illius Scholarium, personarum, & rerum, seu ad illos quomodolibet spectan., tam motas, quam movendas, audien., cognoscen., deciden., & terminan. per suas Literas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris motu, scientia, & matura deliberatione paribus deputaverit, prout in ejusdem Innocentii Prædecessoris Literis plenius continetur, tenoris sequentis videlicet a tergo.

Innoc. X. decretum.

Dilecto filio Antonio Sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali Barberino: Intus vero: Innocentius Papa X. Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem: Capranicensis Collegii protectionem per obitum bonæ memoriæ Tiberii Cardinalis Muti vacan., alicui Cardinali demandare cupientes, motu igitur proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione, Te dicti Collegii Capranicensis, ejusque Alumnorum, & Personarum, ac redditu um, bonorum, & jurium omnium apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem quoad vixeris, tenore præsentium, auctoritate apostolica facimus, constituimus, & deputamus, tibique cum omnibus, & singulis privilegiis, honoribus, & oneribus, auctoritatibus, & facultatibus ad hujusmodi Protectoris officium de jure, usu, & consuetudine, ac alias quomodolibet pertinen., & præsertim potestate per te, vel per Judicem a te deputandum Causas, tam civiles, quam criminales ejusdem Collegii Scholarium, personarum, & rerum, seu ad ipsos quomodolibet spectan. tam motas, quam movendas audien., cognoscen., & fine debito prout juris fuerit deciden., & terminan., uti, frui, & potiri possis, & valeas auctoritate, & tenore præsentium concedimus, & indulgemus; Mandantes dilectis filiis Gubernatoribus, Guardianis, & Rectori, & Scholaribus dicti Collegii, cæterisque, ut te in Protectorem dicti Collegii reverenter suscipiant, tibique in omnibus officium Protectoris hujusmodi concernen. cum effectu pareant, obediant, & intendant, tuaque salubria monita, & mandata prompte, & efficaciter adimplere procurent. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ apud S Petrum die 31.Octobris 1644.Pontificatus nostri Anno I.

Et occasione Literarum Innoc. Prædecessoris prædicti quæstionis materiam inter Antonium Cardinalem, & Protectorem ex una, & dilectos filios Custodes Gubernatores prædictos ex altera partibus, super jurisdictione gubernandi dictum Collegium Capranicense, & illius Scholares, & personas corrigendi, mulctandi, & puniendi, & eorumdem causas audien., & deciden., orta fuerit, Nosque quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa etiam cordi est, ut semotis contraversiarum, & quæstionum anfractibus inter Christifideles quoslibet, & præsertim Antonium Cardinalem, ac Custodes Gubernatores præfatos, jus suum unicuique, ut decet, tribuatur, differentias super gubernio, & jurisdictione, aliisque prædictis, aliquibus Romanæ Curiæ insignibus Prælatis, virtute, meritis, & integritate pollentibus, mature, & diligenter examinan., ad hoc, ut Nobis jura, tam Antonii Cardinalis, & Protectoris, quam Custodum Gubernatorum prædictorum, & eorum vota referrent,commisserimus, habitaque relatione jurium, & votorum prædictorum super differentiis hujusmodi, de bono jure Custodum Gubernatorum clare constare, & jurisdictionem, & Gubernium hujusmodi non ad Antonium Cardinalem, & Protectorem, vigore dictarum Literarum Innocentii Prædecessoris prædicti, sed in vim Constitutionum, Statutorum, & Literarum Pauli III., Pauli IV., & Pii V præ-

prædictorum ad Custodes Gubernatores præfatos vere, realiter, plene, & effective spectare, & pertinere compererimus. Nos propterea his, & aliis rationabilibus de causis adducti, ac etiam piæ menti, & voluntati Dominici, & Stephani Cardinalium fundatorum prædictorum consulere, & jus suum unicuique, prout æquum est, tribuere, & ne in posterum similes differentiæ oriantur, quæcumque obstacula de medio in totum tollere; aliasque in præmissis opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, Pauli IV., & Pii V. Prædecessorum prædictorum, necnon Constitutiones, & Statuta Dominici, & Stephani Cardinalium memoratorum, quoad illas partes, quæ non adversantur reformationibus Constitutionum, & Statutorum hujusmodi de mandato nostro editis, ac easdem reformationes, omniaque, & singula in eis expressa, & contenta quæcumque speciali nota digna, & necessario exprimenda, & præsertim quoad jurisdictionem gubernandi Capranicense, & Nardinum Collegia hujusmodi, ac corrigendi, mulctandi, & puniendi Scholares, & Studentes, ac personas in eis degentes, & eorum causas quascumque tam civiles, quam criminales audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, juxta formam Constitutionum Cardinalium fundatorum cum omnibus, & singulis inde sequutis, & sequentibus quibuscumque apostolica auctoritate specialiter, & expresse approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, & singulos tam juris, quam facti, & solemnitatum quarumcumque, tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, seu stilorum, usuum, & consuetudinum, etiam immemorabilium præscripto, quam alias quomodocumque, & qualitercumque in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoscumque quantumvis magnos, & formales, ac substantiales defectus, si qui principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolitet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi nunquam possent, plenissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus, & nihilominus titulum, denominationem, essentiam, & qualitatem Protectoris, & protectionis hujusmodi perpetuo extinguimus, & supprimimus, itaut de cætero per nos, & Sedem Apostolicam nunquam alter Protector eidem Collegio Capranicensi deputari possit, necnon Literas Innocentii Prædecessoris prædicti cassamus, annullamus, & irritamus, ac pro cassatis, annullatis, irritis haberi volumus, & mandamus. Imo pro potiori cautela, & quatenus opus sit jurisdictionem, gubernium, & alia præmissa eisdem Custodibus Gubernatoribus de novo concedimus juxta formam prædictarum Constitutionum Cardinalis fundatoris.

Confirmat, ut in rub.

§.3. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam quod Antonius Cardinalis prædictus, & alii quicumque etiam similis dignitatis, seu cujusvis alterius status, gradus, ordinis, præeminentiæ, seu alia speciali nota, & expressione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, seu causæ, propter quas emanarunt adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiã in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quomodolibet quantumvis magno, & substantiali etiam inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse: sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac modernis, & pro tempore existentibus Custodibus Gubernatoribus plenissime, & perpetuo suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non alias in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Vice-Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quomodocumque functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulas apponit.

Et ab omni observari mãdat.

§.4. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon ejusdem Collegii Capranicen., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis tam Innocentii, quam quorumlibet aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quibuslibet etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque quibuscumque, sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie,

Derogatio contrariorum

etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idē importantes mentio, seu quęvis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter insertis, servatis, & expressis respective habentes, illis alias, non tamen Innocentii Prædecessoris per Nos cassata, annullata, & irrita, in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus specialiter, & expresse, ac plenissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Dat. die 31. Oct. 1661. An. VII. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die 31. Octobris 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Abrogatio Statuti per Capitulum Generale Militiæ S. Jacobi de Spatha Anno 1653. facti super probatione Nobilitatis Avorum, &c.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Expositio. §. 1. MAjestatis Tuæ nomine Nobis per dilectum filium Nobilem Virum Ludovicum de Guzman Ponce de Leon., tuum apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, quod cum per quoddam antiquum statutum Militiæ S. Jacobi de Spatha sub Regula S. Augustini, cujus Tu Administrator perpetuus auctoritate apostolica deputatus existis, caveretur expresse, quod qui in Fratrem Militem dictæ Militiæ recipi desideraret, nobilitatem suorum genitoris, & genetricis dumtaxat, quodque illi officia mechanica non exercuissent, probare deberet; Capitulum Generale ejusdem Militiæ Anno 1653. celebratum, remque in majus dictæ Militiæ decus cederet, faciendi ergo, statuit, ut ex tunc in futurum etiam Nobilitas Avorum paterni, & materni, quodque nec illi officia mechanica hujusmodi habuissent, seu exercuissent probari deberet. Verum paulo post compertum est novum statutum hujusmodi gravissimis inconvenientibus tam contra Militiam præfatam, quam contra illos, qui habitum per Fratres Milites ipsius Militiæ gestari solitum suscipere cupiunt, causam præbere: Nam cum dicti habitus concesso unum sit ex prœmiis majoris honoris, quæ Majestas Tua personis benemeritis, prælertim militibus post multorum annorum servitia, quibus facere æquum est, conferre solet, hujusmodi prœmium prædictæ novæ probationis onere per dictum novum statutum introducto ita coarctatur, ut illius incapaces reperiantur multi, qui juxta stylum antiquam illo decorari possent: ipsique prætendentes ad habitum hujusmodi admitti, post obtentam super ea re gratiam non sine nota remanent, dum probationes suæ nobilitatis juxta formam memorati novi statuti facere nequeunt.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Tu præmissis consideratis, de dilectorum filiorum Consilii Tui Ordinum Militiarum, necnon alterius peculiaris Congregationis Virorum gravissimorum, quibus negotium hujusmodi extra ordinem demandasti sententia expedire judicaveris, statutum novum hujusmodi abrogari, & antiquum restitui, quo disponitur, cum nobilitas genitoris, & genitricis dumtaxat quodque illi officia mechanica non exercuerint probetur, absque eo quod idem de persona Avorum probare sit necesse, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Motiva.

§. 3. Nos igitur Majestati Tuæ votis in pręmissis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, novum statutum supra expressum in Capitulo Generali Anno 1653. celebrato factum, auctoritate apostolica tenore præsentium abrogamus, & abolemus, ac præfatum antiquum dictæ Militiæ statutum, quo cavetur, ut nobilitas genitoris, & genitricis dumtaxat, quodque illi officia mechanica non exercuerint, ad effectum suspiciendi habitum Fratrum Militum ejusdem Militiæ probari debeat, itaut etiam concessiones habitus præfati illis, quorum probationes juxta novum statutum, ut præfertur, abrogatum factæ, ac in Consilio dictæ Militiæ retentæ, & pendentes existunt, necnon illis, qui habitus hujusmodi gratiam a Te jam obtinuerunt, nec probationes suas hactenus fecerunt juxta antiquum statutum hujusmodi fieri, & expediri possint, auctoritate, & tenore præfatis restituimus, & innovamus. Decretum confirmat.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquā quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

Non

Contraria tollit. §. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Militiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. Nov. 1661. An. VIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Novembris 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXI.

Statutum, ut in Provincia Portugalliæ Tertii Ordinis Sancti Francisci observetur Decretum Cardinalis Verallii Protectoris Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia, quo cavetur, ut Sententiæ privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis a Superioribus Ordinis latæ non promulgentur in ipso electionis actu, atque sic promulgatæ vocales minime afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. §. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Emanuel a Spiritu Sancto Frater Provinciæ Portugalliæ Tertii Ordinis Sancti Francisci, quod dudum bon: me: Fabritius, dum vixit S.R.E. Cardinalis Verallus nuncupatus Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum apud Sedem Apostolicam Protector Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Card. Veralli. Fabritius Divina miseratione tit. Sancti Augustini S. R. E. Presbyter Cardinalis Verallus nuncupatus totius Ordinis Sancti Francisci Minorum observantium Protector, Corrector, & Gubernator. Ad tollendas inquietitudines prædicti Ordinis, quæ in Capitulis Provincialibus ob vocalium privationem oriuntur, facto verbo cum Sanctissimo Domino nostro renovamus Decretum Prælatorum Visitationis Apostolicæ emanat. sub die 24. Oct. 1607. quod est tale. Privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis Decreta, Sententiæve ab eisdem Superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque eæ promulgatæ vocales minime afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatæ partim Sanctitas sua omnino vetuit. Quod Decretum omnino servari mandamus subpoenis nostro arbitrio infligendis contravenientibus. Concessionem vero, seu declarationem prædicti Decreti in contrarium factam a Sanctitate sua sub die 26. Novembris 1606. de ejusdem Sanctissimi Domini nostri mandato suspendimus. Datum Romæ ex ædibus nostris die 27. Maii 1616.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, plurimum expediat disposita per Decretum præinsertum immemorata Provincia Portugalliæ observari, attento quod ob impossibilitatem, seu distantiam legitimi recursus privationes illic absque remedio fieri, & accidere consueverunt; Nobis propterea dictus Emanuel humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Emanuelem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, habita relatione de præmissis, reque matura deliberatione perpensa, ad evitandas Capitulorũ Ordinis hujusmodi nullitates, quas sæpius prænarratis de causis evenire non semel experientia compertum est, auctoritate apostolica, tenore præsentium statuimus in memorata Provincia Portugalliæ Tertii Ordinis S. Francisci deinceps præinsertum Decretum præfati Fabritii Cardinalis perpetuo observari, atque juxta illius tenorem, & formam, & non alias, ad prænarratas privationes, si quandoque legitimæ causæ subsint, procedi, ac deveniri, prout observari, & non aliter procedi, ac deveniri respective auctoritate, & tenore prædictis mandamus, & præcipimus. Confirmatio Decreti.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 5. Quocirca dilectis filiis Vicariis Capitularibus Ecclesiarum Ulixbonen., & Elboren., & Colymbrien. illarum Sedibus Archiepiscopalibus, & Episcopali respective vacantibus legitime deputatis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse habentium fuerint requisiti easdem præsentes literas,

teras, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit. §. 6. Non obstantibus inobservantia dicti Decreti, quæ allegari posset, quodque prædicta Provincia Portugalliæ Tertii Ordinis dici nequeat de Ordine Fratrum Minorum de Observantia, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate præsentium ultra tres dietas in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibns, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictorum Tertii Ordinis, & Provinciæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficientes expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Nov. 1662. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Novembris 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXII.

Concedit undecim Congregationibus Monasticis, ut capiant ad censum, aut alio licito contractu 40. millia scuta monetæ pro prima solutione sex decimarum.

Vide ad Constitut. 335. Cum divina. *Supra fol.* 139. *quæ est Indictio sex Decimarum.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit. Nuper ut nomini Christiano contra impios Turcarum conatus, & invasiones opem ferremus, sex decimas fructuum, reddituum, & proventuum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac mensarum etiam quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium, necnon pensionum super illis reservatarum, ab illis, ad quos spectat, intra decennium decem æqualibus portionibus, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica concordatum foret, persolvendas; ac alias sub certis modo, & forma tunc expressis imposuimus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio. §. 1. Cum autem, sicut dilecti filii infrascriptarum undecim Congregationum, Procuratores Generales Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi nomine earumdem Congregationum cum Camera prædicta super solutione sex decimarum hujusmodi, mediante summa quadraginta millium scutorum monetæ eidem Cameræ intra totum currentem annum 1661. præstanda concordaverint, nec eis suppetat modus congerendi summam hujusmodi, nisi illam ad censum, aut alio licito contractu capiant: Nos specialem eisdem Procuratoribus Generalibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

Commissio in rubr. §. 2. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, Congregationibus prædictis, Cassinensium nimirum, & Montis Oliveti, Ordinis Sancti Benedicti, Lateranensium Canonicorum Regularium sub Regula S. Augustini, Cartusianorum, Camaldulensium, Cœlestinorum, S. Salvatoris Bononiensium, etiam Canonicorum Regularium, Vallis Umbrosæ, & Sancti Georgii in Alga pariter Canonicorum Regularium, Cisterciensiumque Lombardiæ, & Sancti Hieronymi, earumque Procuratoribus Generalibus quamvis ad hoc specie mandatum non habeant, vel eorum substitutis, & cum interventu dilecti filii nostri, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarii Generalis, etiam absque scientia, participatione, mandato speciali, vel generali, aut consensu Abbatum, & Priorum Generalium, seu aliorum quorumcumq; Superiorum, & Officialium quocumque nomine nuncupatorum earumdem Congregationum, imo ipsis invitis, & reclamantibus summam quadraginta millium scutorum hujusmodi, pro rata singulas Congregationes tangentes, a quibuscumque personis, seu Mercatoribus eornm fidem sequi volentibus, & meliorem conditionem offerentibus ad censum perpetuum redimibilem, servata tamen forma Constitutionis felic. record. Pii Papæ V. Prædecessoris nostri super creandis censibus editæ, seu alio quovis licito, & sacris Canonibus non improbato contractu, accipere, illamque penes Depositarium nostrum Generalem seorsum ab aliis nostris pecuniis deponere; itaut inde amoveri, nec in alios quam supradictos usus converti valeant, ac taxam aliquam inter se pro cujusque ipsarum facultate reddituum annuorum pro solvenda quadraginta millium scu-

ſcutorum hujuſmodi ſumma conſtituere, aut alias ratam partem redditnum, prout cuilibet ex Congregationibus prædictis minus incommodum, & damnoſum eſſe, ac magis expedire judicaverit, aſſignare, dictamque ratam Monti Novennali, aut Religionum applicare, quæ ſufficiat pro dicta ſumma quadraginta millium ſcutorum congerenda, factaque taxa hujuſmodi eamdem Monti Novennali, aut Regionum prædicto ultra alias taxas, quas ſingulæ Congregationes hactenus ſolverunt, & ſolvere obligatæ ſunt, aſſignare, applicare, & incorporare, ac ſuper taxa, ſeu rata ſic facienda, aſſignanda, & incorporanda totidem loca prædicto Monti cedere, quot pro ſumma prædicta quadraginta mill. ſcutorum congerenda neceſſaria erunt, necnon eiſdem omnibus Procuratoribus Generalibus, ſeu eorum Subſtitutis, poſtquam taxa hujuſmodi facta fuerit, tam pro emptoris, ſeu emptorum cenſuum prædictorum, ſeu eorum, qui pro congerenda ſumma quadraginta millium ſcutorum hujuſmodi aliquam pecuniarum ſummam eiſdem Procuratoribus, ſeu eorum ſubſtitutis, & eorum cuilibet, ut præfertur, dederint, vel alias erogaverint, ſeu pro eiſdem Procuratoribus, aut eorum ſubſtitutis in quibuſcumque cedulis banchariis, cambiis, obligationibus, contractibus, & quibuſvis pecuniarum hujuſmodi receptionibus fidejuſſerint, & intervenerint, ſecuritate, relevatione, & indemnitate, quam ſuper taxa inter ipſas Congregationes pro rata quamlibet ſuarum Congregationum reſpective tangente, nominatim dictas Congregationes, unuſquiſque Procurator Generalis, ſeu ejus ſubſtitutus, videlicet ſuam, etiamſi ab ea ſpeciale, aut generale mandatum in Capitulo Generali, aut alias juxta Conſtitutiones ipſarum Congregationum factum non habeat, omniaque, & ſingula earumdem Congregationum bona mobilia, & immobilia ubilibet exiſtentia, præſentia, & futura, principaliter, & in ſolidum ipſarum Congregationum nominibus omni meliori modo, ac in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ obligare, & ſpecialiter hypothecare, necnon ſuper præmiſſis, & illorum quolibet, & eorumdem præmiſſorum, & cujuslibet ipſorum occaſione quæcumq; inſtrumenta cum quibuſvis ſubmiſſionibus, renunciationibus, fidejuſſionibus, promiſſionibus, juramentis, cautionibus, conditionibus, cautelis, decretis, & clauſulis ſolitis, & conſuetis, ac alias neceſſariis, & opportunis, dicto Theſaurario, ac partibus ipſis bene viſis celebrare, aliaque pro perſonarum, & Mercatorum, ac etiam pro majori Montis prædicti, illiuſque Collegii, & omnium, qui ſuas pecunias in eodem Monte collocaverint, ſecuritate, ac alias ſuper his neceſſaria, & quomodolibet opportuna, etiamſi talia forent, quæ ſpecificam, individuam, & expreſſam requirerent mentionem, facere, & exequi.

Clauſulæ.

§.3. Ac ulterius ipſis modernis, & pro tempore exiſtentibus prædictarum Congregationum Procuratoribus Generalibus, ſeu eorum Subſtitutis, ut in earum quiſque Congregationibus taxam ut præfertur, faciendam pro rata eas reſpective tangente, inter Monaſteria, & Conventus earum dividere, & ab illis exigere, & Depſitario dicti Montis, quem ipſas Congregationes, tam pro præſenti additione, quam pro prima dicti Montis erectione, & illius additione alias facta, etiam modernum Depoſitarium, niſi Depoſitariam ipſam titulo forſan onoroſo obtineat, ad eorum libitum amovendo, deputare poſſe concedimus quotannis, prout de antiquis taxis, ſeu ratis fieri conſuevit, conſignare cum facultatibus, & auctoritatibus ſolitis libere, & licite poſſint, & valeant, ac omnino reſpective teneantur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur.

§.4. Præterea pro majori Montis prædicti, illiuſque Collegii Montiſtarum, necnon eorũ, qui pecunias ſuas in dicto Monte collocabunt cautela, & ſecuritate, ex nunc pariter prout ex tunc, poſtquam dictus Mons vigore præſentium ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit, quod tam antiqua, quam nova loca augenda hujuſmodi unum, idemque Montis corpus, ac ultimorum locorum emptores cum antiquis Montiſtis unum, idemque Collegium abſque aliqua prorſus ratione prioritatis, ſeu poſterioritatis differentia conſtituant, ac poſteriora loca, illorumque emptores omnibus, & ſingulis gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, & privilegiis, quibus antiquiora loca, illorumque Poſſeſſores juxta dicti Montis erectionis formam utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & potuerunt in futurum pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere poſſint, valeant, & debeant in omnibus, & per omnia, abſque aliqua ſimiliter differentia ſtatuimus, & ordinamus: volumuſque etiam, ac eiſdem Procuratoribus Generalibus, ſeu eorum ſubſtitutis, ut loca prædicta Montis vigore præſentium augendi cum interventu dicti Theſaurarii Generalis cuicumque Mercatori, ſeu aliis perſonis meliorem conditionem offerentibus pretio inter eos conveniendo vendere, & alienare, pretiumque inde redigendum, ut præfertur, & non alias deponere libere, ſimiliter, & licite poſſint, ac etiam omnino teneantur, facultatem ſimiliter impertimur.

§.5. Et nihilominus omnia, & ſingula præmiſſa, ac alia eorum vigore per dictas Congregationes, ſeu earum Procuratores Generales, aut illorum Subſtitutos cum interventu dicti Theſaurarii Generalis, & inſtrumenta deſuper celebranda cum omnibus in illis contentis, licitis tamen, & honeſtis, ac Sacris Canonibus non improbatis, ex nunc prout ex tunc, poſtquam facta, & celebrata fuerint, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis

tatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti, ac etiam substantialium forsan solemnitatum quomodolibet omissarum defectus, si qui in eisdem intervenerint, præcipue vero defectus mandatorũ specialium, ac generaliũ ad præmissa facienda requisitorũ motu, & scientia similibus pari auctorit. & tenore supplemus.

§.6. Declarantes quod per hujusmodi subventionem a Nobis ut petitur faciendam privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, tam per prædictum Pium Prædecessorem per ejus literas, sub data anno 1570. 14. Kalendis Aprilis, Pontificatus sui anno sexto, quam per piæ memoriæ Clementis Papæ VIII. similiter Prædecessoris nostri literas, sub annulo Piscatoris, die 5. Maii 1595. ac etiam per alias eiusdem Clementis prædecessoris literas in forma Motus proprii de anno 1597. seu alias eisdem Congregationibus concessis nullatenus præjudicatum sit, aut esse censeatur; imo privilegia, immunitates, exemptiones, & gratias prædictas, ac etiam omnes, & quascumque alias gratias, immunitates, & privilegia per quoscumque Prædecessores nostros quomodolibet concessa, quatenus tamen sint in usu, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adversentur, harum serie, quatenus opus sit, de novo confirmamus, approbamus, & innovamus, illaque eisdem Congregationibus inviolabiliter observari mandamus, etiamsi tam literæ prædictæ Pii V. quam Clementis Prędecessorum hujusmodi, & aliæ quæcumq; super prĕmissis in Camera Apostolica registratæ non essent, non obstante Constitutione similis memoriæ Pii IV. pariter Prædecessoris nostri de quibuscumque literis, & gratiis interesse Cameræ concernentibus registrandis: volentes etiam quod præsentes nostras in eadem Camera registrare, seu registrari facere minime teneantur.

Pontificum suorum Prædecessorum decreta confirmat.

§.7. Decernentes insuper ea omnia, & singula firma, valida, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac per omnes, & singulas Congregationes prædictas, perinde, ac si Procuratores, seu eorum Substituti prædicti illas cum speciali earum mandato obligassent, ac alios omnes, ad quos spectabit observanda esse, præsentesque literas nullo unquam tempore etiam ex eo quod prædictæ Congregationes, & quicumque alii, ad quos spectat, præmissis expresse, & nominatim non consenserint, aut alias quomodolibet de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut sub ullis revocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus, aut modificationibus comprehendi minime posse, nisi de earumdem præsentium toto tenore specialis, & ad verbum expressa mentio facta fuerit: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius Cameræ Apostolicæ Pręsidentes, & Clericos, ac S. R. E. Camerarium, Thesaurariumque prædictum, & alios dictæ Cameræ Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ

§.8. Quocirca dilectis filiis nostro, & S. R. E. Camerario, ac Thesaurario Generali prædicto, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, ac in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula in præsentibus expressa, & illarum vigore facienda quæcumq; ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recursu postpositis compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.9. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis præsertim felic. record. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. Pii V., & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, earumdem quoque Congregationum, & cujuslibet earum, Monasteriorumque singularium statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis etiam in vim contractus, aut Motu proprio, vel consistorialiter eisdem Congregationibus, illarumque Superioribus, & personis sub quibuscumq; tenoribus, & formis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quęvis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub

sub Annulo Piscatoris die 11. Nov. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio concordati in Capitulo Generali Ordinis Minorum S. Francisci facti circa electionem Definitoris Generalis, quod hic assumatur alternatim ex Provinciis Recollectorum Regni Galliæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, Exprovincialis, Custos, & Definitores Provinciæ S. Sacramenti in Gallia Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod alias pro eorum parte Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, concordatum in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1658. in Hispania celebrato inter Fratres Recollectos vocales Provinciarum dicti Regni Galliæ circa electionem Definitoris Generalis, quod hic assumeretur alternative ex prædictis Provinciis juxta illarum institutionem factum, sancitum, & decretum nemine penitus discrepante, & omnibus, quorum intererat subscriptum, & acceptatum, ac per Decretum Venerabilis Fratris nostri Francisci Episcopi Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati prædicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris confirmatum fuisse, ideoque eidem Congregationi supplicato, pro dicti concordati observantia usque ad hæc tempora in usum deducta firmiter, & inconcusse, non obstante, quod aliqui Fratres hunc Ordinem tam solemniter factum, & concordatum tentassent evertere, & prædictam Provinciam S. Sacramenti in suo gradu susceptionis stantem privari Definitoriatu Generali etiam contra aliud statutũ in simili factum in alio Capitulo Generali habito Romæ anno 1625. & per quasdam fel. rec. Urbani Papa VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis literas eodem anno confirmatum, videlicet: Quod Definitor Generalis alternative eligeretur; præfata Congregatio ipsorum Exponentium libellum supplicem ad dilectum filium Vicecommissarium Curiæ dicti Ordinis pro informatione remisit, qui spondit, primo concordatum hujusmodi factum, & fundatum super statuto generali præfato per dictas Urbani Prædecessoris literas confirmato, non fuisse acceptatum a Capitulo Generali. Secundo Fratres familiæ hanc alternativam provisionem, seu electionem inter ipsos non admittere. Tertio eandem alternativam electionem esse contra Canones, & jura Ordinis, unde dicta Congregatio relationem hujusmodi prædictis Exponentibus ostendendam esse rescripsit.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat allegata a præfato Vicecommissario Curiæ nihil afficiant, attento quod prædictum concordatum vere, realiter, & cum effectu, toto Capitulo Generali vidente, consentiente, & approbante fuerit acceptatum, nec de hoc dubitari possit, cum in hujusmodi Capitulis Generalibus quælibet familia tam Reformatorum, quam non Reformatorum cujuslibet nationis semper congregari soleat in discretorio ad decernendum quicquid benevisum fuerit, & tale concordatum ad solos Recollectos pertinuisset approbare, vel ab ea recedere, juxta Literas Apostolicas institutionis, & erectionis ipsorum Recollectorum a rec. mem. Clemente Papa VIII. Prædecessore pariter nostro emanatas; illudque taliter sancitum prædicti Recollecti approbaverint; Unde comprobatum remanet, vere acceptatum fuisse a Capitulo Generali, & confirmatum a memorato Francisco Cardinale Protectore, quicquid secus dixerit dictus Vicecommissarius Curiæ: Cumque tanta sit differentia inter Fratres familiæ, & Fratres Recollectos, sicut inter Reformatos, ut sicut Reformati in regulæ, & Constitutionum observantia non debent sumere exemplum a non Reformatis, sic nec se conformare in assumptione unius Definitorii Generalis; Ex quo comprobatur, quod alternativa prædictarum Provinciarum in electione Definitoris non est contra Canones, & jura Ordinis, dum electio Ministri Generalis, quæ est principalior, est alternativa ex utraque familia, neque ex hoc tollitur libertas, ut gratis asserit idem Vicecommissarius Curiæ, in casu etiam eorumdem exponentium, dum alternative fit electio juxta ordinem, institutionem, & erectionem Provinciarum predictorum Recollectorum, cum semper liberum fuerit unicuique electorum, si non inveniantur, aut adsint in Capitulo, vel Congregatione Generali ex Provincia, quæ succedit, successive in alia ex ordine suo Definitores eligere. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum confirmat.

§ 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem Vicecommissarii Ordinis hujusmodi audiverunt, consilio, attentis narratis, præfatum Decretum, seu con-

concordatum auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eique apostolicæ auctoritatis robur adiicimus, ac proinde juxta illius tenorem, & formam per eos, ad quos spectat deinceps fieri, servarique mandamus, & præcipimus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Nov. 1661. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Novemb. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXIV.

Secret. Brev. Ex Regest. in Divinæ Ordinationes circa Magistros privilegiatos Provinciæ S. Guilhelmi Franciæ Ordinis Eremitarum S. Augustini.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. IN supremo Justitiæ throno, meritis licet imparibus, a Domino constituti, inter varias, gravissimasque curas, quæ animum nostrum assidue pulsant in illam peculiari studio incumbimus, ut exortas inter Christifideles quoscumque, & præsertim illos, qui ex fluctibus seculi in religiosæ vitæ portum confugerunt, controversias æqua lance dirimere, ac eorum quieti opportunis rationibus consulere satagamus, prout omnibus debite consideratis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§.1. Itaque causam privilegiorum contradictorie agitatam inter dilectos filios Magistros, seu Doctores Theologos Provinciæ S. Guilhelmi Franciæ Ordinis Eremitarum S. Augustini, ex una, Provincialem, & Exprovinciales ejusdem Provinciæ ex altera partibus, atque Definitores intervenientes in eadem causa cum quibusdam aliis dictæ Provinciæ componere cupientes, necnon dilectum pariter filium Procuratorem Generalem dicti Ordinis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui partes denuo audiverunt, & referentibus tribus ex ipsis Cardinalibus specialiter deputatis, rem iterum diligenter considerarunt, & mature discusserunt, consilio, inhærendo Decreto priori emanato sub die 8. Aprilis currentis anni, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, & statuimus in dicta Provincia in futurum perpetuo admittendos esse decem Magistros tantum cum privilegiis, ut infra, eosque nonnisi, qui antea receperint legitime Laureolam Doctoratus in aliqua Universitate approbata in Regno Galliæ, prævia tamen licentia dilecti filii Prioris Generalis Ordinis præfati de voto suæ Congregationis in scriptis habita, & cum expressione Universitatis, in qua licentiatus erit laureandus, si insuper post expletum Philosophicum, ac Theologicum in studendo cursum, deinde ad minus per sexennium ipsam Philosophiam, & Theologiam, vel Sacram Scripturam honorifice docuerint, aut per decennium saltem in principalioribus Ecclesiis laudabiliter concionati fuerint, ac præterea prævio rigoroso examine intra eandem Provinciam faciendo per tres Examinatores ipsiusmet Provinciæ a Priori Generali cum voto suæ Congregationis deligendos ex novem Fratribus in quolibet Capitulo provinciali a Definitorio nominandis sufficientes reperti, & jurato fideli testimonio eorumdem Fratrum examinatorum commendati fuerint, & hos sic legitime promotos, atque juxta præfixum Doctorum numerum cooptatos frui debere privilegiis loci, & vocis juxta Constitutiones Ordinis, salva in reliquis, & illibata permanente ipsius Provinciæ Observantia regulari, præsertim quoad vitam communem, & frequentiam Chori, & Refectorii. Præterea decernimus in dicto numero denario Magistrorum privilegiatorum hac prima vice admittendos esse, prout de facto admittimus non requisita Provinciæ acceptatione, & sine alio novo examine octo Magistros actu existentes, videlicet Franciscum Viogne modernum Assistentem Franciæ, Bartholomeum Naudelt Exprovincialem, Raphaelem Alonche Exprovincialem, Jacobum Durandeau primum Definitorem, Carolum Moreau,

Augu-

Augustinum Robert, Martialem Layard, & Ignatium Langlois dicti Ordinis professores in Sacra Theologia Magistros, qui omnes cum licentia Prioris generalis olim sumpserunt gradum Doctoratus; necnon, & alios duos nondum Doctorali Laureola insignitos, postquam (ut supradictum est) legitime eam assequuti, & cæteri conditionibus, & requisitis supra positis prædicti, & successive de licentia Prioris Generalis per examinatores Provinciæ examinate, & legitime approbati fuerint, vel etiam respective alios non dissimiles (si qui prænominatorum forte Magistrorum privilegia recusaverint, vel procurare neglexerint) a Priore Generali de voto suæ Congregationis deputandos, & constituendos. Verum data pro tempore dicti numeri denarii quacumque vacatione per mortem, aut per excorporationem perpetuam ab ipsa Provincia, & non alias alicujus ex Magistris intra eundem numerum actu privilegiatis, tunc per Priorem Generalem de voto suæ Congregationis unus, vel plures in loco, seu locis vacantibus ex antiquioribus graduatis ad formam præscriptam, & concurrentibus aliis requisitis, ac prævio examine, & approbatione, ut supra subrogentur, & in proxime futuro Definitorio omnino acceptentur, & admittantur. Cæterum premissa omnia, & singula ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, necnon inhabilitatis ad illa de cætero obtinenda per contraventores ipso facto absque alia declaratione incurrendis poenis inviolabiliter observari mandamus, & precipimus.

Clausulæ. §.2. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Petro Archiepiscopo Tolosan., ac Henrico olim Rhedonen., & Harduino Rutenen. Episcopis per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes literas, cum eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet ipsarum præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas, & alias censuras, & penas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Contravenientium pœnæ.

§.4. Non obstantibus quoad singula præmissa quibuscumque oppositis determinationibus, seu definitionibus dictæ Provinciæ, etiam per Priores Generales Ordinis confirmatis, ac specialibus literis, & mandatis eorumdem Priorum Generalium aliter disponentibus, necnon Congregationis præfatorum Cardinalium Decretis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, ac Concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate præsentium ultra tres dietas in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciæ, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Nov. 1661. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 19. Nov. 1661. An. VII.

CCCLXV.

Diversæ Ordinationes in negotio Decanatus Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntin. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

JUstitiæ exigit ratio, ut Romanus Pontifex Ecclesiæ universalis regimini divina providentia præpositus ita se præmiorum, ac poenarum fidelem præbeat dispensationem, ut quos propria virtute, ac meritis dignos, & Apostolicæ Sedi (ut par est) obedientes agnoverit, gratiis, & favoribus prosequatur, eos autem, quos animis, moribusque depravatis contumaces, ac inobsequentes experitur, justa animadversione coerceat. Ita enim fiet, ut virtutibus, ac vitii congrua retributione distinctis, & illæ plurimum excitentur, & hæc valide compescantur, atque inde optata tranquillitas, & pax in muneris Pastoralis exe- Procemium.

executione ad Omnipotentis Dei gloriam consequantur.

§.1. Siquidem cum alias Nos Ecclesiæ Bisuntinæ Archiepiscopum, & Pastorem eligentes, ac præficientes Ven. Fratrem Joannem Jacobum Fauche de Dompred, Decanatus primam ibidem dignitatem post Pontificalem apostolicæ provisioni affectam, quam ille tunc obtinebat, Nobis specialiter etiam reservaverimus, ac prædictam reservationem Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ nostris literis in forma Brevis dat. sub Annulo Piscatoris die 26. Februarii hujus anni insinuantes, eosdem monuerimus, ut personas optime meritas, ac servitio Dei, Ecclesiæque aptiores, Nobis suo testimonio quamcitius referrent, quarum unica dignitas probe conferri posset, prout nos omni personarum acceptione postposita collaturos asseveravimus; illis interea specialiter inhibentes, ne quid circa dictum Decanatum, aut Decani electionem agerent, vel attentarent, cujuscumque prætensæ facultatis, indulti, privilegii, consuetudinis, vel alio titulo, nisi eorum juribus (si quæ prætenderent, ad nostram audientiam relatis, nostraque declaratione, atque jussione expectata, quæ præcedente cognitione, ac deliberatione ad ipsorum notitiam delata fuisset: Declarantes irritum, & inane, quidquid secus in præmissis ab eis, vel aliquo, seu aliquibus eorum quomodocumque, & qualitercumque contingeret fieri, vel attentari. Quibus sane literis nostris ab eis receptis specialem Nuncium ad Nos miserunt Claudium Antonium Reud ex eorum gremio delectus, qui nostro præsentatus conspectui, literisque Capituli redditis dat. die 26. Aprilis ejusdem anni, quibus suam erga Nos, & Apostolicam Sedem devotionem, ac obsequium contestantes nostris super præmissis mandatis unanimem obedientiam profitebantur, benigne exceptus, ac subinde quatuor Curiæ nostræ Prælatos doctrina, & integritate præstantes informare jussus fuit, ut eorum auditis votis, certius reciperet Justitiæ complementum. Interea tamen dum hæc coram Nobis agerentur, convocato Capitulo, nonnulli ex eis, majorem forsan tunc interessentium partem constituentes, nostris non attentis mandatis, inhibitionibus, atque decretis, nullaque ad Nos delatæ, ac pendentis in audientia nostra cognitionis ratione habita, ad electionem Guglielmi Humberti Præcipiani, seu de Præcipiano Archidiaconi Majoris, cum eis præsentis, ac satagentis in ejusdem Ecclesiæ Decanum Majorem prosilire, ac in possessionem dictæ Dignitatis, ejusque bonorum, & jurium immittere, imo verius intrudere, locumque in choro assignare nulliter, perperam, & temerarie ausi fuerunt. Quare Nos præmissis omnibus attente perpensis, auditisque, etiam prædictis Prælatis, ac toto negocio mature considerato attendentes detestabilem hujusmodi dictorum Canonicorum temeritatem, & petulantiam, gravissimis quidem Canonicis quibusque pœnis justissime puniendam, ne Apostolicæ Sedis Majestas ab omnibus, præsertim autem ecclesiasticis personis maxime veneranda, contemnatur impune, & ecclesiasticæ disciplinæ observantia pernicioso inquinetur exemplo, veruntamen legum severitatem apostolicæ lenitatis moderatione temperare volentes, motu proprio, non ad alicujus super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberatione, & ex certa scientia, declaramus electionem prædicti Decani, & omnia, & singula circa eum acta, gesta, & possessionem, seu verius intrusionem, ac cætera quæcumque subsequuta, nullam penitus, & attentatam, nullaque, & attentata, & nullius roboris, aut momenti fuisse, & esse neque in quovis Judicio, tam petitorio, quam possessorio, & summariissimo, & meri facti prodesse, atque attendi posse, vel debere, sed eumdem Decanatum adhuc vacare, ut prius vacabat per promotionem prædicti Joannis Jacobi ad dictam Archiepiscopalem Ecclesiam, sublata cuicumque aliter judicandi, decernendi, ac interpretandi potestate, irritum prorsus, ac inane decernentes quidquid secus fieri, decerni, atque attentari contigerit.

Motiva hujus Constitut.

Ordinatio.

§.2. Insuper dicto Guglielmo Huberto Præcipiano tanti facinoris auctori, promotori, seu fautori nullum omnino in dicta dignitate, neque illius possessione, vel quasi, neque ad eam jus acquisitum fuisse, vel acquiri potuisse, sed ipsum perpetuo inhabilem, & incapacem ad prædictum Decanatum, & alia quæcumque Ecclesiastca Beneficia quocumque etiam novo titulo, causa, vel prætextu obtinendum, ac possidendum efficimus, reddimus, decernimus, ac declaramus, ut in eo quod sua ambitione deliquit, condignia animadversione puniatur, & facinoris sui damnabilem memoriam jugiter detestetur; Illi eadem auctoritate specialiter, expresseque mandantes, ut statim habita præsentium nostrarum literarum intimatione (quam si ille in Civitate Bisuntina præsens non sit, domi ejus habitationis, & ad valvas Cathedralis Ecclesiæ validam, legitimam, & sufficientem perinde acsi personaliter facta fuisset, fore decernimus) a possessione, seu potius occupatione, ac intrusione dicti Decanatus, ac ejus jurium, & bonorum recedere, illamque liberam prorsus dimittere, & relinquere, neque ad eam amplius redire, reverti, vel accedere, nullosque fructus, redditus, vel proventus exigere, vel etiam a sponte dantibus recipere audeat per se, vel alium, aut alios quosvis contra præsentis nostri interdicti, atque inhibitionis præceptum sub pœna excommunicationis eo ipso incurrendæ, cujus absolutionem Nobis tantum, ac Successoribus nostris reservamus; Et nihilominus si mandatis hisce nostris infra terminum novem dierum ab intimatione illi [ut præmissum est] facienda, quorum tres pro primo, alios tres pro ultimo Canonico peremptorio illi assignamus, prompte, & humiliter non paruerit, vel

Clausulæ pœnales.

vel ausu temerario per se, vel alios quacumque auctoritate, medio, causa, vel prætextu ausus fuerit aliquatenus se opponere, contraire, vel promptam obedientiam differre, ultra prædictæ excommunicationis incursum, exinde invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, amoveri, ejici, & expelli mandamus, & quoscumque illi, contra præmissa quoquo modo auxilium, favorem, & assistentiam tam in judicio, quam extra præstantes, ut præsentes nostræ literæ suam plenariam executionem non habeant, aut aliquatenus differatur, aut retardetur, eamdem excommunicationem eo ipso incurrere pariter decernimus.

§.3. Præterea eumdem Guglielmum Præcipianum, & singulos alios Canonicos, & quemlibet eorum, qui in ejus electionem per se ipsos, vel Procuratores consenserunt, ac vota dederunt, ab executione Sacrorum Ordinum, & ab exercitio quorumcumque officiorum suspendimus. Necnon eorum singulos ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum privamus voce activa, & passiva, & omnibus fructibus, & redditibus eorum præbendarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum [si quæ obtinent] quos per Episcopos, & Ordinarios locorum, in quibus eædem Præbendæ, ac Beneficia consistunt in pauperum eleemosynas distribui, & erogari jubemus. Et quotidianis etiam distributionibus, quas cæteris Ecclesiæ inservientibus accrescere decernimus. Nobis insuper reservantes prædictas pœnas contra eorum singulos augere, prout cujuslibet contumaciam magis exposcere cognoverimus.

Pœnas sibi augere reservat.

§.4. Et ne ipsi, aut aliquis eorum præsentium nostrarum literarum declarationis, suspensionis, & privationis ignorantiam ullo unquam tempore prætendere, aut allegare possint, imo publice omnibus innotescant, committimus, & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ infrascriptis exequutoribus deputatis, & eorum cuilibet insolidum, ut easdem nostras literas, seu earum copiam manu publici Notarii transumptam, in cujus calce nomina, & cognomina præfatorum, qui electionem hujusmodi temere, & attentate facere ausi fuerunt, describi, ac specificari faciant quandocumque, ac toties quoties fuerint eisdem exequutoribus, & cuilibet illorum præsentatæ, illas prædicto Guglielmo, & singulis ejus Electoribus prædictis intimari personaliter si in Civitate reperientur, sin minus domi eorum habitationis, & amplius valvis Ecclesiæ Cathedralis, seu majoris loci, in quo hæc agentur, affigi curent.

Edictum hoc publicari vult

§.5. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu etiam ex eo, quod interesse habentes forsan vocati non fuerint, vel aliter notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam ab eadem Sede emanatis, & imposterum emanandis comprehendi posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri debere; Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.6. Quocirca Ven. Fratribus Archiepiscopo Bisuntino, & Episcopo Andrevellen. suffraganeo, ac dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & Officiali Bisuntin., necnon aliis quibuscumque Ven. Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, eorumque Officialibus ubicumque existentibus, quibus præsentes nostræ literæ fuerint exhibitæ, ac præsentatæ per præsentes committimus, & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, aut quoties desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, faciant eas exequutioni omnino demandare, & suos plenarios obtinere effectus juxta earum continentiam, & tenorem, non permittentes eas quovis modo impediri, vel retardari: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, necnon illos sententias, censuras, & pœnas prædictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Sub pœnis edictum servari mandat.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac aliis apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac etiam prædictæ Ecclesiæ Bisuntinæ, atque etiam juramento, confirmatione apostolica, & quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque, vel quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas genegales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse

Contrariis derogat.

presse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Cæterum quia difficile foret earumdem præsentium literarum notitiam ad quascumque personas pervenire, & ubique illas præsentare, eadem auctoritate volumus, & decernimus, quatenus Transumptis earumdem præsentium literarum manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Dat. die 5. Dec. 1661. An. VII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXVI.

Innovatio Constitutionum, & Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione a peccato originali præservatam fuisse, editorum.

Conceptionis B.M.V. disputatio, quemodo sit prohibita, & punita, vide ad Constit. 158. Pii V. Tom. 4. Par. 3. fol. 138. Pauli V. Constitut. 262. Tom. 5. Par. 4. fol. 209. Et Greg. XV. Const. 68. Tom. 5. Par. 5. fol. 45.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SOlicitudo omnium Ecclesiarum, quam licet meritis, & viribus longe impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxie tenet intentos, & vigilantes, ut scandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate necesse est ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, utque exorta quam celerrime, & quam diligentissime amoveantur; nam iis per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus vero præbentur, præsens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis officii debito, & damnum summopere dolemus, & discrimine assidue urimur.

Motiva hujus Constitut.

§. 1. Sane vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sententium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas a felic. record. Sixto Papa IV. Prædecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus, & prorogata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria religiosorum Ordinum, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.

§ 2. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in Populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, & dissentiones, recol. mem. Paulus Papa V. etiam Prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publice doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Grægorius Papa XV. similiter Prædecessor noster ad privata etiam colloquia extendit; mandans insuper in favorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosancto Missæ Sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Supplicatio

§. 3. Nihilominus, prout Venerabiles fratres Episcopi fere omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos literis exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi earumdem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem Venerabilem Fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earumdem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus cultui, & festo secundum illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur, imo Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Christifideles a sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. nostri Prædecessores perdurant adhuc, & ex occasione eorumdem adversantium majora incommoda in posterum prudenter, & merito timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, ejusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

§. 4. Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semper Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ a Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili

bili huic pietati, & devotioni, & festo, ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratia a peccato originali præservatam, cupientesque in Chtisti grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & jurgiis, amotisque scandalis conservare: ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, & Decreta a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato originali præservatam fuisse, necnon & in favorem festi, & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

Ordinationes. Decreta Sixti IV., Pauli V. & Greg. XV. confirmat.

§.5. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & festo seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte, aut quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentes subiicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publice legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione; a quibus pœnis nonnisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: necnon eosdem aliis pœnis nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subiicimus per præsentes, innovantes Pauli V. & Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones, sive Decreta.

Clausulæ pœnales.

§.6. Ac libros, in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu loquutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariã opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique Prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subiicimus, quas in contrafacientibus huic nostræ Constitutioni superius inflximus.

§.7. Volentes quod contra hujus nostre Constitutionis transgressores, etiam regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cujuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam secularis, ut præfertur, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, aliiq; locorum Ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos stricte animadvertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impertimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire districte præcipimus, & mandamus.

Transgressores puniri mãdat.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis indultis, & Liter. Apostolicis quibusvis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeant, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam idem importantes clausulas mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis,

Contraria tollit.

sis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Sub privationis ab ingressu Ecclesiæ pœna hàc Const. publicari, & observari mādat.

§.9. Ut autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorumdem Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportune insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

Transumptorum fides.

§.10. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes literæ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum S. Joannis Lateranensis; ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio, & publicatio ita omnes, & singulos, ad quos spectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent.

Dat. die 8. Dec. 1661. An.VII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 8. Decembris 1661. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCLXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, quo indulgetur, ut in universo Regno Siciliæ Officium S. Agathæ Virginis, & Martyris, quod ab universali Ecclesia sub ritu semiduplici recitatur, posthac ritu duplici recitari possit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. EManavit alias ad instantiam dilecti filii nostri Camilli S.R.E. Presbyteri Cardinalis Astalii nuncupati Ecclesiæ Catanien. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulis, ac dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Catanien. a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Catanien.

Decretum S. Congreg.

Precibus Eminentissimi Domini Cardinalis Astalii Episcopi, necnon Civitatis Cataniæ benigne inclinata Sacrorum Rituum Congregatio indulsit, ut in universo Regno Siciliæ Officium S. Agathæ Virginis, & Martyris, quod ab universali Ecclesia sub Ritu semiduplici recitatur, posthac Ritu duplici recitari possit. Die prima Octobris 1661.

J. Episcopus Sabinen. Card. Sachettus.
Franciscus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congr. Secretarius.

Decretum confirmat.

§.2. Cum autem, sicut dicti Camillus Cardinalis, ac Communitas, & homines Nobis nuper exponi fecerunt ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent. Nos ejusdem Camilli Cardinalis votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac dictorum Communitatis, & homines singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. Dec. 1661. An.VII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Decembris 1661., Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Statuti a Congregatione generali Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum Provinciæ Conceptionis B.M.V. in Gallia. Anno 1621. editi conformiter ad explicationem ab alia Congregatione generali die 25. Junii proxime præteriti factam super præcedentia inter Exprovinciales, & Exdefinitores generales dicti Ordinis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, Definitor generalis, Custos, & Definitores Provinciæ Conceptionis B.M.V. Immaculatæ in Gallia Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod alias in Congregatione generali

rali ejusdem Ordinis Segoviæ in Hispania anno 1621. celebrata pro confusione, & ab usibus evitandis factum fuit Statutum generale pro Ultramontana familia super præcedentia Fratrum Provincialatus officio functorum, ac illorum, qui Definitores generales fuerunt, tenoris sequentis, videlicet.

Decretum. Deinde, qui Definitores generales fuerunt, qui etiamsi antea Ministri Provinciales fuerunt, alios, qui eodem munere functi sunt, sin minus, illos dumtaxat, qui post Definitoriatus munus expletum ad ministeriatum sunt promoti.

Quia vero Statutum sic enunciatum, & inviolate servandum a quibusdam varie explicabatur, unde quædam lites oriebantur in supradicta Provincia; ad has sedandas remissa fuit explicatio dicti Statuti ad Definitorium generale Congregationis generalis nuperrime celebratæ in Conventu Vallisoletano in Hispania die 25. Junii 1661. quod Definitorium generale denuo idem Statutum stabilivit, confirmavit, & explicavit per verba tenoris, qui sequitur, videlicet.

Deinde, idest post Exprovinciales, sedebunt, qui Definitores generales fuerunt, qui si antea Ministri Provinciales fuerint, alios, qui eodem munere Ministeriatus functi sunt præcedent, sin minus, idest si Definitores generales non fuerint antea Provinciales, illos dumtaxat præcedent, qui post Definitoriatus munus expletum ad Ministeriatum sunt promoti, idest solos Ministros futuros.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut paci, & quieti Provinciæ præfatæ consulatur, dicti Exponentes explicationem memorati Statuti in Definitorio generali Congregationis generalis Vallisoletanæ hujusmodi factam apostolicæ confirmationis robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii Vicecommissarii generalis Curiæ Ordinis hujusmodi audiverunt, consilio, attentis narratis, præfatum Statutum a Congregatione generali habita in Conventu Segovien. de anno 1621., ut dicitur, emanatum, conformiter ad præmissam explicationem factam ab alia Congregatione in Conventu Vallisoletano habita sub die 25. Junii currentis anni, auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, & confir- (Confirmat decretum.) mamus, & juxta illius tenorem, ac formam deinceps fieri, servarique mandamus, & præcipimus.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. (Clausulæ.)

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, præfatorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. (Contrariis derogat.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII. (Dat. die 10. Dec. 1661. An. VII.)

CCCLXIX.

Breve Beatificationis Francisci de Sales Episcopi Genevensis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Spiritus Sanctus, qui suo incomprehensibili judicio humilitatem, atque infirmitatem nostram posuit regere Ecclesiam Dei, quum in Divinis scripturis viros gloriosos, nimirum Sanctos laudari præcipit, eorumque sapientiam, & laudem narrari a populis, & nunciari ab Ecclesia docet Nos, atque illuminat quid nostris etiam temporibus agere debeamus. Quapropter Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in id solicite intendimus, ut non modo eorum, qui priscis, sed & qui proximis ætati nostræ seculis sanctitate, ac virtutibus eximie claruerunt, nomen, & gloria ubique gentium innotescat, pioque fidelium cultu, & honore palam veneretur. Atque ideo tendentibus nuper in id ipsum piis Catholicorum Regum precibus, Præsulumque, & Principum, aliorumque Christi famulorum votis, Nos libenter annuimus, prout matura consideratione præmissa ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ Catholicæ decus, & præsidium in Domino salubriter expedire cognoscimus. (Proœmium.)

§.1. Cum itaque charissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Francorum Christianissimus una cum Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac universo Clero, Proceribus, & Universitatibus Studiorum generalium Regni Galliarum, necnon charissima in Christo filia nostra Anna Francorum Christianissima, & Henriceta Angliæ illustris, Reginæ Viduæ, (Motiva.)

ac dilectus filius nobilis vir Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, & Pedemontii Princeps, atque universus Ordo Monialium Visitationis Beatæ Mariæ Virginis a Servo Dei Francisco de Sales Episcopo Genevensi institutus; præsertim vero dilectę in Christo filiæ Superior, & Moniales Monasterii Oppidi Annessii Genevensis Diœcesis, impetraverint alias ab hac Sancta Sede facultatem, ut processus fierent super non cultu, ac super inquisitione de vita, & moribus, heroicisque virtutibus, ac de miraculis, quibus prædictus Servus Dei Franciscus de Sales fulgere asserebatur.

§. 2. Cumque postmodum processus hujusmodi confectos Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus pręposita mature, acerrimeque discusserit; ac de eorum validitate, ac relevantia constare declaraverit: Nempe de hujus Servi Dei vitæ eximia sanctitate, & de assiduo virtutum theologicarum, Cardinalium, cæterarumque omnium exercitio: Immo ultra multiplicem, & miram hæreticorum ad veritatem Fidei Catholicæ conversionem, cum novem miracula insigniora ejus obitum consequuta, communi quasi voce sanctitatem ejus testantia, plene probari censuerit: quæ selecta ex processibus intercessione memorati Francisci ab Omnipotenti Deo edita recenserunt; ac præcipue duorum mortuorum suscitatio, cęci nati illuminatio, contractorum, ac præclusorum a nativitate subita, ac perfecta sanatio, Nosque declarationes hasce approbaverimus: Ideoque cum ipsi iidem Cardinales coram Nobis congregati, præviis etiam Consultorum suffragiis, unanimes affirmaverint, posse, quandocumque Nobis visum fuerit, ad solemnem hujus Servi Dei Canonizationem tuto procedi, atque interim indulgeri, ut idem Franciscus nuncupetur Beatus, ac aliquibus in locis de eo tanquam de Confessore Pontifice Officium & Missa recitari, ac solemniter celebrari possint.

Confirmatur prout in rub. §. 3. Hinc est, quod Nos piis supplicationibus inclinati Regis, Reginarum, ac Præsulum, qui etiam ad Nos Venerabilem Fratrem Henricum Episcopum Aniciensem hac super re nuper ablegarunt: necnon charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Regis Francorum Conjugis Christianissimæ, ac Sabaudiæ Ducis, aliorumque præfatorum, illis propensa benignitate libenter annuimus: ac de præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica, tenore literarum præsentium indulgemus, ut Dei Servus Franciscus de Sales olim Episcopus Genevensis, in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo celebretur Officium, & Missa de Confessore Pontifice singulis annis juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani, die scilicet 29. Januarii, qua ejus Corporis depositio in Ecclesia Monialium Sanctissimæ Visitationis Annessii in Sabaudia celebrata fuit.

Conceditur officium aliquibus locis. §. 4. Hæc vero concedimus in locis dumtaxat infrascriptis: nempe in omnibus Ecclesiis Monialium dicti Ordinis Sanctissimæ Visitationis, quem Beatus Franciscus instituit: In Cathedrali templo Lugduni, ubi diem clausit extremum: In Cathedrali Annessiensi, ubi sedit Antistes: In matrice Ecclesia loci de Sales, ubi natus est; & quidem sub ritu duplici majori. In Oppido vero Annessii, totaque Diœcesi Genevensi sub duplici minori, ac tam a secularibus, quam a regularibus utriusque sexus, ac etiam a Sacerdotibus quibuscumq; eò confluentibus, quantum ad Missas attinet. Præterea, præsenti dumtaxat anno a datis hisce literis inchoando, in supradictis, atque in singulis Cathedralibus Ecclesiis Regni Galliarum, ac Sabaudiæ, & Pedemontii ditionis, solemnia Beatificationis hujus cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori die a locorum Ordinariis constituta, & intra sex menses promulganda, celebrandi facultatem impertimur: Romæ vero in Ecclesiis S. Ludovici Gallicanæ, & S. Sindonis Sabaudiæ, ac Pedemontanæ Nationum, ac Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, solemnia hujusce Beatificationis intra bimestre proximum, postquam tamen illa in Basilica Principis Apostolorum celebrata fuerint, pariter celebrari concedimus.

Contraria tollit. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque decretis super non cultu, seu alias latis, aut promulgatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. §. 6. Volumus autem, ut harum literarum transumptis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium sacris Ritibus præpositorum subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Dec 1661. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 18. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXX.

Pro divisione Congregationis Clericorum Regul. de Somascha in tres Provincias.

Clerici Regulares de Somascha gaudent omnibus Privilegiis Ordinibus Mendicantibus concessis, & concedendis. Pauli V. Const. Ex quo divina. *Tom.* 5. *Par.* 2. *Eorumdem Privilegia confirmavit Clem. VIII. Constit.* 57. Decet. *Tom.* 5. *Par.* 2. *fol.* 438.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Pastorale fastigium superni dispositione consilii nullo licet meritorum no-

nostrorum suffragio evecti, in eam præcipue curam solicitis studiis incumbimus, ut Congregationes Religiosorum virorum in Ecclesia Dei pie, sancteq; institutæ, ac uberes bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre jugiter satagentes, prospere, salubriterque dirigantur; quo laudabilibus institutis suis inhærentes, amota quacumque controversiarum, & dissidiorum occasione felicioribus in dies, divina largiente gratia, proficiant incrementis.

Motiva.

§.1. Itaque, ut in Congregatione Clericorum Regularium de Somascha pax, & religiosa unitas conservetur, & dignitates, atque officia pro meritis personarum æqualiter distribuantur, providere cupientes, de voto Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum Almæ Urbis nostræ a Nobis institutæ deputatorum.

Divisio Provinciæ.

§.2. Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium statuimus, & decernimus, ut prædicta Congregatio Clericorum Regularium de Somascha divisa sit in tres Provincias, videlicet Lombardiæ, Venetiarum, & Romanam nuncupatas. Et Provincia quidem Lombardiæ contineat omnia loca, quæ in Statu Mediolanensi, & ditionibus adiacentibus dilectorum filiorum nobilium Virorum, Ducum Sabaudiæ, Mantuæ, & Parmæ, ac Dominii Helvetiorum possidet, vel possidebit dicta Congregatio. Provincia vero Veneta complectatur omnia loca, quæ continentur, seu continebuntur in Dominio Reipublicæ Venetorum, & principatu Tridentino. Provincia autem Romana comprehendat loca omnia posita, vel ponenda in reliquis Italiæ ditionibus. Porro quælibet ex his Provinciis locum unum probationis habeat communem omnibus nationibus, ex quibus Provincia coalescit, cum professoriis, quæ sufficiant pro educatione juventutis professæ.

§.3. Ad hæc quælibet Provincia habeat quatuordecim Vocales Capituli generalis, & si aliqua ex his de præsenti plures habet, qui electi sunt, retineant jus acquisitum: cæterum non deveniatur ad electionem novorum Vocalium pro hujusmodi Provincia, nisi postquam ejus Vocales infra quatuordecim fuerint, similiter quælibet Provincia mittat tres Socios, seu Discretos ad Capitulum generale.

§.4. Præpositi vero generalis dignitas per turnum detur non quidem nationum, sed prædictarum Provinciarum, & hic turnus incipiat anno proxime venturo 1662. a Provincia Romana, a qua transeat ad Venetam. Dignitates autem ex quibus constat Definitorium, cum omnes sint numero tredecim, æqualiter dividantur, itaut quælibet Provincia quatuor ex illis habeat; illa vero, cui per turnum Præpositus generalis continget, quinque.

§.5. Præterea ubi nunc inter dignitates Definitorii sunt duo Consiliarii, & quatuor Definitores, ut aptius divisio fiat, eligantur tres Definitores, itaut quælibet Provincia suum habeat Consiliarium, & suum Definitorem.

Sequuntur ordinationes.

§.6. Dignitates autem Præpositi gener. Vicarii generalis, & Procuratoris generalis hoc ordine distribuantur, ut cuilibet Provinciæ per turnum semper una ex his conferatur. Procurator vero generalis functus officio sit ipso jure per subsequens triennium Consiliarius suæ Provinciæ, nisi eligatur Præpositus generalis, aut Vicarius Generalis, aut Provincialis.

§.7. Porro nemo possit esse Superior in aliqua Provincia, qui filius ejus non sit. Et quidem qui jam professi sunt, intelligantur esse filii ejus Provinciæ, in qua nati sunt, sed qui in posterum professionem emittent, ejus Provinciæ filii censeantur, & sint, in qua ad Religionem admittentur, & in qua professionem emittent. Quilibet tamen sine ullo discrimine subditus esse possit in qualibet cujusvis Provinciæ Domo, salva ejus capacitate.

§.8. Nemo quoque ullo modo possit esse Superior in eadem Domo nisi per triennium, quo elapso alterum integrum triennium elabi debeat, priusquam ad ejusdem Domus regimen sub quovis titulo, sive Superioris, sive Vicarii admoveatur. Qui vero in proximo Capitulo generali anni 1662. reperientur aliquam Domum gubernasse per triennium, aut ultra, quovis demum titulo Superiores fuerint, a prædictæ Domus regimine removeantur.

§.9. Cæterum Patres Definitorii cæteris quibuscumque præcedant, & si quando contingat eos Subditos esse in aliqua Domo, immediate post Superiorem Domus sedeant. Visitatores vero Provinciarum in posterum Præpositi Provinciales appellentur, & quilibet habeat potestatem ordinariam supra quamlibet Domum suæ Provinciæ.

Clausulas apponit.

§.10. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis omni-

omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. §. 11. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisve Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Clericorum Regularium de Somascha, ejusque Provinciarum, & Domorum, Collegiorum, & locorum quorumcumque, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Congregationi, ejusque Provinciis, Domibus, Collegiis, & locis, ac Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimeretur, & insereretur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutę munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Dec. 1661. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Ut Capitulum Generale Congregationis Eremitarum Camaldulen. de quadriennio in quadriennium, & Dieta biennio post celebrationem Capituli hujusmodi respective haberi, & celebrari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. DEbitum pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, postulat, ut felici, prosperoque Congregationum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris religionis jugo mancipatorum regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, providere jugiter satagamus,

Supplicatio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Definitores Dietę Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium, quod multorum annorum experimento compertum est magno incommodo, & detrimento esse eidem Congregationi, quod singulis bienniis Capitulum quidem generale uno anno, Dieta vero generalis ipsius Congregationis altero respective celebrentur; nam cum dicti Eremitæ solitudini sint addicti, maxime dedecet eos videri totum annum per diversoria vagantes ex causa similium Dietarum, & Capitulorum, in quibus plurimæ fieri solent mutationes Religiosorum, & Priorum, qui, quod se in eodem gubernio diu non permansuros vident, utilitati Eremorum segnius dant operam, sæpeque contingit, ut quod unus inceperit, successor dissolvat, aut non prosequatur, quia sic opus ab aliis inchoatum. Accedit quod tam frequens Dietarum, & Capitulorum hujusmodi celebratio totam Congregationem præfatam, & præsertim Eremum Camaldulensem gravibus sumptibus onerat; quodque Superiores majores tam modici temporis spatio notitiam Eremorum, & negotiorum tam spiritualium, quam temporalium dictæ Congregationis capere nequeunt. Quinimò cum eadem Congregatio non solum in Italia, sed etiam in Polonia regione valde remota, benedicente Domino, propagata reperiatur, nec possunt Eremi Poloniæ singulis bienniis visitari, nec illarum Priores, ad Capitulum Generale venire, quod tamen fieri posset, si illud de quadriennio in quadriennium haberetur. Quare dicti exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cœtero Capitulum

tulum quidem Generale de quadriennio in quadriennium, Dieta vero Congregationis Camaldulen. præfatæ demum biennio post celebrationem Capituli Generalis hujusmodi respective haberi, & celebrari debeant, itaut primum quadriennium a Dominica tertia post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime præteritum computetur, & tertia Dominica post Pascha ejusdem Resurrectionis Dominicæ Anni 1665. expiret, ac tam moderni, quam futuri ejusdem Congregationis Superiores, qui in Capitulo Generali eligi solent, in suis respective muneribus quadriennio durent, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, ac perpetuo statuimus, & ordinamus.

Confirmat decretum.

Clausulæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ac aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. §.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personę in eccles. dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 3. Jan. 1662. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Januar. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Ut servetur Breve Sanctitatis suæ super ingressu Patrum Provinciæ Turoniæ Ordinis S.Francisci de Observantia in Definirium &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. ALias pro parte dilectorum filiorum Fratrum omnium Provinciarum in Regno Franciæ constitutarum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis exposito, quod antea postquam a felic. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro emanaverat Constitutio specialis pro Provinciis Hispaniarum, & Indiarum Ordinis præfati dumtaxat, omnes Patres Provinciæ, excepto Exprovinciali ab ingressu Definitorii excludens, recol. mem. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster Constitutionem hujusmodi ad totam familiam Ultramontanam dicti Ordinis per suas in simili forma Brevis Literas extenderat, ac in Definitorium, etiam Patrem Provinciæ antiquiorem admitti ordinaverat, idque instante Capitulo Generali memorati Ordinis de anno 1639. in Alma Urbe celebrato, cui Vocales præfatarum Provinciarum Regni Francię ob expressam prohibitionem eis a tunc existente Francorum Rege Christianissimo factam non interfuerant, prout nec Capitulo Generali ejusdem Ordinis successive de anno 1645. Toleti habito unde adversus præmissa reclamare, maximumque præjudicium, & detrimentum per extensionem hujusmodi memoratis Provinciis Regni Franciæ, in quibus (ut præfati Exponentes asserebant) ab immemorabili tempore omnes, qui per triennium Ministri Provincialis munere functi fuerant, voce activa in Definitorio ipsarum Provinciarum perpetuò fruebantur, omnibusque Congregationibus, & Capitulis tanquam Definitores perpetui intererant, illatum ostendere eatenus non valuerant: Et in eadem expositione subjuncto, quod exposito subinde in Capitulo Generali d. Ordinis in eadem Urbe ann. 1651. celebrato per Vocales dictarum Provinciarum Regni Franciæ præjudicio, & detrimento hujusmodi, per statuta generalia Ordinis præfati tunc edita, & a tunc existentium S.R.E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum Congregatione confirmata decretum fuerat, ut ab extensione, sicut præmittitur, a præfato Urbano Prædecessore facta exciperentur dicti Ordinis Provinciæ, quæ leges municipales auctoritate Apostolica firmatas, vel consuetudines immemorabiles in contrarium obtinentes habebant: Nos supplicationibus eorumdem Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & regularium præpositorum consilio, præfatas Urbani Prædecessoris literas non comprehendere Provincias Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Regni Galliæ, & quia illæ haberent in contrarium Leges municipales auctoritate Apostolica firmatas, seu immemorabiles consuetudines, ac propterea in dictis Provinciis omnes Patres Provinciæ gaudere debere voce activa in omnibus Capitulis, & Congregationibus provincialibus quemadmodum eatenus ab immemorabili gavisi fue-

Decreta Summorum Pontificum recensentur.

fuerant, auctoritate Apostolica decrevimus, statutumque in d. Capitulo Generali de anno 1651. celebrato editum super ingressu Patrum Provinciæ in Definitorium confirmavimus, & approbavimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis literis die 9. Novembris 1657. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Alexius Mocet Frater, ac Procurator specialis Provinciæ Turoniæ Pictavien. dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit licet nemini fas esse debere quicquam in contrarium præmissorum attentare; nihilominus dilecti etiam filii Ægidius Nuble, & Julianus Brault, necnon pauci alii dictæ Provinciæ Pictavien. fratres, qui ab aliquot annis eamdem Provinciam sub diversis frivolis prætextibus perturbare non desistunt, non obstantibus diversis Congregationis memoratorum Cardinalium Decretis pro stabilienda pace in dicta Provincia editis, & per Nos confirmatis ausi fuerint noviter contra præfatas nostras literas insurgere, & novam litem desuper contra suos Superiores movere, meritoque timendum sit, ne exinde graves dissensiones, & controversiæ in eadem Provincia oriantur, in non leve Religionis dedecus, & regularis disciplinæ detrimentum: Nobis propterea dictus Alexius humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Alexium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes,& absolutum fore censentes,hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium, qui relationem dilecti filii Commissarii Generalis Curiæ Ordinis hujusmodi præsertim circa memoratam consuetudinem in Provincia Pictavien. Regni Galliæ hucusque servari solitam audiverunt, consilio, attentis narratis dilecto filio Superiori Provinciali dictæ Provinciæ per præsentes committimus, & injungimus, ut quoad prætensam ipsius, quemadmodum, & aliarum Galliæ Provinciarum dicti Ordinis ab observantia memoratarum Urbani Prædecessoris literarum a Nobis indultam exemptionem, præfatas nostras in simili forma Brevis literas omnino servari sub censuris, aliisque sibi benevisis pœnis auctoritate nostra Apostolica mandet, & præcipiat; Contradictores, & repugnantes quoscumque eisdem pœnis effective subijciendo: Et præmissa exequatur.

Decretum hoc sub pœnis servari mandat.

§.3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem Literis nostris concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Jan. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 14. Jan. 1662. An. VII.

CCCLXXIII.

Contra nonnullos Monachos Cistercienses in Gallia Abstinentes nuncupatos, tentantes introducere in Monasteria abstinentiam a carnibus; quarum esus certis diebus a Sede Apostolica concessus est,& nolentes obedire Constitutionibus Apostolicis, ejusdemque Ordinis.

*De hac materia vide ad Constitut.*177. *hujus Pont. Tom.6. Par.*4. *fol.*203. In supremi, *&* *Const.*346. Nuper *supr. fol.*154.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. ALias pro parte dilecti filii Procur. Generalis Ord. Cistercien. Nobis exposito, quod licet omnes Monachi dicti Ordinis tam stricte ad observantiam paupertatis teneantur, ut Capitulum Generale ejusdem Ordinis anno 1605. celebratum revocaverit omnes, & quascumque licentias, & dispensationes cujuscumque privati rerum, & bonorum usus, proprietatis, possessionis, & dominii per quoscumque Superiores dicti Ordinis ex quibuscumque causis concessas, eamque revocationem ipsius Ordinis Capitulum Generale anno 1651. revocaverit, cum injunctione observationis exactæ Decreti Concilii Tridentini sess.25. de reform. cap.2. de Regularibus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ opponentibus sese huic executioni, & observantiæ, & inhabilitatis ad quævis officia, gradus, & dignitates: ac insuper contractus a quibusdam Abbatibus Regularibus cum suis Monachis initos pro separatione mensæ Conventualis ab Abbatiali censuerit esse rescindendos, tanquam paupertati Religiosæ contrarios, eosque in posterum a quocumque attentari prohibuerit: nullusque sit in Regno Galliæ prædicti Ordinis Professor, qui in suo novitiatu ad vitam communem, & præfatam paupertatis observantiam non fuerit instructus,educatus, & obligatus.

Supplicatio.

§.2. Nihilominus nonnulli Religiosi ejusdem Ordinis in Gallia, dicti Abstinentes, seu strictioris observantiæ, sub prætextu introducendi in Monasteria abstinentiam a carnibus, quarum esus certis diebus a Sede Apostolica concessus est, certos inibant contractus, transactiones, & concordata cum antiquis Ordinis hujusmodi Religiosis, quibus certas pensiones in pecuniis, & fructibus promittebant, & distribuebant,eosque a majori, & præcipuo onere Chori, aliisque observantiis, ad quas ex professione tenentur, liberantes, evidenti relaxationis, & perditionis periculo exponebant,dummodo eis solis privative quoad

alios

alios Monasteriorum administrationem, & regimen, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, liberamque Officialium, & Superiorum electionem, tam quoad vocem activam, quam passivam cederent.

§. 3. Et in eadem expositione subjuncto, quod contractus, transactiones, & concordata hujusmodi, non in ædificationem, sed in evidentem Religiosorum ruinam spiritualem vergebant, dictusque Procurator Generalis propterea de opportuno in præmissis remedio a Nobis provideri summopere desiderabat. Nos supplicationibus ipsius Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem diligenter, & mature discusserant, consilio, attentis narratis, contractus, transactiones, & concordata, de quibus supra agitur, fuisse, & esse illicita, ideoque eo usque inita nulla, & invalida fuisse, auctoritate apostolica declaravimus, & decrevimus, prohibuimusque ne in futurum sub ejusdem nullitatis, & invaliditatis, necnon excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorumque, graduum, & dignitatum, quarumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad ea, & quælibet alia in posterum obtinenda per hujusmodi contrahentes, transigentes, & concordantes eo ipso incurrendis pœnis, talia concordata, transactiones, & contractus ullatenus celebrentur.

Talia pacta utpote illicita sub pœnis prout in Rubrica prohibentur.

Expositio.

§. 4. Et postmodum pro parte dilectorum filiorum Reipublicæ Helvetiorum Nobis nuper pariter exposito, quod cum dilecti filii Abbates d. Ordinis Cisterciensis in ejusdem Reipublicæ ditione existentes convocati ad Capitulum Generale Cistercii in Gallia celebrandum, sese accingerent, & præpararent ad iter, occulto rumore perceperant, quosdam Religiosos Gallos ejusdem Ordinis dictos Abstinentes contra antiqua ipsorum jura, numquam eatenus controversa, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris toti Ordini concessa, velle sese prævalere quibusdam sententiis a bon. mem. Francisco dum vixit S. R. E. Cardinale de la Rochefoucaud nuncupato emanatis, qui cum a fel. rec. Gregorio Papa XV., & Urbano VIII. Prædecessoribus pariter nostris commissionem habuisset ad visitanda, & juxta statuta ejusdem Ordinis a Romanis Pontificibus confirmata, reformanda Monasteria dicti Ordinis, quæ in Gallia indigerent reformatione, & tamen ea nullatenus visitasset; nihilominus dicti Abstinentes contra formam Literarum Apostolicarum, & Statuta Apostolica duas sententias ab eo obtinuerant, quibus omnes Abbates, & Religiosos communis observantiæ, qui scilicet utuntur dispensatione apostol. circa esum carnium ubique acceptata, atque a Nobis per nostras in simili forma Brevis literas die 10. Novembris 1657. expeditas approbata, inter alia signanter prætendebant esse privatos voce activa, & passiva in electionibus Abbatis Generalis, & quatuor primorum Abbatum, Vicariorum Provincialium, Procuratoris Generalis in Curia, & aliorum publicorum Officialium, administratione Collegii Parisiensis, communis studii dicti Ordinis, receptione Novitiorum ad communem observantiam, aliisque Juribus pertinentibus ad Abbates, & Capitulum Generale, & in vim dictarum sententiarum ipsos solos Abstinentes redditos capaces dignitatum, & officiorum dicti Ordinis, ac independentes a Jurisdictione Ordinaria Superiorum, & Capituli Generalis esse præsumebant.

§. 5. Atque in expositione subjuncto, quod licet hujusmodi sententiæ fuissent per Judices delegatos cassatæ, atque a re: me: Innocentio Papa X. Prædecessore nostro super prætensis Juribus Abstinentibus prædictis perpetuum impositum silentium; attamen iidem Abstinentes semper d. sententias validas authumabant, & pro earum observatione diversos recursus habuerant, propter quas præsumptiones prorogatum fuerat Capitulum Generale dicti Ordinis, donec Nos super hac vexatione fuissemus consulti.

§. 6. Idcirco Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis Officii cura, memorati Ordinis quieti consulere cupientes, ac causæ, & causarum hujusmodi statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & Collitigantium, & alia etiam speciali expressione digna pro plene, & sufficienter expressis habentes, necnon causam, & causas prædictas ad Nos avocantes, ac declarationem, approbationem, & novam concessionem a Nobis per præfatas lit. die 10. Novembris 1657. emanatas, circa esum carnium factas confirmantes, habita relatione de præmissis.

§. 7. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine districte prohibuimus, ne Abbates, & alii quicumque dicti Cisterciensis Ordinis communis observantiæ Religiosi ejusdem apostolica dispensatione circa esum carnium utentes super libertate vocis activæ, & passivæ in electionibus Abbatis Cistercii Generalis, aliorumque quatuor præcipuorum Abbatum, Vicariorum Provincialium, Procuratoris Generalis Curiæ, & aliorum publicorum Officialium, in administratione, & regimine Collegii Parisiensis communis studii dicti Ordinis, in Novitiorum ad communem observantiam cum usu talis dispensationis circa esum carnium, servatis servandis, receptione, eorumq; educatione, nec in omnimoda Jurisdictione, quam ab initio ejusdem Ordinis habuerunt, quibuslibet aliis juribus, quæ ex vi Regulæ, & sæpedicti Ordinis Constitutionum Apostolica auctoritate confirmatarum illis, & Capitulo Generali competunt, ullatenus prohiberentur, vel molestarentur, prout non molestari, prohiberi, seu perturbari mandavimus, & præcepimus, circumscriptis memo-

Confirmatur prout in rubr.

memoratis sententiis die 27. Julii 1634., & die 20. Augusti 1635. a prædicto Apostolico Visitatore, ut dicitur, emanatis, necnon quorumlibet aliorum Judicum, qui circa præmissa quidquam secus statuere, vel decernere tentaverant, aut præsumpserant, cum omnibus inde secutis, & alias prout in binis nostris in simili forma Brevis literis, unis die 8. Martii 1660., & alteris die 2. Julii 1661. respective desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§.8. Cum autem dilectus filius Claudius Vaussin Abbas Cistercii, & totius Ordinis Cisterciensis præfati Generalis ad Nos supplex accesserit pro canonice promovenda Ordinis sui per diversa Mundi Regna diffusi reformatione, salva ejusdem Ordinis unione, & integra subordinatione. Nos ejusdem Claudii Abbatis Generalis zelum, solicitudinem, & laborem plurimum in Domino laudantes, eumque specialis favoris gratia prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, de voto particularis Congregationis ad examinandum, informandum, & referendum a Nobis deputatæ, quæ scripturas hinc inde datas vidit, & examinavit, causam istius reformationis in statu, & terminis, in quibus ad præsens reperitur (illius statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium, & alia quæcumque etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis habentes) a quocumque Tribunali ad Nos denuo auctoritate apostolica tenore præsentium avocamus.

Ordinationes §.9. Præterea mandamus dicto Claudio Abbati Generali, ut advocet, seu moneat viros idoneos Ordinis sui, tam ex Gallia, quam aliunde ad exhibendum infra tres menses dictæ Congregationi particulari deputatæ articulos concernentes dictam Reformationem a Nobis instituendam. Et quantum ad controversias in variis Tribunalibus, etiam coram Commissariis Apostolicis, a multis annis agitatas circa Reformationem dicti Ordinis, sive in Gallia, sive extra Galliam, volumus, & ordinamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, a qua nemo a quoquam, nisi a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, ut observentur dispositiones a Nobis immediate emanatæ per præfatas nostras in forma Brevis literas, die 8. Martii 1660., & die 2. Julii 1661. respective expeditas.

§.10. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime observari; Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§.11. Non obstantibus quacumque litis, seu litium pendentia, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Jan. 1662. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 16. Jan. 1662. An. VII.

CCCLXXIV.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium circa reductionem numeri Fratrum quorumcumque Conventuum Provinciæ S. Thomæ Apostoli Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci in Pedemontio. *Ex Regest. in Secret. Brevium*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ S. Thomæ Apostoli in Pedemontio Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod ex viginti quatuor Conventibus, quibus dicta Provincia constat, sex reperiantur ad oram maritimam ultra montes inter Provinciæ, Dominiique Reipublicæ Genuen. confinia positi, in quibus habitant Fratres in illis partibus nati, inter quos, & Fratres Pedemontanos anta est morum, ingeniorumve diversitas, ut dum insimul habitant gravia nonnunquam inconvenientia sequantur, quodque homines dictarum partium sint rudes, inopes, negligenterque educati, ex quibus multi ad habitum Fratrum dicti Ordinis admitti petere solent, & nonnunquam contingit, ut aliquis Minister Provincialis ex eisdem partibus ortus tot ex illis ad habitum hujusmodi recipiat, ut & aliis magis idoneis locus præcludatur, & ipsi a Conventibus nequeant sustentari: Ideoque præfatæ Congregationi supplicato, ut certum numerum Fratrum ex partibus supradictis in præfatos sex Conventus, videlicet, Niciæ, Cespitelli, Lantuscæ, Marri, Mentoni, & Saurgii recipiendorum, & ad habitum hujusmodi admittendorum præscriberet, Expositio.

beret, qui excedi non posset, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Sacræ Congr. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis narratis, ac audita relatione Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi, censuit committendum, & injungendum, prout præsentium vigore committit, & injungit Superioribus Regularibus pro tempore dicti Ordinis, & Provinciæ, ad quos spectat, seu spectabit, ut in quolibet memoratorum Conventuum, videlicet, Niciæ, Cespitelli, Lantuscæ, Marri, Mentoni, & Saurgii non plures dictarum regionum oriundos ad habitum posthac recipiant, seu recipi faciant, aut permittant, quam quibus eosdem respective Conventus alimenta, & cœtera ad victum necessaria subministrare pro viribus in dies posse constiterit, quique facta eorum ex omnibus dictis Conventibus collectione centum ad summum pro tempore numerentur. Quod si etiam receptis aliqui supersint, ab aliorum admissione quousque ad hujusmodi numerum juxta præmissam declarationem accipiendum deveniatur, & non nisi in locis infra ipsum vacaturis abstineant. Et prædicta omnia exequantur sub pœnis eo ipso incurrendis privationis utriusque vocis, & officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, & alia quæcumque in posterum obtinenda: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ 16. Decembris 1661.

M. Cardinalis Ginnettus.

Decretũ præinsertum confirmat. §.2. Cum autem, sicut præfati exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione, apostolicę confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem illis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, præfatorum Ordinis, Provinciæ, & Conventuum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januar. 1662. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 18. Jan. 1662. An. VII.

CCCLXXV.

Declarat nullum præjudicium fuisse illatum superioritati Vicarii generalis in unione Conventus Terræ Roccha di Papa Conventui S. Joannis de Urbe sub obedientia Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

De concessione, & unione hujus Conventus vide supra ad Constitut. 316. Sacrosancti. *fol.* 106.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias Conventum B. Petri de Nola olim FF. Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum in terra Roccha di Papa nuncupat. Tusculanæ Dioec. positum, cum illius Ecclesia, ac bonis, & oneribus universis Congregationi Fratrum Discalceatorum Reformatorum nuncupat. dicti Ordinis, itaut Conventus hujusmodi de cætero Conventui S. Joannis de Urbe ejusdem Congregationis sub obedientia dilecti filii Procuratoris Generalis ipsius Congregationis, qui in dicto Conventu Sancti Joannis residere solet, subjaceret, & dictus Procurator Generalis Superiorem, & Familiam sex saltem Presbyterorum, & duorum Conversorum Fratrum Discalceatorum Reformatorum Congregationis hujusmodi in primodicto Conventu collocare deberet, auctoritate Apostolica perpetuo applicavimus, & appropriavimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis literis die 15. Octob. 1660. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, plenius continetur. Procemium.

Expositio. §.2. Cum autem, ficut dictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, licet ratione subordinationis, quam ipse Procurator Generalis ad dilectum filium Vicarium Generalem Superiorem majorem dictæ Congregationis habet, credat præmissa, & inde sequuta sine ullo præjudicio jurisdictionis, & superioritatis dicti Vicarii generalis emanasse, nihilominus ad removenda omnia dubia, & inconvenientia, quæ exoriri possent, idem Procurator Generalis opportune a Nobis hac in re provideri summopere desideret.

Decretum confirmat. §. 3. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis super statu Regularium deputatæ consilio, ex memoratis nostris literis, qua parte prænominatus Conventus B. Petri de Nolasco subiicitur obedientiæ dicti Procuratoris Generalis, qui Superiorem, & Familiam in eo collocare debeat, nullum præjudicium fuisse illatum superioritati, ac jurisdictioni memorati Vicarii Generalis, auctoritate prædicta tenore præsentium declaramus.

Clausulas addit. §.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.5. Non obstantibus prædictis nostris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 27. Jan. 1662. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 27. Januar. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Licentia Nationibus Congregationis Eremitarum Camaldulen. recipiendi, & admittendi ad professionem eum Conversorum numerum, quo opus respective habuerint, non obstante statuto Dietæ per Breve Sanctitatis suæ confirmatur.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Visitatores Congregationis Eremitarum Camaldulen., quod ante sexennium, cum crederetur dictæ Congregationi utilius fore ministerio Oblatorum, quam Conversorum uti in quadam Dieta ejusdem Congregationis statutum fuit, ne de cætero Fratres Conversi in ipsam Congregationem reciperentur; quod Statutum subinde, quia dictæ Dietæ facultas sic statuendi non competebat, a Nobis per quasdam nostras in simili forma Brevis literas confirmari obtinuerunt.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Congregatio præfata abinde citra magno tam in spiritualibus, quam in temporalibus affecta fuerit detrimento, idque ex eo, quod cum Oblati ad professionem non admittantur, sed semper dimitti possint, interea in eamdem Congregationem ad præstanda viliora ministeria nemo receptus fuit, qui onestæ, civilisque conditionis foret, & artem aliquam mechanicam calleret; Cumque dictum Statutum antiquo memoratæ Congregationis instituto adversetur; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati omnibus, & singulis nationibus dictæ Congregationis, ut eum Fratrum Conversorum numerum, quo respective opus habuerint, servatis alias servandis in eamdem Congregationem recipere, & suo tempore ad professionem regularem admittere libere, licite, & valide possint, & valeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decretum confirmat.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apost. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulas apponit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, Transumptorum fides.

cio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 1. Febr. 1662. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Febr. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CCCLXXVII.

Applicatio ducentorum ducatorum annuatim ex fructibus quarumdam Parochialium Ecclesiarum Militiæ S. Mariæ de Montesia Prioratui Valentin. ejusdem Militiæ.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. §. 1. Nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispan. Regis Catholici Nobis per dilectum filium nobilem Virum Ludovicum de Guzman Ponce de Leon ipsius Philippi Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, quod cum dilectus filius Paulus Ingles modernus Prior domorum Regiarum Templi Ordinis Militaris B. Mariæ de Montesia Civitatis Valentin., cujus Ordinis idem Philippus Rex Administrator perpetuus, auctoritate Apostolica, deputatus existit, ipsi Philippo Regi eam esse redditutuum Prioratus sui tenuitatem ostenderit, ut ipse Paulus ex ejusdem Prioratus, licet una ex præcipuis dicti Ordinis dignitatibus existat, redditibus se exhibere nequeat: memoratus Philippus Rex his mature considerátis, ut tam eidem Paulo, quam ejus in dicto Prioratu Successoribus de congrua sufficientique proventuum quantitate provideatur, summam ducentorum ducatorum ad rationem undecim regalium monetæ Valentin. pro quolibet ducato hujusmodi annuatim super fructibus, redditibus, & proventibus infrascriptarum Parochialium Ecclesiarum Ordinis prædicti respective, singularum nempe pro ratis, infra expressis, quæ habita ratione valoris fructuum, ac onerum ipsarum Ecclesiarum, determinatæ fuerunt, ex nunc prout ex tunc postquam quælibet Ecclesiarum hujusmodi vacaverit memorato Prioratui in perpetuum applicari desiderat.

Expositio. §. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, applicatio hujusmodi, si fiat, Priori quidem dicti Prioratus pro tempore existenti congruum sustinendæ eo, quo par est, decore dignitatis suæ subsidium allatura, dictis vero Parochialibus Ecclesiis, earumque futuris Rectoribus non multum oneris impositura sit, sed pro singularum Parochialium Ecclesiarum hujusmodi Rectoribus centum ducati respective pro eorum congruis sint remansuri; Nobis propterea pro parte prædicti Philippi Regis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ejusdem Philippi Regis desiderio, hac in re favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, necnon tam dicti Prioratus, quam cujuslibet ex Parochialibus Ecclesiis hujusmodi fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores secundum communem æstimationem, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, super Villæ de Montesia centum decem, super Villæ de Vallada sexagintasex, super Villæ Sancti Matthæi centum trigintaduos, super Villæ de Canet quadragintaquatuor, super Villæ de Catig itidem quadragintaquatuor, super Villæ de Chert centum decem, super Villæ de Albocazer trigintatres, super Villæ de las Cuevas itidem trigintatres, super Loci de Sveca ducentos sexagintaquatuor, super Loci de Silla sexagintasex, super Loci de Moncada centum quinquagintaquatuor, super Loci de Caipesa centum trigintaduos, super Villæ de Onda centum decem, super Villæ de Alcala octuagintaocto, super Villæ de Benicarlo centum trigintaduos, super Villæ de Vinaroz centum decem, super Villæ de Jana quadragintaquatuor, super Villæ de Rosel itidem quadragintaquatuor, super Villæ de Benasal octuagintaocto, super Villæ de Aros itidem octuagintaocto, super Villæ de Culla quadragintaquatuor, super Villæ de Vistabella centum decem, super Villæ de Arzeneta sexagintasex, ac super Villæ de Coruera Parochialium Ecclesiarum præfati Ordinis Militaris, Sanctæ Mariæ de Montesia respective fructibus, redditibus, & proventibus octuaginta octo regales dictæ monetæ Valentin., qui summam præfatorum ducentorum ducatorum simul constituunt, annuatim præfato Prioratui Domorum Regiarum Templi Ordinis Militaris hujusmodi, ac dicto Paulo, ejusque Successoribus dictum Prioratum pro tempore obtinentibus per modernorum earumdem Parochialium Ecclesiarum Rectorum successores respective solvendos, dummodo tamen deductis hujusmodi ratarum, aliisque dictarum Parochialium Ecclesiarum respective oneribus, centum ducati pro singularum Parochialium Ecclesiarum hujusmodi Rectoribus remaneant, ex nunc prout ex tunc postquam eædem Parochiales Ecclesiæ, & earum quælibet per obitum modernorum illarum Rectorum, aut alias quomodolibet ex eorum personis respective vacaverint, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo applicamus. Decretum præinsertum confirmat.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac dicto Paulo, ejusque in Prioratu hujusmodi Successoribus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium applicationum, & unionum, etiam effectum non sortitarum, seu aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Decretum irritans.

per quascumque Literas, & Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ Regulas sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam per Nos, vel quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros etiam in crastinum cujuslibet eorum Assumptionis ad summi Apostolatus apicem, ac per Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & de apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet pro tempore factis, & concessis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub posteriori data per prædictos Paulum, ejusque Successores dicti Prioratus Priores pro tempore existentes eligenda concessas esse, & intelligi, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis. §. 5. Non obstantibus præmissis, ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, de unionibus, & applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ac quatenus opus sit, illa de præstando consensu in pensionibus, necnon Lateranen. Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohiben. aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinis, & Parochialium Ecclesiarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 4. Febr. 1662. An. VII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 4. Februarii 1662. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCLXXVIII.

Deputatio Eminentissimi Cardinalis Chisii in Protectorem Fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula.

Dilecto Filio nostro Flavio tituli S. Mariæ de Populo S. R. E. Cardinali Chisio nuncupato, nostro secundum carnem ex Fratre germano Nepoti.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva. §. 1. Cum per obitum bo: me: Bernardini, dum vixit, S.R.E. Cardinalis Spadæ nuncupati, Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, nuper apud Sedem præfatam defuncti, Ordo præd. Protectore destitutus manserit.

Confirmat ut in rubr. §. 2. Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumspectionis singulari prudentia, doctrina, & integritate, & religionis zelo, plurimum in Domino confisi, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, te, ex cujus Protectione, ob tuas eximias virtutes Ordinem prædictum plurimum commodi, & ornamenti suscepturum esse confidimus, prædicti Ordinis, illiusque domorum Regularium, & Religiosorum quorumcumque apud Nos, & Sedem præfatam Protectorem cum omnibus facultatibus, jurisdictionibus, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, & quibus alii ante te dicti Ordinis Protectores usi sunt, ac uti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt, ad tui vitam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium facimus & deputamus.

Clausulæ. §. 3. Volumus autem, ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut Superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri potest, conservare cures, & propterea cum ipsi Superiores eorum officii bito satisfecerint, ac gubernio, & regimini subditorum sufficienter incubuerint, tum in negotiis eorumdem Religiosorum te non immisceas.

§. 4. Quando autem ab iisdem Superioribus requisitus fueris, ut in eisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoveris, ut eamdem auctoritatem tuam in ipsis negotiis exerceas, tum id libere facere possis, sed quoad potueris per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in eisdem negotiis, seu causis, loco Notarii, aliquo ex Regularibus dicti Ordinis.

§. 5. Mandantes propterea dilectis filiis Correctori Generali, ac Visitatoribus, & aliis Superioribus, necnon Universis Fratribus, & personis quibuscumque dicti Ordinis in virtute sanctæ obedientiæ, ut te in eorum Protectorem, juxta tenorem præsentium recipientes, ea, qua debent reverentia prosequantur.

Con-

Contraria tollit. §.6. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Cæterum te in Domino hortamur, ut hujusmodi Protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem, æternorum præmium, & a Nobis condignam laudem valeas promereri.

Dat. die 6. Febr. 1662. An.VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Februar. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio concessionis Jurisdictionis Criminalis in feudum perpetuum ab Archiepiscopo Tarraconen. fact. Fabritio Pons, & Castellui, ejusque Successoribus.

Ven. Fratri Episcopo Derthusen., ac dilecto filio Decano Ecclesiæ Derthusen.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater, ac dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Supplicatio. §.1. Exponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Tarraconen., quod in Principatu Cathaloniæ, & Diœcesi Tarraconen. reperitur locus nomine Mans Ricart, dominio temporali dilecti filii Fabritii Pons, & Castellui ipsius loci Domini subjectus, in quo temporibus præteritis viginti, vel circiter personæ habitare solebant, & jurisdictio civilis quidem a Domino dicti loci, criminalis vero ab Archiepiscopo Tarraconen. pro tempore existente exercebatur. Verum præteritorum bellorum occasione, quæ per tot annos in illis partibus viguerunt, idem locus dirutus, & desertus, ac habitatoribus omnino vacuus remansit, unde nulla in eo jurisdictio civilis, vel criminalis exercere potest, nec spes ulla affulget fore, ut in pristinum statum reducatur.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Franciscus Archiepiscopus præmissis attentis, ut suam, suæque Ecclesiæ Tarraconen. conditionem efficeret meliorem, jurisdictionem criminalem præfatam memorato Fabritio pro se, suisque successoribus dicti loci Dominis in feudum sub annuo canone centum solidorum monetæ earumdem partium ipsi Francisco, ejusque Successoribus Archiepiscopis Tarraconen. in perpetuum die festo Sanctorum Petri, & Pauli solvendo de consensu dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum dictæ Ecclesiæ, ac reservato nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, perpetuo concesserit, cum aliis conditionibus licitis, & honestis, prout in publico desuper confecto Instrumento uberius dicitur contineri. Nobis propterea d. Franciscus Archiepiscopus, & Fabritius, asserentes concessionem hujusmodi in evidentem prædictæ Ecclesiæ cedere, & cessuram esse utilitatem, humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat decretum. §.3. Nos igitur illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ Frater Episcope, qui, ut asseritur, Ordinarius vicinior existis, ac discretioni tuæ fili Decane per præsentes committimus, & mandamus quatenus si, & postquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac præmissis omnibus, & singulis, illorumque circumstantiis universis prius coram vobis specificatis, de concessione hujusmodi, quodque illa in evidentem memoratæ Ecclesiæ cedat, & sit cessura utilitatem, vobis conjunctim procedentes legitime constiterit, super quo vestram, dictique Francisci Archiepiscopi conscientiam oneramus, eamdem concessionem in feudum dicto Francisco, ejusque Successoribus a memorato Francisco Archiepiscopo, sicut præmittitur, factam, confectumque desuper Instrumentum cum omnibus, & singulis in eo contentis, alias tamen licitis, & honestis, dictæque Ecclesiæ utilibus, & proficuis auctoritate nostra apostolica confirmetis, & approbetis, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiiciatis, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, eadem auctoritate suppleatis.

Derogatio contrariorum. §.4. Non obstantibus fel. rec. Pauli V., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædictæ Ecclesiæ Tarraconen. etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Febr. 1662. An.VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Februarii 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Decreti in ultimo Capitulo Generali Ordinis Fratrum S. Pauli primi Eremitæ in Regno Portugalliæ facti, ut in posterum amoveantur Discreti Vocales nuncupati, qui pro quolibet Conventu ejusdem Ordinis concurrere, & vocem in Capitulo habere solebant.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis

dinis Fratrum S. Pauli primi Eremitæ in Regno Portugalliæ consisten., quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissime celebrato factum fuit Decretum, ut in posterum amoveantur discreti Vocales nuncupati, qui pro quolibet Conventu ejusdem Ordinis concurrere, & vocem in Capitulo habere solebant; Idque ad tollendas confusiones, & inconvenientia, quæ inde proveniebant.

Decretum præfatum cōfirmat.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Procurator Generalis Decretum hujusmodi apostolicæ confirmationis robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præfatum in Capitulo Generali hujusmodi, sicut præmittitur, factum, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrária tollit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis prædicti, ejusque Conventuum quorumvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 11. Febr. 1662. An. VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Febr. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Conservatoria Carthusiæ S. Laurentii de Padula Caputaquen. Diœcesis in personis Episcoporum Caputaquen., & Marsicen., ac R. P. D. Nuncii Apostolici in Regno Neapolis, & eorum cujuslibet.

Venerabilibus Fratribus Caputaquen., & Marsicen. Episcopis, ac dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolis Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabiles Fratres, ac dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Ordinationes.

Militantis Ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino, præsidentes, circa curam Ecclesiarum, personarum omnium solertia reddimur indefessa solliciti, ut juxta debitum Pastoralis Officii eorum occurramus dispendiis, ac profectibus, divina cooperante clementia, favorabiliter intendamus.

§.1. Sane dilectorum filiorum Prioris, & Monachorum Carthusiæ S. Laurentii de Padula Ord. Carthusien. Caputaquen. Diœcesis conquestione percepimus, quod nonnulla Castra, Villæ, & alia Loca, Terræ, Domus, Possessiones, Aquæ, & decursus aquarum, Jura, Jurisdictiones, Fructus, Census, Redditus, Proventus, & nonnulla alia mobilia, & immobilia spiritualia, & temporalia bona in Caputaquen., & aliis Diœcesibus consistentia spectent, & pertineant, & nonnulli etiam Civitatum, & Diœcesum, ac partium præfatarum non formident eadem Castra, Villas, Loca, & Terras, Domos, Possessiones, Aquas, ac decursus Aquarum, Jura, Jurisdictiones, Fructus, Census, Redditus, & Proventus eorumdem occupare, vel super eisdem, & quibuscumque aliis bonis mobilibus, & immobilibus spiritualibus, & temporalibus, aquis, & aliis rebus iisdem Monachis multiplices molestias, & injurias inferre, & jacturas. Quare dicti Prior, & Monachi Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut cum sibi valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Sedem Apostolicam habere recursum provideri, ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & injuriatores hujusmodi illo volentes ipsis Priori, & Monachis remedio subvenire, quo ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur. vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis Conservatores, & Judices præfatis Priori, & Monachis efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos super his, & quibusvis aliis bonis, & juribus ad dictam Carthusiam spectantibus a quibusvis etiam Archiepiscopali, Episcopali, vel alia ecclesiastica dignitate

Ordinationes.

tate fungentibus, necnon Clericis, ac Ecclesiasticis personis tam Religiosis, quam Secularibus, necnon Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, & Laicis, Communitatibus Civitatum, Universitatibus Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac aliis singularibus personis Civitatum, & Dioecesum, ac partium aliarum indebite molestari, vel eis gravamina, seu damna, vel injurias irrogari, facientes dictis Priori, & Monachis, cum ab eis, vel eorum Procuratoribus fueritis requisiti de praedictis, & aliis personis quibuslibet super restitutione hujusmodi Castrorum, Villarum, Terrarum, & aliorum Locorum, Jurisdictionum, Jurium, & Bonorum mobilium, & immobilium, Redditituum quoque, & Proventuum, & aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibuslibet violentiis, injuriis, & damnis praesentibus, & futuris in illis videlicet, quae judicialem requirunt indaginem summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit Justitiae complementum, occupatores, seu detentores, praesumptores, molestatores, & injuriatores hujusmodi; necnon contradictores quoslibet, & rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint quandocumque, & quotiescumque expedierit auctoritate nostra per censuras ecclesiasticas appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat. §.2. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri, in quibus cavetur expresse, ne quis extra suam Civitatem, & Dioecesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suae Dioecesis ad Judicium evocetur, seu ne Conservatores, & Judices a dicta Sede deputati extra Civitatem, & Dioecesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, seu alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine suae Dioecesis transferre praesumant, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, seu quod de aliis, quam manifestis injuriis, & violentiis, ac aliis, quae judicialem requirunt indaginem poenis in eos, si secus egerint, & in procurantes adjectis, Conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque Constitutionibus a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus de Judicibus delegatis, & Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut alias editis, quae vestrae possent in hac parte jurisdictioni, aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare: seu si aliquibus communiter, aut divisim a praefata sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existant per quam praesentibus non expressa, vel totaliter non insertam vestrae jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit mentio specialis, & insuper volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a data praesentium sit vobis, & unicuique vestrum in praemissis omnibus ceptis, & non ceptis, praesentibus, & futuris perpetuata potestas, & jurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in praemissis omnibus ceptis, & non ceptis praesentibus, & futuris; & quo praefatis procedere, acsi praefata omnia, & singula etiam coram vobis cepta fuissent, & jurisdictio vestra, & cujuscumque vestrum in praedictis omnibus, & singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitime extitisset.

§.3. Constitutionem praedictam super Conservatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstantibus, eisdem praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Febr. 1662. Pontificatus nostri Anno VII. Dat. die 17. Febr. 1662. An. VII.

CCCLXXXII.

Super concessione Ecclesiae, & Conventus Sancti Pancratii extra, & prope muros Urbis, facta Fratribus Carmelitis Discalceatis Ordinis B. Virginis Mariae de Monte Carmelo, necnon super translatione, sive nova erectione Seminarii Missionum ejusdem Congregationis in praefatis Ecclesia, & Conventu.

Vide ad Const. 37. Decet Romanum, *hujus Pont. Tom.* 6. *Par.* 4. *fol.* 46. *qua agitur de dominio, & gubernatione hujusmodi Seminarii.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. INscrutabili divinae providentiae arcano universalis Ecclesiae regimini praesidentes, ad illa, quae in Fidei Catholicae, Religionisque propagationem, & incrementum cedere, & cessura esse noscuntur, propensis studiis intendimus, eorumque firmitati, robori, & efficaciae libenter consulimus, ac alias solicitudinis nostrae pastoralis partes desuper interponimus, prout omnibus maturae considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, animarumque salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Alias

Motiva hujus Constitut.

§.1. Alias siquidem Nos certis ex causis tunc expressis adducti auctoritate apostolica statuimus, decrevimus, & ordinavimus Conventum, seu Seminarium Sancti Pauli, sive Sanctæ Mariæ de Victoria nuncupat. de Urbe Ordinis Fratrum ejusdem Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, esse debere Provinciæ Romanæ ejusdem Ordinis Provinciali Romano subjectum in omnibus, & per omnia, etiam quoad Conventualitatem Fratrum non Seminaristarum ad instar aliorum dictæ Provinciæ Conventuum, ac Officiales a Capitulo Generali, seu Definitorio Generali electos, & ibidem constitutos dimittendos, videlicet Priorem, Subpriorem, seu Vicarium, & ad Capitulum Provinciale ejusdem Provinciæ Romanæ in futurum spectare electionem Prioris (cũ participatione tamen, & approbatione quoad hunc Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei Præpositorum) necnon etiam Subprioris, seu Vicarii, aliorumque Officialium Conventus, seu Seminarii hujusmodi ad formam Constitutionum prædictæ Religionis, remanentibus tamen ibidem Seminario, & Seminaristis, eorumque controversiarum, & Linguarum Orientalium Lectoribus, & Magistris tunc existentibus, & pro tempore futuris, quorum electio, & amotio cum participatione Præpositi Generalis dicti Ordinis ad Congregationem Cardinalium prædictorum in futurum spectaret, & pertineret. Insuper administrationem omnium, & singulorum bonorum, redditaum, & proventuum tam a quondam Francisco Cimino Barone de Cacurri, quam ab aliis relictorum, datorum, seu donatorum, & impósterum relinquendorum, dandorum, seu donandorum, videlicet pro Missionibus faciendis curæ, & diligentiæ dictæ Congregationis Cardinalium, amotis Syndicis, & Procuratoribus quibuscumque prædictiOrdinis commisimus. Præterea quamvis Conventus præfatus esset, & esse deberet, ut supra, Provinciæ Romanæ, voluimus nihilominus, ut in illo, ut ante dictum est, Seminaristæ, eorumque Lectores, & Magistri una cum Fratribus ejusdem Provinciæ libere cohabitare, & convenire valerent, pro alimentis vero, sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque necessariis Seminaristarum, eorumque Lectorum solverentur prædicto Conventui, seu ejus Priori, aut Procuratori per Congregationis supradictorum Cardinalium Ministros ex redditibus dicti Seminarii, vel pro Missionibus, ut supra, relictis, seu in posterum relinquendis annua scuta quadraginta pro quolibet Seminarista, vel Lectore pro tempore, & rata temporis, quo quilibet Lector, & Seminarista ibi resideret, ac cohabitaret, & conviveret, remanentibus ad Conventus commodum eleemosynis, seu emolumentis pro Missis a prædictis Seminaristis, Lectoribus, & Magistris celebrandis quomodolibet resultantibus. At si Lector pro studio Linguarum foret Secularis, vel Religiosus alterius Ordinis, competens ei stipendium ex dicti Seminarii redditibus, ejusdem Congregationis Cardinalium arbitrio assignaretur, & alias prout in nostris in simili forma Brevis literis, die 24. Septembris 1655. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Expositio.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Dominicus a Sanctissima Trinitate Præpositus Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Nobis nuper exponi fecit, dilectus filius noster Franciscus S. M. in Porticu Diaconus Card. Maidalchinus nuncupatus, qui Monasterium Abbatiam nuncupatum S. Pancratii prope, & extra mœnia Urbis olim suppressi Ordinis Fratrum Sanctorum Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus in commendam ad sui vitam ex concessione, & dispensatione Apostolica obtineat, Ecclesiam ejusdem Sancti Pancratii, ac Fabricas illi adjacentes, & viridarium, necnon terras illi contiguas, ac annexas, & connexas circumcirca Ecclesiam, & Monasterium hujusmodi eisdem Dominico Præposito Generali, ac Congregationi Italiæ, ad hoc, ut Seminarium prædictum commodius illuc transferri, seu ibidem de novo erigi valeat; reservato tamen nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, concesserit cum diversis pactis, & conditionibus, & alias prout latius continetur in publico desuper confecto instrumento tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Alex. VII.

§.3. In Nomine Domini Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum quod Anno ab ejusdem D.N. Jesu Christi Nativit. 1662. Indictione 15. die vero 7. Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Domini Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus septimo: In mei Antimi Curti Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, ac D. Innocentii Meuli Notariorum publicorum insolidum rogati, Testiumque infrascriptorum ad hæc omnia, & singula vocatorum, habitorum, atque rogatorum præsentia Præsens, & personaliter constitutus Perill. & Excell. D. Julius Cæsar Serronus in Romana Curia Advocatus Nobis, &c. cognitus Procurator ad infrascripta peragendum specialiter constitutus ab Eminentiss. & Reverendiss. D. Francisco Tituli S. Mariæ in Porticu Diacono Cardinali Maidalchino nuncupato, ac perpetuo Commendatario Abbate nuncupato Monasterii Abbatia nuncupati S. Pancratii prope, & extra mœnia Urbis olim suppressi Ordinis Sanctorum Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus, ut de ejus mandato Procuræ constat in actis mei Curti sub hodierna die ad hoc cui Eminentiss. D. Cardinali nil magis curæ est, ut quantum per vires licet Catholica Religio ubique Terrarum Orbis, semotis hæreticorum, & infidelium falsis dogmatibus propagetur, ac in Eccle-

siis

ſiis Monaſteriorum ejus regimini, & gubernio ex benignitate Sedis Apoſtolicæ commiſſis divinus cultus, ac Miniſtrorum Eccleſiaſticorum numerus augeatur, inibique divina officia majori, qua poteſt veneratione peragantur, ac exoptatum finem aliqua in parte conſequi ſperans ſi per ipſum Eccleſia prædicta, ac Fabricæ illi adjacentes, & viridarium, necnon Terræ illi contiguæ, ac annexæ, & connexæ circumcirca Eccleſiam, ac Monaſterium hujuſmodi ad hoc, ut commodius Seminarium Miſſionum ſub titulo S. Pauli Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo ad præſens exiſtens in domo Regulari, ſeu Conventu Sanctæ Mariæ de Victoria nuncupata de Urbe ejuſdem Ordinis, ad prædictum Monaſterium Sancti Pancratii, Apoſtolica auctoritate transferri, ſeu in eo denuo erigi valeat, quantum in ſe eſt, concederentur, & aſſignarentur.

Quapropter ex cauſis ſupradictis dictus D. Julius Cæſar Serronus Procuratorio nomine, ut ſupra, reſervato in primis, & ante omnia beneplacito Apoſtolico, & non alias, aliter, nec alio modo, &c. ſponte, &c. omni meliori modo, &c. Eccleſiam, ac Fabricas, & Viridarium, necnon Terras prædictas in eodem ſtatu, & eſſe in quo ad præſens reperiuntur pro dicto Seminario ad effectum illius translationis, ſive novæ erectionis, ut præfetur, abſque alio præjudicio ipſius Eminentiſſ. D. Cardinalis, ejuſque in dicto Monaſterio Succeſſorum, Præpoſito, ac Definitoribus Generalibus, aliiſque Superioribus præſentibus, & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis, cæteriſque Religioſis ejuſdem Ordinis, licet abſentes Reverendiſſimo P. Dominico a Sanctiſſima Trinitate Præpoſito Generali dicti Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, necnon Adm. Rev. P. Philippo a Sanctiſſima Trinitate, & Rev. P. Balthaſſare a S. Catharina Senenſi Definitoribus Generalibus prædicti Ordinis Congregationis Italiæ præſentibus, & acceptantibus etiam pro Adm. RR. PP. Joanne a Sancto Hieronymo, & Paulo a Sanctiſſimo Sacramento etiam Definitoribus Generalibus Ordinis, & Congregationis prædictæ abſentibus, pro quibus, & quatenus opus ſit, de rato in forma promittentibus. Ita quod &c. alias &c. in perpetuum conceſſit, & aſſignavit cum clauſula, & effectu conſtituti in forma nullo jure, &c. niſi infraſcriptis legibus, conditionibus, & reſervationibus inter ipſum Eminentiſſimum D. Cardinalem, & prædictos Rev. P. Præpoſitum Generalem, & Adm. RR. PP. Definitores nomine proprio, ac totius Ordinis hujuſmodi ſub eodem beneplacito Apoſtolico conventis, & ſtatutis, videlicet.

Sequitur decretum.

Quod Titulus, & denominatio Abbatiæ prædictæ, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, res, bona, dona, proprietates, prædia, juriſdictiones, actiones, annexa, & connexa, pertinentia, dependentia, adjacentia, præter præmiſſa, Cenſus, Canones, Reſponſiones, & alia quæcumque in quibuſvis rebus conſiſtentia bona ad Monaſterium prædictum quomodolibet, & quocumque titulo ſpectantia, & pertinentia, ad prædictum D. Cardinalem, & ejus in dicto Monaſterio Succeſſores libere, ac pleno jure, perinde, ac ſi conceſſio prædicta facta non fuiſſet, perpetuo reſervata exiſtant; Itaut eadem conceſſio ſemper intelligatur facta, & eſſe debeat de ſolis, & nudis muris ipſius Eccleſiæ, illiuſque domorum, ac de Viridario, & Terris prædictis, ac omnia, & ſingula alia ſuperius expreſſa præter hæc præmiſſa a prædictis Eccleſia, & Monaſterio, etiam perpetuo, penitus, & omnino ſejuncta, diſiuncta, diviſa, ſeparata, & ſegregata eſſe debeant, & intelligantur. Itaut Præpoſitus Generalis, & alii Superiores, ac Fratres Seminarii, & Ordinis hujuſmodi, ad quorum favorem hæc conceſſio fit, nil aliud unquam perpetuis futuris temporibus quovis prætextu, etiam inopinato, & ex quavis cauſa, etiam ratione onerum prædictæ Eccleſiæ incumbentium, & illorum adimplementi, etiamſi aliquid ex præmiſſis pro adimplemento onerum ſpecialiter donatum, ſeu relictum fuiſſet, habere, & prætendere non poſſint, præterquam nudam Eccleſiam, Fabricas, Viridarium, & Terras prædictas, necnon etiam eidem Eminentiſſimo D. Cardinali, ac ejus in prædicto Monaſterio Succeſſoribus tres ſtantiæ in dicto Monaſterio prope Portariam ad eorum dumtaxat uſum, & habitationem pro illorum perſonis tantum reſerventur, & reſervatæ exiſtant, & intelligantur, & prædicti Præpoſitus, & Definitores Generales, & pro tempore exiſtentes Superiores, & alii Religioſi dicti Ordinis teneantur, & obligati exiſtant, prout ſupradicti Reverendiſſimi P. Præpoſitus, & PP. Philippus, & Balthaſſar Definitores, & pro aliis Definitoribus, ut ſupra obligarunt, & promiſerunt quandiu Seminarium prædictum in Ædibus prædictæ Eccleſiæ permanſerit proprii Seminarii, ſeu Congregationis, aut Ordinis hujuſmodi ſumptibus, & abſque eo, quod a prædicto Eminentiſſimo D. Cardinali, ſive ejus in dicto Monaſterio Succeſſoribus aliquid unquam pro tempore conſequi, ſeu prætendere valeant in prædicto Monaſterio Sacerdotes habere, & tenere, qui Miſſas in prædicta Eccleſia celebrent, & Divina Officia peragant, ac omnia, & ſingula onera, dictæque Eccleſiæ quomodolibet incumbentia, tam ea, quæ ad præſens in lucem prodierunt, quam alia quæcumque, quæ forſan tractu temporis detegerentur, ad amuſſim, & unguem adimpleant confecto per eos libro, in quo onera prædicta, quorum notitia ad præſens habetur, adnotentur, & etiam ſimili modo alia, quæ forſan in futurum apparere contingat, quem librum tertio quoquo anno ad dictum Eminentiſſimum D. Cardinalem, & Commendatarium pro tempore exiſtentem teneantur deferre, ut videre poſſint, an onera ſint adimpleta, necnon omnes reparatio-

nes necessarias, tam in dicta Ecclesia, quam Ædibus prædicti Monasterii propriis sumptibus facere. Itaut prædictus Eminentissimus D. Cardinalis, & ejus in dicto Monasterio Successores aliquid occasione reparationum prædictarum contribuere minime teneantur, nisi casu, quo tractu temporis Ecclesia, seu Monasterium hujusmodi in totum, vel in notabili parte rueret, tunc enim Ecclesiæ, seu Monasterii hujusmodi refectio ad prædictum Eminentissimum D. Cardinalem, & ejus in dicto Monasterio successores spectet, & pertineat; neque liceat Præposito Generali, aliisque Superioribus, & Religiosis dicti Ordinis perpetuis futuris temporibus Ecclesiam, seu Fabricas, & Viridarium, & Terras prædictas cuicumque alii Religioni, seu personæ cujuscumque gradus, status, & conditionis, etiam speciali nota dignæ, quocumque titulo, prætextu, causa, & occasione, neque in toto, neque in parte etiam minima concedere, neque ad effectum concessionis hujusmodi licentiam, & facultatem a Sede Apostolica petere, & obtinere: liceat tamen quascumque commoditates eisdem PP. placitas, & benevisas in Ecclesia, & Monasterio prædictis pro eorum arbitrio peragere, debeantque Religiosi dicti Ordinis, qui in dicto Monasterio permanserint, ornamenta Altarium, & paramenta Ecclesiastica, ac supellectiles Sacras in meliorem statum reducere, & ut bona mobilia, & supellectilia Ecclesiæ, & Monasterii hujusmodi majori, qua potest, cura conserventur, & manuteneantur, debeantque etiam conficere Inventarium, in quo mobilia, & supellectilia prædicta cum eorum qualitatibus, & statu, in quo ad præsens reperiuntur, adnotentur, & de illis teneantur Religiosi prædicti, prout dicti Patres Definitores præsentes, nominibus, quibus supra promiserunt, & se obligarunt, bonum, & fidele computum reddere prædicto Eminentissimo D. Cardinali, & ejus in dicto Monasterio Successoribus: ac si tractu temporis Seminarium prædictum a prædicto Monasterio amoveatur, seu amplius non subsistat, ac Religiosi dicti Ordinis dictum locum relinquant, tunc, & eo casu, etiam teneantur, & obligati existant Ecclesiam, Fabricas, Viridarium, & Terras prædictas, cum omnibus, & singulis reparationibus, melioramentis, commoditatibus, & ornamentis per Religiosos dicti Ordinis in eisdem Ecclesia, Fabricis, Viridario, & Terris quomodolibet factis prædicto Eminentissimo D. Cardinali, sive ejus in dicto Monasterio Successoribus, libere restituere absque eo quod aliquid propterea a prædicto Eminentissimo D. Cardinali, sive ejus in dicto Monasterio Successoribus habere, seu quocumque titulo prætendere possint, & valeant. Itaut prædictus Eminentissimus D. Cardinalis, sive ejus in dicto Monasterio successores, præmissorum omnium, & singulorum possessionem propria auctoritate, & de facto absque Judicis sententia, sive ministerio apprehendere, & retinere possint, & valeant, expresso ad id Præpositi Generalis, & Definitorum prædictorum proprio, & totius Ordinis hujusmodi nomine accedente consensu.

Concessiones.

Declarantes, & constituentes se precario nomine Commendatarii pro tempore existentis prædicti Monasterii Ecclesiam, Fabricas, Viridarium, ac Terras prædictas possidere, quam clausulam, ut vocant Constituti, volunt, & intendunt, ut nunquam tractu temporis expiret, sed semper, & perpetuo duret: Liceat tamen eo casu Religiosis prædictis bona mobilia, & supellectilia, cujuscumque generis sint, vel speciei, ad usum Ecclesiæ, sive ejus Sacristiæ, aut Monasterii hujusmodi quomodolibet spectantia, & pertinentia, quæ Religiosi prædicti de eorum proprio comparaverint, seu quomodolibet eis donata, elargita, aut concessa fuerint, nullo dicti Eminentissimi D. Cardinalis, ejusque in dicto Monasterio Successorum ad hoc requisito consensu, levare, & secum asportare, relictis tamen mobilibus, & supellectilibus Ecclesiæ, & Monasterii hujusmodi in eisdem statu, & terminis, in quibus ad præsens reperiuntur. Ita ut si usu consumpta fuerint, alia in eorum loco submittere, & subrogare teneantur, & obligati existant, teneanturque denique Religiosi prædicti, prout dicti Definitores promiserunt, intuitu concessionis hujusmodi tradere, & consignare dicto Domino Cardinali, statim obtento beneplacito apostolico super approbatione, & confirmatione præmissorum, & infrascriptorum, Tabulam depictam cum effigie S. Pancratii, ut vulgo dicitur *un quadro di San Pancrazio*, & deinde futuris perpetuis temporibus in die Festo ejusdem S. Pancratii eidem Eminentissimo D. Cardinali, ejusque in dicto Monasterio Successoribus, tradere unam intorticiam Ceræ albæ librarum trium: ac etiam Præpositus, & Definitores Generales prædicti, eorum propriis, & totius Ordinis, & Seminarii hujusmodi nomine concessionem, & assignationem prædictam modo, & forma præmissis factas, reservato, ut præfertur, dicto beneplacito apostolico, & non alias acceptarunt, & emologarunt, non solum præmisso, sed, & omni meliori modo.

Quæ omnia, & singula supradicta supradicti Præpositus, & Definitores propriis, & quibus supra nominibus, & dictus D. Julius Cæsar Procuratorio nomine dicti D. Cardinalis promiserunt habere rata, grata, valida, & firma, & contra non facere sub quovis prætextu, &c. alias, &c. de quibus, &c. quod juramentum, &c. pro quibus dicti Patres Præpositus, & Definitores propriis, & quibus supra nominibus, sub eadem beneplaciti reservatione bona dicti eorum Monasterii, & Ordinis, seu Congregationis, Religiosos, & Successores quoscumque in eis, & dictus D. Julius Cæsar Procuratorio nomine, quo supra dictum Eminentissimum Dominum Cardinalem, bona, &c. in forma Cameræ Apostolicæ cum solitis clausulis, &c. citra, &c. obli-

obligarunt, &c. renunciarunt, &c. consenserunt, &c unica, &c., & tactis pectoribus more, &c., & scripturis respective jurarunt, &c. super quibus omnibus, & singulis præmissis petitum fuit a me Curiæ causarum Cameræ Apostolicę Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, seu publica conficerem, atque traderem Instrumentum, & Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero. Actum Romæ in Palatio solitæ habitationis Illustriss., & Reverendiss. D. Fagnani in Monte Piceno, præsentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus Reverendiss. D. Hieronymo filio quondam Joan. Dominici Erminei Urbevetano, & D. Joanne Carolo Pasquetto quondam Archangeli de Pedeluco Interamnensis Dioecesis, Testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis. Ego Antimus Curtus Curiæ causarum Camerę Apostolicæ Notarius, de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi requisitus.

§. 4. Nobis propterea prædictus Dominicus Præpositus Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Dominicum Prępositum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: ac quarumvis literarum Apostolicarum, præsertim fel. rec. Pauli V. ac Urbani VIII., & Innocent. X. Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum, etiam in simili forma Brevis super institutione dicti Seminarii, ac ordinationibus illud quovis modo concernentibus respective emanatarum, necnon Decretorum præfatæ Congregationis Cardinalium negotio Propagandæ Fidei Præpositorum, ac Capituli Generalis Ordinis, seu Congregationis Italiæ hujusmodi concordiarum, testamentorum, codicillorum, legatorum, & aliarum dispositionum quarumcumque tenores, & datas etiam veriores, ac alia etiam speciali, & individua mentione, & expressione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictæ Ecclesiæ S. Pancratii, & Fabricarum illi adjacentium, & Viridarii, necnon Terrarum illi vicinarum, ac annexarum, & connexarum circumcirca Ecclesiam, & Monasterium hujusmodi prędictis Dominico Præposito Generali, & Congregationi Italiæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo a prædicto Francisco Cardinale sicut præmittitur factam, ac confectum desuper instrumentum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo quomodolibet contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur, & efficaciam adjungimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet etiam substantiales, & formales defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo quovis modo intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi unquam possent, supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus. Præterea in prædictis Fabricis ad usum Monasterii factis, & quæ ad eum effectum ante suppressionem prædicti Ordinis SS. Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus serviebant, novum Conventum Fratrum Discalceatorum nuncupatorum dictæ Congregationis Italię Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, sub titulo, seu invocatione S. Pancratii cum Ecclesia ejusdem S. Pancratii, ac Viridario, & Terris supradictis itidem perpetuo erigimus, & instituimus. Ac prædictum Seminarium S. Pauli in prædicto Conventu Sanctæ Mariæ de Victoria alias apostolica auctoritate erectum, & institutum a Conventu hujusmodi in Conventum S. Pancratii sic noviter erectum pariter perpetuo transferimus, & transportamus, seu ipsum Seminarium sub denominatione, seu invocatione ejusdem S. Pauli in dicto novo Conventu S. Pancratii, itaut idem Seminarium regimini, & gubernio memorati Dominici moderni, & pro tempore existentis Præpositi, ac Definitorii Generalis memoratæ Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum in omnibus, & per omnia immediate subsit, & in illo assidue commorari debeant duodecim saltem Seminaristæ in Sacro Presbyteratus Ordine constituti, ac regulares dictæ Congregationis ex illius Provinciis assumendi, qui bonis moribus, pietate, zelo, prudentia, doctrina, aliisque virtutibus, necnon corporis sanitate præditi sint, & studium Sacræ Theologiæ compleverint, ac intra octiduum a die ingressus cujuslibet eorũ in dictum Seminarium votum, seu juramentum eundi ad Missiones sibi injungendas in manibus dicti Præpositi Generalis, seu Superioris novi Conventus hujusmodi pro tempore existentis emittere debeant sub hac forma, videlicet: ego N. promitto me ad quamlibet Missionem pro conversione infidelium, seu hæreticorum iturum, cum obedientia id mihi injunxerit: nec ab hoc voto, seu juramento absolvi unquam possint, auctoritate, & tenore præfatis itidem perpetuo de novo erigimus pariter, & instituimus. Volentes, & decernentes, quod præfatus modernus, & pro tempore existens Præpositus Generalis antedictæ Congregationis Italiæ semper teneatur eosdem Seminaristas ad eas Missiones destinare, seu amandare, quæ ei a præfata Cardinalium Congregatione negotio Propagandæ Fidei præposita ordinatæ

Confirmat decretum.

Forma juramenti.

natæ fuerint, juxta modum, seu capacitatem redditnum Seminarii hujusmodi ad rationem annuorum quinquaginta scutorum pro quolibet Missionario.

§.5. Quod si dictus Præpositus Generalis in aliquo casu particulari existimaverit non expedire mitti aliquem ex dictis Seminaristis, eo casu obligatus sit alium ab eadem Cardinalium Congregatione approbandum mittere. Postquam vero quilibet Seminarista ad Seminarium hujusmodi advenerit, debeat Superior ipsius Seminarii pro tempore existens, eum ad dilectum filium Secretarium prædictæ Congregationis Cardinalium ducere, ac in illius manibus notam diei adventus ipsius Seminaristæ, necnon juramenti, seu voti prædicti per eum præstiti exhibere, ac insuper quotannis ineunte Mense Novembri notam omnium Seminaristarum tunc viventium, tam in Seminario tunc actu existentium, quam eorum, qui in Missionibus fuerint, ac denique eorum, qui juramentum, seu votum hujusmodi præstiterint, & tunc temporis, nec in Seminario, nec in Missionibus fuerint, memorato Secretario tradere cum expressione ætatis uniuscujusque illorum, necnon temporis, quo juramentum, seu votum prædictum emiserint, & quoad Missionarios a quo tempore reperiantur in Missionibus, a quibus nemo possit amoveri, aut revocari absque participatione præfatæ Congregationis Cardinalium. Præterea statuimus, & ordinamus, ut novus Conventus, & Seminarium hujusmodi subjaceant curæ unius Rectoris, & unius Vicerectoris Fratrum Discalceatorum dictæ Congregationis Italiæ ponendorum, & amovendorum ad nutum Præpositi Generalis, & Definitorii præfatorum, cum participatione tamen, & approbatione, quantum quidem ad Rectorem attinet dictæ Congregationis Cardinalium in scriptis facienda; ipse vero novus Conventus ita servire debeat usui Seminarii supradicti, ut in eo nemo commorari possit, præter Seminaristas, eorumque Magistros, & Lectores controversiarum, ac linguarum Orientalium, aliosque Religiosos Ministerio Ecclesiæ, & servitio domestico ipsius Seminarii necessarios, quorum electio, & amotio in futurum spectet ad memoratum Præpositum Generalem, cum participatione tamen præfatæ Congregationis Cardinalium, quantum ad Seminaristas, eorumque Lectores attinet. Ad hæc administrationem omnium, & singulorum bonorum, redditnum, & proventuum supradicto Seminario, ejusque Missionibus hactenus, tam a præfato Francisco Cimino Barone, quam ab aliis quibuslibet relictorum, datorum, seu donatorum, & in posterum quovis modo dandorum, relinquendorum, & donandorum curæ, & diligentiæ Præpositi Generalis, & Definitorii præfatorum ad quinquennium committimus, & supponimus, quæ administratio finito quinquennio hujusmodi eis prorogari, seu renovari possit, si præfatæ Cardinalium Congregationi ita videbitur, ea lege ut iidem Præpositus Generalis, & Definitorium constituant Syndicum ad exigendos, expendendosque redditus præfatos, qui Syndicus semel, vel bis annis singulis fidelem eorumdem redditnum rationem, tam præfato Definitorio Generali, quam memoratæ Cardinalium Congregationi reddere, ac pro alimentis, & sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque rebus necessariis dictorum Seminaristarum, eorumque Lectorum, memorato novo Conventui, ejusque Superiori ex redditibus ipsi Seminario, tam hactenus relictis, quam in posterum relinquendis scuta quinquaginta monetæ annuatim pro quolibet Seminarista, & Lectore, ad rationem annuorum quinquaginta scutorum monetæ hujusmodi pro rata temporis, quo quilibet Seminarista, seu Lector in eodem Seminario resederit, ibique aliis cohabitaverit, & convixerit, respective solvere teneantur.

Ordinationes

§.6. Quod si Lector pro studio linguarum fuerit Secularis, vel Religiosus alterius Ordinis, competens ei salarium, seu stipendium ex redditibus dicti Seminarii memoratæ Congregationis Cardinalium arbitrio assignetur. Demum eidem Seminario sic a Nobis translato, seu de novo erecto, omnia, & singula bona, redditus, proventus, jura, actiones, & alia quæcumque cujusvis generis, speciei, & qualitatis sint, ac ubicumque locorum consistant, tam illa, quæ a præfato Francisco Cimino, aliisve personis quibuslibet Seminario antedicto, ejusque Missionibus quovis modo hactenus relicta, donata, data, & elargita fuerant; quam in posterum quandocumque, & quomodocumque relinquenda, donanda, danda, & elargienda, itaut liceat præfatis Præposito Generali, & Definitorio ejusdem Seminarii nomine illorum omnium, & singulorum, veram, realem, & corporalem possessionem, seu quasi apprehendere, & adipisci, ac apprehensam, & adeptam retinere, auctoritate, & tenore præfatis, itidem perpetuo applicamus, assignamus, & appropriamus. Ac eisdem novo Conventui, & Seminario, necnon Seminaristis, & Fratribus dictæ Congregationis Italiæ in illis pro tempore commorantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, prærogativis, gratiis, indultis, antelationibus, præeminentiis, facultatibus, & favoribus, quibus alii Conventus Congregationis, & Ordinis præfatorum, ac personæ in eis degentes, de jure, usu, consuetudine, & alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præ- Clausulae apponit.

præ-

præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis, aut alias ſpeciali, & individua mentione digni exiſtant, illis non conſenſerint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis juſta, legitima, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, ſeu intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, quantumvis magno, ac formali, & ſubſtantiali, neceſſariamque expreſſionem, requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, neque ipſas præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium confirmationum, erectionum, tranſlationum, applicationum, aſſignationum, appropriationum, conceſſionum, indultorum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, reſtrictionibus, derogationibus, aliiſve contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, Sedemque Apoſtolicam ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuslibet clauſulis, & Decretis quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo ſub quacumque poſteriore data per præfatos Præpoſitum Generalem, & Definitorium, ac Superiorem, Seminariſtas, & Fratres novi Conventus, & Seminarii hujuſmodi pro tempore exiſtentes eligenda conceſſas, intelligi, ſemperque firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore; ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Non obſtantibus præmiſſis, necnon præfatis noſtris, ac memoratorum Pauli, Urbani, & Innocentii Prædeceſſorum etiam in ſimili forma Brevis literis, & concordiis, legatis, teſtamentis, codicillis, & diſpoſitionibus ex quacumque cauſa, occaſione, & tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, exequutis, & obſervatis reſpective, & aliis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmiſſa ſufficienter, & expreſſe commutamus, ac noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad inſtar, & quatenus opus ſit illa de unionibus, & applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, exprimendoque in illis vero valore, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis, fieri prohibendo, necnon rec. mem. Pauli Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum pariter noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac præfatorum Monaſterii, & Eccleſiæ S. Pancratii, Conventus S. Mariæ de Victoria, & Seminarii, necnon Provinciæ Romanæ, Congregationis Italiæ, & Ordinum hujuſmodi, aliiſve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſsis, approbatis, & innovatis, aliiſque omnibus, & ſingulis, quæ in ſupradictis literis noſtris voluimus non obſtare. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, cauſas, formas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum inſertis, expreſſis, & ſervatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe, ac pleniſſime, & ampliſſime derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariorum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 1. Martii 1662. Pontificatus noſtri Anno VII.

Dat. die 1. Mart. 1662. An. VII.

Super

CCCLXXXIII.

Super unione Congregationum Monachorum Vallis Umbrosæ, & Silvestrinorum nuncupatorum, sub Regula S. Benedicti militantium, in unam Congregationem, quæ Vallis Umbrosæ, & Silvestrina Ordinis S. Benedicti nuncupabitur.

*Monachorum Silvestrinorum Congregationem fundavit S. Silvester Guzzolinus Abbas Auximanus Paul.V. Const.*276. Sanctorum *Tom.*5. *Par.*4. *fol.*236. *Monachorum Vallis Umbrosæ Institutor fuit S. Jo: Gualbertus Cœlest.III. Constit.* 3. Religiosam *Tom.*2.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium. Omnipotentis Dei, cujus ineffabili bonitate, & providentia stant, & reguntur universa, vices (licet immeriti) gerentes in terris, ad ea peculiares vigilantiæ nostræ curas propensissima charitate convertimus, quæ felici, prosperoque statui, & regimini Congregationum virorum sub suavi Christi jugo laudabilibus vitæ Monasticæ institutis incumbentium, uberesque bonorum operum fructus, aspirante divina gratia, proferre jugiter satagentium conducibilia fore, prudenti deliberatione prævia arbitramur.

Motiva hujus Constitut. §.1. Cum itaque Congregationes Monachorum Vallis Umbrosæ,& Silvestrinorum nuncupatorum sub eadem, nempe S. Benedicti Regula militent, si vero illæ sub unius Superioris Generalis gubernio unirentur, & in unum corpus conjungerentur, inde non modicum divini servitii, utilitatisque utriusque Congregationis hujusmodi proveniret incrementum, & inter ipsarum Congregationum Professores charitatis, aliarumque religiosarum virtutum studia magis magisque in dies florerent, & vigerent: Hinc est, quod Nos ex Pastorali officii nostri debito earumdem Congregationum felici statui, & commodis salubriter quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes.

§.2. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine easdem Congregationes Monachorum Vallis Umbrosæ, & Silvestrinorum nuncupatorum, ac omnia, & singula utriusque illarum Monasteria, Grangias, Conventus, Membra, &alia loca regularia quæcumque ad illas quovis modo spectantia, & ab ipsis Congregationibus, earumque Monasteriis, & locis regularibus quomodocumque, & qualitercumque dependentia in unam Congregationem, quæ Congregatio Vallis Umbrosæ, & Silvestrina Ordinis S. Benedicti nuncupari, & conjunctis ambarum Congregationum prædictarum insignibus uti debeat, tenore præsentium perpetuo conjungimus, & unimus; Volentes, ut universa Congregatio sic ex duabus in unam coalescens, in tres Professiones in omnibus inter se, ac penitus, & omnino coæquatas, quarum una S. Benedicti, & altera S. Joannis Gualberti, ac tertia Silvestrina respective vocentur, divisa sit: Electio autem Abbatis Generalis alternatim, & per turnum inter easdem Professiones fiat, & Abbas Generalis pro tempore electus universæ Congreg. hujusmodi caput existat.

Unit ambas Religiones. (margin)

§.3. Quandocumque vero Abbas Generalis ex una professione fuerit, Visitatores ex aliis duabus professionibus assumantur. Porro electio Abbatis Generalis post modernum ex toto gremio Capituli Generalis de persona habili fiat, nullo habito ad ullam professionem respectu, & finito Generalatu electi, eadem forma eligatur ad subsecuturum quadriennium unus ex professione Silvestrina, nisi tamen ex illa assumptus fuerit Abbas Generalis pro quadriennio antecedenti, itaut a primo electo turnus, seu alternativa incipiat.

Nonnullæ ordinationes. §.4. Statuentes, ut quando Abbas Generalis fuerit ex aliqua dictarum professionum S. Benedicti, & S. Joannis Gualberti, Vicarius Generalis Congregationis hujusmodi semper sit ex Professione Silvestrina, & vice versa, si ex Professione Silvestrina fuerit Abbas Generalis, ex aliqua prædictarum S. Benedicti, & S. Joannis Gualberti Professionum assumatur Vicarius Generalis. Quod si prius electus in Abbatem Generalem unus ex illa aliarum duarum professionum, quæ Abbatem Generalem prius immediate non habuerit: Vicarius autem Generalis secundum in universa Congregatione hujusmodi locum habeat, omnique facultate, quæ Vicario Generali competere solet (præterquam eligendi, vel removendi Superiores, & Officiales, ac mutandi, seu transferendi Monachos ab uno loco in alium absque occasione gravis scandali, & casus urgentis) potiatur, & in casu vacationis Generalatus succedat Vicarius Generalis in omnibus, & per omnia cum auctoritate Abbatis Generalis usque ad novam electionem, quæ tertia Dominica post Pasca Resurrectionis Dominicæ vacationem hujusmodi immediate subsequente fieri debeat.

§.5. Præterea statuimus, ut universæ Congregationis prædictæ in Romana Curia Procurator Generalis pariformiter, sicut Abbas Generalis alternatim eligatur, cum restrictivis, & clausulis supra expressis quoad electionem Abbatis Generalis; ita tamen, ut si prima vice Abbas Generalis ex Professione Silvestrina non eligatur, debeat ex illa eligi Procurator Generalis.

§.6. In quolibet autem Capitulo Generali eligantur novem Definitores, tres videlicet ex singulis illis Professionibus, ex quibus Abbas Generalis non fuerit assumptus, duo vero ex illa, quæ ea vice habuerit Abbatem Generalem, qui semper sit, & intelligatur esse caput Definitorii, & novennarium Definitorum numerum compleat. Porro extra Capitulum in causa

ſa vacationum electio novorum Abbatum Vocalium, & Officialium fiat ab Abbate Generali, & duobus Viſitatoribus; prius tamen Definitores illius Profeſsionis, in qua vacatio contigerit, tres Monachos habiles per vota ſecreta eligant proponendos Abbati Generali, & Viſitatoribus, qui aliquem ex tribus nominatis in Abbatem Vocalem, & Officialem eligere teneantur. Eveniente vero legitima vacatione unius, vel plurium ex prædictis tribus Definitoribus, unus, vel plures Abbates ejuſdem profeſsionis illi ex dictis tribus Definitoribus, qui Profeſsione antiquior fuerit, viciniores advocentur. Et hic idem ſtylus etiam ſervetur in caſu vacationis Viſitatorum extra Capitulum.

§.7. Quælibet autem electio, tam in Capitulo, quam extra Capitulum celebranda, per duas ex tribus partibus ſuffragiorum fiat, alioquin ſit nulla. Ad hæc volumus, ut quicumque Monachi trium profeſſionum antedictarum, qui ſunt, & uſque ad publicationem novarum Conſtitutionum erunt capaces cujuſvis gradus, in ſua habilitate remaneant.

§.8. Conſtitutiones vero ambarum Congregationum per præſentes in unam conjunctarum a tribus ex Vallis Umbroſæ, qui ſint Abbas Generalis, & duo Viſitatores, necnon ab aliis tribus Monachis ex Silveſtrinorum Congregationibus hujuſmodi, qui ſint Vicarius Generalis, ac Procurator Generalis, & primus Viſitator, revideantur. Ipſæque Conſtitutiones ſic reviſæ, & reductæ, a Capitulo Generali approbentur, & Nobis ſubinde confirmationis apoſtolicæ deſuper obtinendæ gratia præſententur.

Sequuntur Ordinationes §.9. Debita autem hucuſque contracta a prædictis duabus Congregationibus ſolvantur diſtricte, ſicut modo fit, nec ſint communia, ad debita vero contrahenda, & expenſas faciendas poſt præſentem unionem, quæ concernent corpus Religionis, concurrant omnes Profeſſiones pro rata.

§.10. Præterea volumus pariter, & ordinamus, ut dilectus filius modernus Abbas Generalis Congregationis Vallis Umbroſæ Generalatum univerſæ Congregationis Vallis Umbroſæ, & Silveſtrinæ hujuſmodi gerat, dilectus vero pariter filius modernus Abbas Generalis Congregationis Silveſtrinorum remaneat Vicarius Generalis Congregationum Vallis Umbroſæ, & Silveſtrinæ, ut præfertur, conjunctarum, & in ſua Profeſſione Sylveſtrina eamdem auctoritatem, eamdemque denominationem, quam nunc habet, retineat uſque ad Capitulum Generale, & caſu quo deficiat Abbas Generalis, Generalatum totius Congregationis ſuſcipiat gerendum uſque ad novam electionem, ut ſupra faciendam.

§.11. Dilecti quoque filii moderni Procuratores Generales, tam Vallis Umbroſæ, quam Sylveſtrinæ Congregationis ſupradictarum remaneant Procuratores reſpective ſuarum Profeſſionum eo modo, quo nunc ſunt uſque ad Capitulum Generale: quod ſi interea aliquis eorum ceſſaverit ab officio, alter remaneat Procurator Generalis ambarum Congregationum inſimul unitarum: pari modo dilecti filii moderni Viſitatores Sylveſtrini in ſuis muneribus remaneant uſque ad finem eorum triennii, quo tempore durante tantum Abbas Genrralis una cum illis Profeſſionem Sylveſtrinam viſitare poſſit: Finito vero triennio hujuſmodi, eo anno qui ſupereſt uſque ad Capitulum Generale, tam Viſitatores Sylveſtrini, quam duo Vallis Umbroſæ una cum Abbate Generali univerſam Religionem viſitent, idque intelligatur pro dicto quarto anno; poſtmodum vero obſervetur in novo Capitulo Generali illud quod ſupra decretum eſt circa Viſitatores, quod ſi durante dicto triennio alicujus ex Monaſteriis Profeſſionis Sylveſtrinæ vacatio occurrat, poſſit illius Vicarius Generalis nominare Monachum habilem Abbati Generali, a quo nominatus inſtituatur, & hæc forma obſervetur uſque ad Capitulum Generale. Præfatæ autem electiones, & electi, necnon omnes moderni Superiores Sylveſtrini in ſuis Superioritatis Officiis durent uſque ad dictum Capitulum Generale, in quo pro novis electionibus faciendis ad probitatem, ac virtutes, & merita promovendorum attendatur.

§.12. Poſtremo eidem Congregationi per præſentem unionem ex duabus in unam coaleſcenti, ejuſque Monaſteriis, & aliis locis Regularibus, ac Superioribus, Monachis, & perſonis quibuſcumque, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, indulgentiis, indultis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, honoribus, & favoribus, tam a Nobis, quam a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & Sede Apoſtolica cuilibet ex memoratis duabus Congregationibus quovis modo, & qualitercumque conceſſis uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus concedimus, & indulgemus.

§.13. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quovis modo prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, præeminentiæ, ſuperioritatis, ordinis, conditionis, & dignitatis exiſtant, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate præditi, ſeu alias ſpeciali, & individua mentione, & expreſſione digni ſint, illis non conſenſerint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & ſufficienter, aut nullo modo juſtificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque, quantumvis juſta, juridica, pia, & privilegiata cauſa, occaſione, colore, ingenio, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptio- Clauſulas apponit.

ptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu jus, vel interesse habentium, seu habere pretendentium consensus, aliove quovis, quantumlibet magno, formali, substantiali, ac incognito, & inexcogitabili, necessarioque, & specificam expressionem requirente defectu notari, infringi, impugnari, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas, & illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium unionum, conjunctionum, statutorum, ordinationum, concessionum, & indultorum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, Sedemque prædictam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & alias quomodocumque, & quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quandocumque eligenda concessas intelligi, semperque, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutores depatat.

§. 14. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ostiensi, & Portuensi Episcopis, ac dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per easdem præsentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu illorum, quos præsentes literæ concernunt, aut alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum singulos ipsarum præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel quovis modo impediri, præmissaque omnia, & singula curent, & faciant ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, realiter, & cum effectu, ac exacte, & inviolabiliter observari: Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum interest, & de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Lateranensis Concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac prædictarum Congregationum Vallis Umbrosæ, & Sylvestrinorum, illarumque Monasteriorum, & locorum Regularium quorumvis & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Congregationibus, seu earum alteri, illarumque, seu alterius earum Superioribus, Monachis, Personis, Monasteriis, & locis Regularibus quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illo-

illorum tenores, causas, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, insertis, expressis, servatis, & specificatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. §.16. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 29. Mart. 1662. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Martii 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Decretum circa Visitatores Officio Functos Congregationis Lateran. Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iis, qui visitatoris officio functi sunt unus tantum in qualibet Prov. Prælatus remaneat. §.1. CUM in Constitutionibus Congregationis Lateranensis Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini dispositum sit, ut qui Visitatoris Officio functi sunt, remaneant in perpetuum Prelati Titulares cum voce activa, & passiva in Capitulis Generalibus, ac Dietis; id vero in grave regularis observantiæ præjudicium, ac Monasteriorum, Provinciarumque dispendium cedere compertum sit: Nos opportune hac in re providere cupientes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium decernimus, ut ex iis, qui Visitatoris Officium in posterum expleverint, unus tantum pro qualibet Provincia, & qui in eodem sit antiquior, tanquam Prælatus, & Definitor habeatur ad supradictarum Constitutionum præscriptum, eoque aut per obitum, aut alia ex causa deficiente, proximior pro officii antianitate assumatur (modo aliquod non obstet canonicum impedimentum) exceptis tamen Generalibus, qui absque tali discrimine perpetui Definitores habeantur.

Clausulæ. §.2. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 29. Mart. 1662. An. VII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimanona Martii 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Deputatio Vicarii Apostolici Ecclesiæ Bisuntin. cum revocatione cujuslibet alterius a Capitulo Bisuntin. electi.

Dilecto filio Joanni Dorivalio Archidiacono Luxovien., ac Canonico Ecclesiæ Bisuntin.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Procemium. ONerosa Sacrosancti Apostolatus cura humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio divinitus imposita postulat, ut earum præcipue Ecclesiarum, quæ Pastoribus viduatæ sunt, periculis salubriter occurrere, & utilitatibus consulere quantum Nobis ex alto conceditur studeamus.

Motiva. §.1. Cum itaque (sicut accepimus) Metropolitana Ecclesia Bisuntin. per obitum bo: mem. Joannis Jacobi ultimi illius Archiepiscopi nuper defuncti solatio Pastoris destituta sit, ipsiusque Ecclesiæ Capitulum, & Canonici ex causa, & occasione electionis Guglielmi Humberti Præcipiani, seu de Præcipiano in Decanum ejusdem Ecclesiæ contra mandata nostra temerario ausu attentatæ, & nulliter factæ inter se dissideant, & pars quidem eorum Nobis, & Apostolicæ Sedi (ut par est) obedientes sint, altera vero pars, videlicet dictus Guglielmus Humbertus, aliique singuli Canonici, qui in ipsius Guglielmi Humberti electionem hujusmodi per se ipsos, vel Procuratores consenserunt, ac vota dederunt, ab exequutione Sacrorum Ordinum, & ab exercitio quorumcumque officiorum per nostras in simili forma Brevis literas die 5. Decembris proxime præteriti expeditas, quarum tenorem præsentibus habe-

ri volumus pro expresso, suspensi, ac ad nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum voce activa, & passiva privati, aliisque pœnis innodati reperiantur: Hinc est, quod Nos pro commissa Nobis a Domino omnium Ecclesiarum solicitudine providere volentes, ne dicta Ecclesia Bisuntin. propter præmissa aliquod in spiritualibus, & temporalibus detrimentum patiatur, ac de tua fide, prudentia, integritate, vigilantia, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confisi; Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prævia electionis, seu deputationis cujusvis alterius Vicarii, & Vicariorum a prædicto Capitulo hactenus forsan electi, & deputati, aut electorum, & deputatorum revocatione, & cassatione, prout illam, quatenus, & prout facta fuerit, cassamus, annullamus, & rovocamus, Te in Civitate, & Diœcesi Bisuntin. Vicarium, & Officialem, ac Nostrum, & Sedis Apostolicæ prædictæ Commissarium in spiritualibus, & temporalibus, tenore præsentium quamdiu Ecclesiæ prædictæ vacatio duraverit, & a Nobis de alio Archiepiscopo, & Pastore illi provisum fuerit, ac interim ad nostrum, & ejusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum facimus, constituimus, eligimus, & deputamus cum eisdem facultate, auctoritate, & potestate quoad exercendum ea, quæ Jurisdictionis, & voluntariæ existunt, excepta tamen facultate, Beneficia Ecclesiastica conferendi, ac literas commendatitias, & dimissorias ad Sacros Ordines concedendi, quam Archiepiscopus Bisuntin. pro tempore existens habere, & exercere solet in universa Diœcesi in foro conscientiæ, & contentioso, & alias quomodocumque, & qualitercumque, necnon Ecclesias & loca pia omnia, etiam Monialium Monasteria, etiam exempta quoad clausuram ad Sacri Concilii Tridentini præscriptum visitandi, & reformandi, ac in visitatione hujusmodi quam celerrime, & debita cum diligentia proceden. Judices, Consultores, Vicarios foraneos, Notarios, Actuarios, Magistros Actorum, Procuratores, Fiscales, Exequutores, omnesque alios, & singulos Officiales tam majores, quam minores curiæ Archiepiscopalis, quibuscumque nominibus censeantur in Civitate, & Diœcesi prædictis, quoties opportunum fore judicaveris, & alias juxta solitum removendi, ac alios in eorum loca eligendi, deputandi, & subrogandi, mulctasque, & pœnas pecuniarias apud aliquem probum, & idoneum virum per Te de Clero eligendum deponendi, piis usibus arbitrio tuo applicandas; quascumque Literas Apostolicas Archiepiscopo prædicto, sive ejus Vicario, vel Officiali directas, & dirigendas æque ac si sibi specialiter dirigerentur aperiendi, & exequendi Literas monitoriales in forma *significavit* pro rebus deperditis, seu furto sublatis juxta præscriptum dicti Concilii Tridentini, ac Bullæ fel. rec. Pii Papæ V. Prædecessoris Nostri concedendi. In Beneficiis de Jurepatronatus, ejusque erectione, & constitutione, necnon locationibus, emphyteutis, alienationibus, & permutationibus bonorum Ecclesiarum juxta formam Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, auctoritatem, & consilium præstandi, causas criminales, civilesque, & Beneficiales, ac matrimoniales, & alias quascumq; principales, & incidentes, etiam per appellationem devolutas, & quæ ad Archiepiscopum Bisuntin. quovis modo pertinent de jure, vel consuetudine in Civitate, & Diœcesi prædictis cognoscendi, audiendi, committendi, fineque debito terminandi, contra delinquentes per Inquisitionem, etiam ex officio prout Juris fuerit procedendi, eosque corrigendi, mulctandi, puniendi, deponendi, & excommunicandi, suspendendi, & interdicendi, pœnarumque, & sententiarum earumdem moderationem, & mitigationem tibi reservandi, necnon censuras, & pœnas ipsas in casibus a jure permissis aggravandi, & reaggravandi, ac ab illis, aliisque casibus Archiepiscopo prędicto reservatis, prout tibi videbitur convenire in utroque foro absolvendi, & absolvi faciendi, cæteraque omnia faciendi, & exequendi, quæ dicto Archiepiscopo ratione Jurisdictionis de jure, & consuetudine competunt in præmissis, & circa ea, etiamsi talia forent, quæ magis specialem, & expressam exigerent Commissionem.

Oratorem in Vicarium eligit ceteris exclusis.

Nonnullæ facultates.

§. 2. Volumus autem, ut pro tua, & familiæ tuæ sustentatione ex redditibus Ecclesię prædictæ provisio annua ducentorum scutorum monetæ Romanæ pro tempore, quo officium prædictum, ut præmissum est, exercueris tibi persolvatur, & ejus rata de quadrimestri in quadrimestre anticipata solutione ultra emolumenta ordinaria, & extraordinaria licita, solita, & consueta, ita ut si ii, ad quos spectat in solutionibus, vel earum aliqua defecerint suo tempore, lapsis decem diebus ex fructibus Mensæ Archiepiscopalis pro deficiente portione, quæ tibi videbitur, propria auctoritate capere, & exigere libere, & licite possis, & valeas, simulque habitationem congruam in Palatio Archiepiscopali pro tempore Officii habere debeas, dantes tibi quoque facultatem Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentes pœnis pecuniariis piis usibus, arbitrio tuo applicandis, ac etiam per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Ex Ecclesiæ redditibus ducenta scuta oratori persolvantur.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in

in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon prædictæ Ecclesiæ Bisuntin., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesiæ, illiusque Capitulo, & Canonicis, aliisve personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & forma in illis tradita pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum

Reservatio.

§.4. Volumus autem, & declaramus, quod salva sit, & reservata quæcumque facultas, & jurisdictio competens Ven. Fratri Episcopo Andrevillen. prædictæ Ecclesiæ Bisuntin. Suffraganeo vigore Literarum Apostolicarum ejus deputationis, si quæ in præmissis, vel aliquo præmissorum competeret, cui per nostras præsentes literas derogare, seu præjudicare non intendimus.

Dat. die 3. Apr. 1662. An. VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 3. Aprilis 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Prohibitio transitus Fratrum Discalceatorum Congregationis Gallicanæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum ad Calceatos, vel Discalceatos Congregationis Hispaniæ, cum præcepto, ut qui huc usque transierunt remittantur &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Discalceati nuncupati Congregationis Gallicanæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod sæpius evenit, ut aliqui Fratres Congregationis hujusmodi absque ulla dispensatione Apostolica tam ad dicti Ordinis Fratres Calceatos de familia, quam ad Calceatos modificatos nuncupat., & Discalceatos Congregationis Hispaniæ transire præsumant, & per Superiores Generales in Conventibus suis recipiantur. Quod fieri nullo modo debet, nec potest; cum præterquamquod in dictæ Gallicanæ Congregationis, & Regularis Observantiæ maximum cedat detrimentum, id etiam in Literis erectionis Congregationis hujusmodi a felic. recordat. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro die 12. Septem. 1629. in simili forma Brevis emanatis, sub pœnis Apostasiæ (nisi prius a Sede Apostolica dispensatio fuerit obtenta) expresse prohibeatur. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat ut in rubr.

§.2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præfatas Urbani Prædecessoris Literas inspexerunt, partesque audiverunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolica tenore præsentium sub pœnis eo ipso incurren. privationis vocis activæ, & passivæ, necnon officiorum, & inhabilitatis ad ea, & alia quæcumque in posterum obtinenda, præcipimus, & injungimus tam Generali, & aliis quibuscumque Superioribus Regularibus Ordinis præfati, ac etiam Calceatorum modificatorum nuncupatorum, quam Superioribus Congregationum præfatorum Excalceatorum Nationis Hispanæ, ut in futurum Religiosos ullos memoratæ Congregationis Excalceatorum Gallicanæ nullatenus recipiant, seu recipere audeant, atque huc usque receptos statim ad eamdem Congregationem, a qua absque apostolica dispensatione discesserunt, remittant, exceptis iis, qui modo reperiuntur transitum fecisse ad Congregationem Excalceatorum Hispaniæ: Salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Redeuntes punire Superioribus vetat

§.3. Præterea præfatæ Congregationis Gallicanæ Superioribus simili modo, auctoritate, & tenore prædictis injungimus, ut eorumdem Fratrum reditum religiosa cum charitate excipiant, nec illos propterea (iis tantum exceptis, qui aliquorum perpetratorum criminum pœnas subterfugituri discesserunt) ullis pœnis, aut privationibus afficiant; Ac proinde ita circa præmissa fieri, & exequi respective sub jam dictis pœnis mandamus, & præcipimus.

§.4. Decernentes easdem præsentes lite-

literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausulas apponit.*

Contraria tollit. §. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictorum Ordinis, & Congregationum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 15. Apr. 1662. An. VII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 15. Aprilis 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXXVII.

Impositio subsidii scutorum tercentorum millium monetæ super bonis undecim Congregationum Regularium, pro Sanctæ Sedis Apostolicæ necessitatibus.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus Constitut. CUM inter cæteras Summorum Pontificum curas, quæ animum intime angunt, quietis Subditorum securitas sit, ex quo Nos ad hanc S. Sedem supremo Dei beneficio conscendimus, præcipuum Nobis studium fuit, ut qui in nostra sunt ditione, immunes a quolibet æstu timoris ea tranquillitate fruerentur, quæ pretio nullo satis compensatur: satius insuper arbitrati in Nos effundere gravissimas solicitudines, ut leviori pondere itidem præmerentur. Verum cum perturbationum vapores assurgere conspiciantur, ex quibus Cœli hujus serenitas feliciter quidem, sed maxi[illegible]ensis hucusque servata posset obnu[illegible]: Idcirco Nobis est evigilandum ne in nubem densati difficillime dissolvantur, cum adhuc dispersi non ardue possent dissipari: ea tamen est rerum humanarum conditio, ut ingenti nonnisi pecuniarum subsidio tranquillitas ematur: propterea pervium iter, & emergentibus periculis familiare Nobis est ineundum, & dum vigiles elaboramus pro subditorum securitate, ipsi quoque curas nostras urgentes minuere pecuniis elargitis minime graventur. Quod ut adhuc promptius, & illo, quo potest minori incommodo præstare valeant, remedia desuper adhibemus opportuna.

§. 1. Motu igitur nostro proprio, non ad alicujus instantiam, sed ex scientia, meraque deliberatione nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine indicimus, atque imponimus, hac una sola vice dumtaxat subsidium tercentorum millium scutorum monetæ Romanæ super omnibus bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus, & aliis juribus Congregationum Cassinensis alias S. Justinæ de Padua, Lateranensis, Montis Oliveti, Camaldulensis etiam quoad Eremitas Camaldulenses, & Montis Coronæ, Carthusiensis, S. Salvatoris, Vallis Umbrosæ, Sylvestrinæ, S. Georgii in Alga, Cœlestinorum, Cisterciensis Lombardiæ, ac Tusciæ, & S. Hieronymi, earumque Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Beneficiorum, & Officiorum cum cura, & sine cura, necnon Mensarum, Membrorum, Grangiarum, & locorum omnium illis annexorum ubicumque existentium, per ipsarum Congregationum Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conventus, Capitula, & Personas juxta solitam taxam inter ipsos faciendam Thesaurario nostro Generali Romæ illorum periculis, & impensis, & alias quemadmodum inter dilectum filium nostrum Flavium tit. Sanctæ Mariæ de Populo nuncupat. Presbyterum Cardinalem Chisium nuncupatum Procamerarium nostrum, quem ad hoc Commissarium, & Procuratorem nostrum cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, jurisdictionibus, & juribus, quæ omnes alii antehac Commissarii, & Procuratores hujusmodi habuerunt, quibuscumque uti, & gaudere potuerunt, constituimus, & illos, sive illorum Procuratores convenerunt, integre persolvendum. Decernentes eos omnes ad præstationem, & solutionem subsidii prædicti secundum taxam hujusmodi faciendas esse efficaciter obligatos, etiamsi bona, proprietates, fructus, & omnia alia supradicta, quarta, decimis, subsidiis, & aliis multis, maximisque oneribus sint gravata. *Indicit subsidium 300. m. scutor.*

§. 2. Et proinde considerantes dictam summam nulla ratione congeri, nec congestam debito tempore numerari posse, nisi de rebus, & proprietatibus prædictarum Congregationum, & ipsorum locorum ali-

qua

qua distrahantur. proindeque de similis potestatis plenitudine statuimus, ut singuli Superiores prædicti ratam subsidii hujusmodi sibi contingentem per sua quisque Monasteria, Prioratus, Præposituras, Beneficia, Officia, Membra, Grangias, annexa, Conventus, & loca distribuant, & assignent, & distributam, & assignatam ab Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Monasteriis, Conventibus, locis, & personis, etiam per subtractionem rerum, & proventuum, & alias uti viderint expedire, omni, & quacumque exceptione sublata, vel impedimento cessante exigant.

§.3. Sed quia de universis dictarum Congregationum, & locorum suorum proventibus supradicta summa vix posset congregari; Nos de dictorum Superiorum fide, & probitate confisi plenam, liberam, & absolutam facultatem, mandatum, & potestatem tribuimus singulis Congregationibus, & pro eis suis Superioribus, ut nullius requisito consensu, ac etiam invitis, & reclamantibus particularibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Conventibus, & personis, etiam unitorum Monasteriorum, & locorum, possint, & valeant de omni, & quacumque proprietate, & dominio temporali cujuscumque Congregationis, & ejus Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Beneficiorum, Officiorum, Mensarum, Membrorum, Grangiarum, annexorum Conventuum, & locorum prædictorum ubicumque existentium, etiam præviis perpetuis suppressionibus, & extinctionibus Beneficiorum, & Officiorum, ac Grangiarum hujusmodi (consulta tamen prius Sede Apostolica, quoad suppressionem, & extinctionem prædictas tantum) itaut illis secutis, ipsorum bona, & proprietates Monasteriis, a quibus illa dependent, applicata, & appropriata remaneant, Bona, census, Feuda, loca Montium, Canones, Livellos, & alia cujuscumque qualitatis, & naturæ jura pro confectione quantitatis, quæ ad complementum supradictæ summæ tercentorum millium scutorum necessaria erit dumtaxat, ac si taxam quamlibet ex Congregationibus prædictis tangentem excedant, dummodo pretium pro excessu hujusmodi unico contextu in emptionem aliorum bonorum stabilium ad favorem ejusdem Monasterii, uti bona vendita existebant, convertatur, seu pecuniæ excessum hujusmodi concernentes apud Montem Pietatis, seu penes ædes publicas deponantur, inde non extrahendæ, nisi ad effectum illas reinvestiendi modo, & forma præmissis, tam conjunctim, quam divisim possessa, etiamsi præcisis, & singularibus obligationibus, & oneribus juxta voluntatem eorum, qui bona, & alia supradicta quomodolibet dederunt, concesserunt, & elargiti sunt, sint obnoxia, & subjecta, repræsentata etiam pecunia, necnon etiam anticipatis solutionibus locare, sive in emphyteusim, sive alias ad unam, duas, vel plures generationes, seu nominationes, seu etiam in perpetuum concedere, sive cum aliis permutare, ac etiam libere, vel cum pacto redimendi, & etiam de bonis, & rebus unius, sive plurium Monasteriorum, & locorum, & ejusdem Civitatis, vel Provinciæ, etiamsi Castra, Jurisdictiones, & alias hujusmodi minus utilia existant, prout Superioribus cujuscumque Congregationis magis expediens videbitur, sive ad præsens, sive quocumque temporis intervallo pro extinctione censuum pro solutione prædictæ summæ per eos respective contractorum, itaut singulo casu hujusmodi venditio, & pretii conversio in extinctionem censuum hujusmodi, seu partis eorum unico contextu fiat: seu saltem pecuniæ ex venditionibus prædictis redigendæ apud Montem Pietatis, seu ædes publicas, ut supra deponantur, inde non extrahendæ, nisi pro extinctione censuum, seu partis eorum hujusmodi vendere, ac quocumque alio modo, & titulo alienare, & præterea omnia, & quæcumquæ bona feudalia, emphyteutica, vel alias censibus, canonibus, pensionibus, recognitionibus erga se obnoxia pretio liberare, extinguere, & affrancare, necnon super bonis prædictis census annuos pro rata singulas Congregationes prædictas tangente perpetuos, & redimibiles (servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Pii PP. V. Prædecessoris nostri super creandis censibus editæ) creare, & imponere, necnon unum, vel plura Monasteria, sive perpetuo, vel ad tempus, prout Superioribus prædictis magis placuerit, & expedire videbitur, supprimere, & claudere, necnon eadem Monasteria secuta integra solutione ratæ ad quamlibet ex dictis Congregationibus quomodolibet spectantis denuo, prout eisdem Superioribus videbitur, & placuerit, nulla nostra, & successorum nostrorum, & Sedis Apostolicæ, & cujusvis alterius licentia requisita de novo aperire, & in eis prout antea Religiosi Ordinis, & Congregationis, cujus Monasterium, seu Monasteria existunt, degere libere, & licite valeant.

Ordinationes. | Const. Pii V. servari vult.

§.4. Necnon Monasteria, Prioratus, Præposituras, Beneficia, Officia, Mensas, Membra, Grangias, annexa, Conventus, & loca prædicta a quibuscumque obligationibus, oneribus, fideicommissis, & caducitatibus, devolutionibus, substitutionibus, etiam ad favorem aliorum piorum locorum, quibus occasione bonorum, censuum, proprietatum, jurium, aliorumque, & quorumcumque per eos vigore præsentium concedendorum, vendendorum, alienandorum, permutandorum, & de quibus alias quomodolibet in vim facultatis, & auctoritatis eis per easdem præsentes nostras attributæ quomodolibet disponent, quibus etiam quomodolibet, & ex quacumque causa, etiam per viam testamentorum, codicillorum, legatorum ad pias causas, donationum inter vivos, seu quarumcumque aliarum elargitionum sunt quomodolibet obnoxia, & subjecta, penitus, & omnino absolvere, eximere, & liberare.

§.5. Ita tamen quoad obligationes, & one-

onera in alia bona, & proprietates ejusdem Congreg. transferre omnino debeant, & bona, & proprietates, in quæ obligationes, & onera hujusmodi translata fuerint, eisdem perpetuo subjecta, & obnoxia remaneant, conditiones, & pacta super his cum cautionibus, vinculis, obligationibus, & alias res universas, & singulas cujuscumque Congregationis pro ea parte sibi, & suis locis contingente complectentibus, necnon clausulis, & decretis requisitis, & opportunis inire contractus, instrumenta, cæteraque necessaria facere, & has concessiones, venditiones, permutationes, liberationes, affrancationes, suppressiones, creationes, & impositiones, unam videlicet, vel plures etiam ad effectum creationis, vel extinctionis, seu venditionis, vel recuperationis aliarum hujusmodi rerum invicem, ac simul, vel pluries facere, & quoties eis placuerit variare (consulta tamen prius Sede Apostolica quoad variationes hujusmodi tantum) etiam sine processu in forma, si in evidentem, aut alias formando, & habendo, aut consensu, vel auctoritate generalis Capituli requirendo, & pro dictorum omnium effectu per se, vel alium, seu alios singulos Abbates, Præpositos, Priores, Conventus, & Personas, etiam Monasteriorum, locorum unitorum, tam conjunctim, quam divisim ad locationes, concessiones, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, extinctiones, affrancationes, suppressiones, & alia prædicta omnia etiam manu regia compellere, Contradictores impedientes, vel reclamantes Monasteriis, Prioratibus, Præpositatibus, Dignitatibus, admissionibus, & officiis, prout sibi videbitur, deponere, ad futura inhabiles efficere, excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis innodare, Interdictum Ecclesiasticum apponere, auxiliumque brachii secularis invocare, cæteraque in prædictis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, exequi valeant, etiamsi talia contigerint, quæ licentiam, facultatem, aut mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus est expressum. Verum quia Congregationum prædictarum Procuratores, qui hic sunt, mandatum ad prędicta speciale non habent, quia etiam nonnullarum Procuratores, vel hinc abesse, vel omnino non esse contingere potest, & præsens necessitas urget hæc quamprimum faciendi.

§.6. Nos defectum hujusmodi nostra auctoritate supplere volentes, supradictis Procuratoribus etiam nomine illarum Congregationum, quarum Procuratores hic desunt, & pro ea parte illos tangente dumtaxat, vocatis tamen in eorum loco aliquo, vel aliquibus Abbatibus, Superioribus, aut aliis Præsidentibus suorum locorum, qui hic sunt, tam conjunctim, quam divisim prædicta omnia, & singula usque ad prædictam summam etiam, & pro cujusque rata dumtaxat, faciendi, gerendi, exequendi, & obligandi liberam, & absolutam licentiam, & auctoritatem tribuimus, eaque si fiant, postquam factæ fuerint, illud idem robur habere, ac universis, & singulis, ad quos res pertinebit, perinde suffragari debere volumus, ac si in suis Capitulis Generalibus, ac alias servatis omnibus, quæ de jure, & juxta statuta, consuetudines, privilegia, & indulta singularum Congregationum prædictarum servari deberent, omnino servarentur, supplentes ex nunc prædictos, & quoscumque alios juris, & facti defectus, si qui intervenerint in eisdem.

§.7. Volumusque prædicta omnia, necnon locationes, concessiones, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, affrancationes, creationes, impositiones, suppressiones, & quæcumque alia, quæ præsentium auctoritate fient perpetuo consistere, & quæcumque, tam juris, quam facti, & alio quantumvis substantiali defectu impugnari, sive contra eadem præmissa, sic facta, gesta, & executa per quoscumque aliquod juris, vel facti remedium impetrari, aut illo impetrato uti, ac eadem præmissa in jus, vel controversiam reduci nullo unquam tempore posse, neque debere, sed quoscumque concernunt, & concernent in futurum, omni, & quocumque effectu, & commodo pacifice gaudere. Singulasque super singulis locationibus, aliisque omnibus, & singulis præmissis literas, seu earum confirmationes, & alias dispositiones singulas, illas petituris gratis ubique concedi, etiam in forma Brevis, & per Secretariam nostram secretam expediri debere.

§.8. Quocirca prædicto Flavio Cardinali Procamerario, & Commissario nostro plenam, liberam, omnimodam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus, Congregationes, Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, & alios prædictos, tam conjunctim, quam divisim ad integram præstationem, & solutionem subsidii prædicti juxta formam indictionis, & impositionis hujusmodi faciendas, etiam per Edictum locis publicis affigendum monendi, & requirendi cum illis, eorumque Procuratoribus conveniendi, deque modis, & cautionibus solutionis prædictæ, & aliis hoc negotium concernentibus paciscendi, obligationes, promissiones, & fidejussiones exigendi, & vicissim præstandi, contractus super his necessarios etiam nostro, & Cameræ prædictæ nomine stipulandi, & celebrandi, & secundum alia, necnon per præsentes subsidium ipsum procurandi, contumaces, non respondentes, aut deficientes Conventus, & Congregationes interdicto Ecclesiastico supponendi, & singulares personas excommunicationis sententia feriendi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi, redeuntes, & obedientes absolvendi, super irregularitate propterea contracta dispensandi, & ad pristinum statum restituendi, vices suas, sive totas, sive in

parte

parte alii, vel aliis idoneis citra abſolutionem, diſpenſationem, & reſtitutionem delegandi, cæteraque in prædictis, & circa ea neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus ſit expreſſum.

Decretum irritans. §.9. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumq; in præmiſsis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut alias ſpeciali, & individua mentione digni exiſtant, illis non conſenſerint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, ſeu cauſæ propter quas præſentes emanarunt, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis juſta, legitima, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſsimæ, et totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, quantumvis magno, ac formali, et ſubſtantiali, neceſſariamque expreſsionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu pari, ac de Apoſtolicæ poteſtatis prædictæ plenitudine conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, neque eaſdem præſentes, ac omnia, & ſingula in eis contenta ſuper quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium indictionum, impoſitionum facultatum, mandatorum, conceſſionum, indultorum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, Sedemque Apoſtolicam ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis quandocumq; faciendis unquam comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo ſub quacumque poſteriori data per Superiores Congregationum hujuſmodi pro tempore exiſtentes eligenda, conceſſas intelligi, ſemperque firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; & ſic, & non alias in præmiſſis omnibus, & ſingulis cenſeri. Et ita per quoſcumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, & Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ac alias quomodolibet quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Et nihilominus omnium locorum Ordinariis, quos, ſive ſingulos univerſi, & ſinguli Superiores prædicti duxerint eligendos, per Apoſtolica ſcripta motu pari mandamus, ut quoties pro parte Superiorum prædictorum, aut alicujus eorum, tam conjunctim, quam diviſim fuerint requiſiti, quique videlicet per ſe, vel alium eaſdem præſentes ubi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, ipſiſque in prædictis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes faciant auctoritate noſtra illas, et earum vigore faciendas diſtributiones, aſsignationes, locationes, conceſsiones, venditiones, liberationes, affrancationes, creationes, ſuppreſsiones, impoſitiones, exemptiones, abſolutiones, et alia omnia prædicta cum omnibus inde ſequuturis firmiter obſervari, ac ſingulos, quos illa concernunt, et concernent in futurum. Non permittentes quemquam contra eas quomodolibet impediri, vel moleſtari. Contradictores quoslibet per cenſuras Eccleſiaſticas et pœnas prædictas, cæteraque juris, et facti remedia, omni, et quacumque appellatione remota compeſcendo, invocato etiam ſupradicto auxilio brachii ſecularis. Contravenientes puniantur

Derogat contrariis. §.10. Non obſtantibus prædictis, ac Noſtra, et Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, ac Legatis, Teſtamentis, Codicillis, Donationibus, elargitionibus, ac aliis diſpoſitionibus ex quacumque cauſa, occaſione, et tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, exequutis, et obſervatis reſpective, etiam alienationes, immutationes, aut alias conditiones fieri ſpecialiter, et expreſſe prohibentibus, ac in eventum alienationis, immutationis, ſive non adimplementi obligationum, et onerum in eis contentorum, aut alterius diſpoſitionis, pia, aut alia loca etiam plura ordine ſucceſsivo ipſo facto ſubſtituentibus, vel illa ad hæredes redire omnino volentibus, ac alias quomodolibet in contrarium conditis, ac quocumque vinculo firmitatis, et aliis etiam ultimis voluntatibus in contrarium prædictorum quomodolibet diſponentibus, quæ quoad præmiſſa ſufficienter, ſpecialiter, et expreſſe commutamus, ac piæ me: Bonifacii Papæ VIII. de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, et Symmachi, Pauli II., et Pauli IV. aliorumque Romanorum Pontificum, etiam de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac noſtris, quatenus in aliquo obſtent, aliiſque Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, et Ordinationibus, ac Congregationum, Monaſteriorum,

rum, Conventuum, et Ordinum prædictorum, aliisque quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, aliisq; omnibus, & singulis, etiamsi aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad præstationem, vel solutionem aliquam minime teneantur, nec ad id ullatenus, aut nisi per Capitula generalia, & causis in eis prius propositis, matureque discussis, compelli, interdici, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam de dicto indulto mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel omnino inserta earumdem præsentium, & per ipsas attributæ facultatis, & auctoritatis effectus, & exequutio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum habenda est in nostris Literis mentio specialis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum, insertis, expressis, & servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad prædictorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisq; contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset easdem præsentes quocumque illis opus erit, perferre.

Transumptis credi mandat. §. 11. Volumus autem, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, et personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ, ejusque Curiæ sigillo obsignatis, eadem illa prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis. §. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum indictionis, impositionis, facultatis, mandati, potestatis, tributionis, concessionis, absolutionis, exemptionis, liberationis, alienationis, derogationis, commissionis, et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Domin. 1663. 18. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 14. Apr. 1663. An. VIII.

CCCLXXXVIII.

Super contributione Ecclesiasticorum Regnorum Castellæ, & Legionis decem, & novem millionum ducatorum cum dimidio pro Rege Catholico. Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Prooemium. ORthodoxæ fidei conservandæ, & propagandæ zelus, ac singularis in Nos, & Apostolicam Sedem devotio, aliaque Catholici nomine, optimo jure, insigniti Regis præclara merita, quæ in majestate tua cœlesti gratia resplendent, plane exigunt, ut subsidia pro ejusdem fidei, & Dominiorum tuorum præsertim adversus hæreticorum conatus defensione a tuis subditis prompte tibi oblata quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videtur temporum conditio adjuvemus.

Expositio. §. 1. Cum itaque sicut majestatis tuæ nomine Nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum Regnorum Castellæ, & Legionis in eorum comitiis, seu curiis infrascriptum subsidium majestati tuæ præstare prompte obtulerint, & ad prædictum effectum consenserint impositioni Gabellarum seu Sisarum super vino, aceto, oleo, & carne videlicet octavæ partis specierum, vel pretii vini, aceti, & olei, ac ultra Sisas super carne antea impositas, & trium regalium pro quolibet capite pecudum, & trium morapetinorum pro qualibet libra carnis, quæ minutatim venditur, sedecimque morapetinorum pro qualibet mensura arroba nuncupata vini sisati, alteriusque morapetini pro qualibet mensura, acumbra nuncupata vini etiam Sisati, ac sedecim morapetinorum pro qualibet mensura olei arroba nuncupata, & quatuor morapetinorum pro qualibet libra candelarum de sevo, & saponis, vel alias verioribus quantitatibus impositarum, & auctarum, quæ sint exigendæ, & percipiendæ durante sexennio incipiendo a prima die Augusti currentis Anni 1662. nempe pro summa decem, & novem millionum cum dimidio alterius millionis, ad rationem trium millionum, & ducentorum, & quinquaginta millium ducatorum monetæ Hispaniæ quolibet anno prædicti sexennii solvenda ex prædictis Gabellis, seu Sisis super prædictas rerum species, ut præfertur, impositis, & auctis, ita ut omnes tam laici, quam ecclesiastici prædictorum Regnorum non solum ementes, & vendentes, sed etiam

etiam illi, qui prædictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis, vel affictibus, aut respective emunt in vinis, vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu alias ex quovis alio redditu, & introitu habent, & consumunt, itaut omnes laici cujuscumque status, gradus, & conditionis, ac præeminentiæ ad id subsidium contribuere, & Gabellas, seu Sisas hujusmodi solvere deberent, nec ullus laicus immunis, aut exemptus esset, Ecclesiastici quoque eorumdem Regnorum si, & postquam nostra, & hujus Sanctæ Sedis licentia, & approbatio accesserit, in subsidio hujusmodi scilicet in prædictis Gabellis super eisdem speciebus impositis, & auctis contribuere, ac gabellas, seu Sisas prædictas juxta literarum nostrarum in forma Brevis super prædicta licentia, seu approbatione expediendarum formam, continentiam, & tenorem persolvere deberent. Idcirco pro parte ejusdem Majestatis tuæ Nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris, Cleri, Ecclesiarum, locorumque piorum, & personarum Ecclesiasticarum ad contribuendum in prædicto sexennio incipiendo a prædicto mense Augusti currentis Anni 1662., & ut sequitur usque ad mensem Augusti 1668. finiendo in prædictis Sisis, & Gabellis jam, ut præfertur impositis, & auctis pro solutione prædictorum millionum decem, & novem cum dimidio alterius millionis, attento quod ut Majestas tua asserit, agatur de communi defensione, & interesse tam laicorum, quam Cleri, Ecclesiarum, locorum piorum, & personarum Ecclesiasticarum prædictorum Regnorum, quodque facultates laicorum ad summam prædictam conficiendam ea, qua expedit, celeritate infra tempus opportunum non sufficerent.

§. 2. Nos igitur nedum promptam, & obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga Te oblationem, sed etiam Majestatis tuæ erga Fidem Catholicam zelum commendantes, & ad ingentes sumptus, quibus Majestas tua gravatur ob assidua, quæ pro defensione Fidei Catholicæ, tuorumque Regnorum, & Dominiorum jugiter in pluribus orbis partibus sustinet bella, paternæ dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, volentes Majestatem tuam favore prosequi gratioso, Clerum, omnesque, & singulas Ecclesias, loca pia, personasque Ecclesiasticas tam seculares, quam cujusvis ordinis etiam exempti, etiam Societatis Jesu, & Apostolicæ Sedi immediate subjecti regulares, necnon Monasteria utriusque sexus, Conventus, & Collegia, ac Capitula quarumcumque Ecclesiarum Regnorum Castellæ, & Legionis prædictorum, ac in eisdem Regnis commorantes, & commorantia, & respective consistentes, & consistentia ad conferendum, & contribuendum pro eorum rata ad instar laicorum in dictis Gabellis, seu Sisis quoad prædictam summam dumtaxat decem, & novem millionum cum dimidio alterius millionis prædictorum monetæ illorum Regnorum mediante scilicet solutione prædictarum Gabellarum, seu Sisarum in prædicta quantitate tantum, & super prædd. rerum speciebus dumtaxat in dictis Regnis colligendis, & consumendis, ut præfertur, impositarum durante sexennio dumtaxat a prædicto mense Augusti currentis Anni 1662. ut præmittitur incipiendo, & ut sequitur finiendo, & non ultra teneri, & obligatos esse, non tamen quoad prædictas rerum species, quas Clerus, Ecclesiæ, locaque pia prædicta, & personæ Ecclesiasticæ prædictæ ex propriis terrenis, seu decimis, & aliis quibuscumque redditibus propriis per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis, sive ostiatim, sive alio quovis modo pro tempore datis, & erogatis, ac ipsis traditis percipiunt, & pro divino cultu, seu propriis, vel familiarum suarum usibus juxta taxationem, ubi super his partes discordes fuerint, ad instantiam cujuslibet earum, expensis tamen perperam contradicentis per Ordinarios locorum Ecclesiasticos, seu ab eis deputatos faciendam consumunt, pro quibus omnino immunes, et exempti sint, et elapso prædicto sexennio exactio respectu Ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quovis prætextu val causa continuari possit, etiamsi integra summa decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis hujusmodi non fuisset exacta, quodque si ante finem sexennii prædicti summa decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum hujusmodi confecta fuerit, Ecclesiastici prædicti amplius contribuere, et dictas Gabellas, seu Sisas, ut præfertur, solvere non debeant, sed præsens gratia expiret, nullaque sit eo ipso. Quodque Clerus, Ecclesiæ, loca pia, et personæ Ecclesiasticæ prædictæ durante prædicto sexennio non possint gravari ratione cujusvis alterius novi augmenti prædictarum Gabellarum, & Sisarum super eisdem, ac novæ impositionis aliarum Gabellarum, & Sisarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus Juros nuncupatis de laicorum tantum consensu alias erectis, & impositis, eorumque fructibus, nisi si, & postquam beneplacitum nostrum, seu a Successoribus nostris concessum fuerit, alias in quolibet casu contraventionis, quilibet contraveniens, eo ipso, absque alia monitione, & declaratione, sententiam excommunicationis majoris, reservata illius, ut infra exprimitur, absolutione incurrat, & ad restitutionem illius, in quo excesserit, teneatur, tenore earumdem præsentium decernimus, & declaramus; Volentes etiam quod omnes, & singuli Ecclesiastici præfati solvere recusantes opportunis Juris, & facti remediis per Ordinarios locorum Ecclesiasticos tantum ad solutionem hujusmodi cogantur, non autem coram Judicibus Laicis, sive Exactoribus earumdem Gabellarum, sive Sisa-

Ecclesiasticis Regnis Castellæ, & Legionis imponitur contributio 19. millionum ducatorum cum dimidio pro Rege Catholico.

Conditiones nonnullæ.

Sisarum, neque coram quibusvis aliis Judicibus Laicis, aut Ministris, sub pœna excommunicationis majoris, & aliis pœnis a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis inflictis, & comminatis ipso facto sine alia monitione, & declaratione incurrendis a quibus a nemine præterquam a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum Apostolicorum etiam Cruciatæ Sanctæ, nequeant conveniri, ullo modo possint, seu debeant, sed a prædictis Ordinariis Ecclesiasticis tantum ad solutionem hujusmodi compelli valeant, quibus Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis a divinis, necnon omnibus, singulis ejusdem Majestatis tuæ Officialibus, & Ministris cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, ac aliis quibuscumque etiam speciali nota dignis, etiam Apostolicæ Sedis Delegatis, & Commissariis, etiam Cruciatæ prædictæ, cæterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit sub prædicta excommunicationis majoris pœna, ut præfertur, eo ipso incurrenda, ejus absolutione itidem, ut supra reservata, ac sub obtestatione divini Judicis, & in terminatione maledictionis æternæ districte præcipiendo mandamus, ne Ecclesias, & loca prædicta, ac Clerum, & Ecclesiasticos, aliosque præfatos indebite, neque ultra, præter, aut contra continentiam, & tenorem præsentium nostrarum literarum gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, & nedum contra quoscumque contravenientes, & quomodolibet inobservantes ad sententiarum, & pœnarum prædictarum declarationem, & promulgationem respective, sed etiam contra eosdem Ecclesiasticos, et Regulares etiam exemptos, nobisque, et Sedi Apostolicæ immediate subjectos, etiam Societatis Jesu solvere recusantes ad quamcumque simplicem eorumdem Exactorum requisitionem, etiam executive, ac quacumque appellatione remota, auctoritate nostra procedant.

Contravenientes puniantur.

Conditio.

§.3. Volumus autem, quod istud subsidium respectu contributionis Cleri, et Ecclesiarum, Locorumque piorum, et personarum Ecclesiasticarum prædictorum Regnorum scilicet decem, et novem millionum prædictorũ ducatorum cum dimidio alterius millionis succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum, et impositionum etiam pro militibus, et aliis quibuscumque impositorum, ac etiam loco quorumcumque aliorum subsidiorum super millionibus per fe: re: Innocentium Papam X., aliosque Prædecessores nostros hactenus approbatorum, et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a Clero, nec a quoquam Ecclesiarum, Locorum piorum, & Ecclesiasticorum prædictorum exigi possit, quodque pecuniæ ex prædictis subsidiis, & Gabellis, seu Sisis, ut præfertur, a dictis Ecclesiasticis exigendæ in prædictos, & non in alios usus convertantur, super quo ejusdem Majestatis tuæ, ejusque Ministrorum, & Officialium quorumcumque conscientias oneramus.

Clausulas addit.

§.4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, sicque, & non aliter quovis prætextu, ratione, vel causa per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata quacumque omnibus, & singulis cujuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, præeminentiæ, & dignitatis, etiam Ecclesiasticæ, etiam individua mentione dignis quomodolibet in contrarium judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, interpretari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Generalibus Conciliis editis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Ecclesiis, Regnis, Personis, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, Collegiis, & aliis prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda esset, illorum tenores, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Ut autem præsentes nostræ literæ cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Apr 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaoctava Aprilis 1662. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Pro-

CCCLXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Prorogatio Subsidii quadringentorum, & viginti millium Ducatorum super fructibus Ecclesiasticis universarum Hispaniarum, & Sardiniæ in favorem Regis Catholici.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Decreta summorum Pontificum recenset, & confirmat.

§.1. Magnis causis adducti concessionem Subsidii annui quadringentorum, & viginti millium ducatorum ex fructibus, & redditibus ecclesiasticis Civitatum, & locorum Regnorum universarum Hispaniarum, ac etiam Sardiniæ clar. mem. Philippo II. Avo tuo Hispaniarum Regi Catholico ad certum tunc expressum tempus factam, & deinde plures etiam a Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Clemente VIII., ac Paulo V. Romanis Pontificibus Predecessoribus nostris eidem Philippo Avo, & clar. similiter mem. Philippo III. etiam Hispaniarum Regi Catholico Genitori tuis, & a rec. mem. Urbano VIII., & Innocen. X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris per diversas eorum respective, & præsertim dicti Clementis sub dat. die 9. Februarii 1592. Pontificatus sui anno primo, & die 17. Junii 1660. Pontific. item sui anno 9., & die 30. Octobris 1603. Pontificatus similiter sui anno 12. & dicti Pauli sub dat die 21. Junii 1605 Pontificatus sui anno primo, & die 7. Septembris 1611. Pontificatus pariter sui anno 7., & die 12. Novembris 1615. Pontificatus item sui anno 11., ac die 21. Octobris 1619. Pontificatus etiam sui anno 15., necnon prædicti Urbani die 26. Martii 1624. Pontificatus sui anno 1., & deinde 3. Maii 1634. Pontificatus pariter sui anno 11., ac die 2. Junii 1635. Pontificatus item sui anno 12., & sub die 9. Januarii 1639. Pontificatus etiam sui anno 16., ac Innocentii Prædecessorum, die 2. Januarii 1645. Pont. sui anno 1., & novissime die 22. Maii 1651. Pontificatus etiam sui anno 7. in hujusmodi forma Brevis expeditas literas ad quinquennium prorogatam, literasque omnes desuper confectas, quarum tenores, præsentibus haberi volumus pro expressis, motu proprio, ac ex certa scientia nostra, ac de apostol. potestatis plenitudine ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquennii, ut præfertur, prorogati numeran. extendimus, & prorogamus.

§.2. Et nihilominus Majestati tuæ illud ipsum annuum Subsidium quadrigentorum, & viginti millium ducatorum cum omnibus, & quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, extensionibus, clausulis, & decretis in aliis tam Pii, quam Gregorii XIII., Sixti V., Gregorii XIV., Clementis VIII., & Pauli V., & Urb. VIII., ac Innocentii X. Prædecessorum prædictorum literis contentis ad prædictum quinquennium a fine quinque annorum ultimo concessorum, ut præfertur, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & assignamus. Ac propterea Ven. Fratri Carolo Archiepiscopo Corinthi moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ apud Majestatem tuam Nuncio necnon dilecto filio Petro Paceco jam ejusdem Subsidii Exactoribus, & Commissariis Generalibus, & eorum cuilibet plenam, & liberam in præmissis facultatem, & auctoritatem tribuimus per se, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerint ad executionem præmissorum, ac alias juxta facultates per dictos Prædecessores aliis Commissariis, & Exactoribus ipsis concessas omni, & quacumque appellatione postposita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

Confirmat, ut in rub.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus aliis, quæ dicti Prædecessores in suis literis prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Tansumptis danda fides.

§.4. Ut autem præsentes literæ cum opus fuerit facilius ad omnium notitiam deduci possint, decernimus, ut earum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Apr. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Aprilis 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CCCXC.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Diversæ Ordinationes pro felici statu, & directione Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Injuncti Nobis cœlitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut paternam religiosorum virorum pietatis studiis laudabiliter incumbentium, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesia Dei proferre jugiter satagentium curare gerentes, illorum prospero regimini, & felici directioni quantum Nobis ex alto conceditur salubriter consulere studeamus, prout prudenti deliberatione adhibita, in Domino cognoscimus expedire.

Decretum alias emanatum refert.

§.1. Alias siquidem Nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, decrevimus, ut dilectus filius Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Paul. Decollati una

una cum Asſiſtentibus ipſius Congregationis ad quinquennium tunc proximum in Domo Regulari, ſeu Collegio S. Caroli de Catinariis nuncupati de Urbe ejuſdē Congregationis reſideret, ibique Sedem ordinariam principalem haberet.

Statuit domum pro General, & Aſſiſtentibus.

§. 2. Nunc autem conſiderantes non modica cum inde hoc biennio præfatæ Congregationi utilitatem proveniſſe, felici ejuſdem Congregationis ſtatui, progreſſui, directioni, & tranquillitati peramplius, & uberius cenſuimus eſſe providendum. Motu itaque proprio, non ad cujuſdam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac perpetuis, futuris temporibus Præpoſitus Generalis una cum Aſſiſtentibus Congregationis præfatæ in memorato Collegio S. Caroli da Catinariis reſideat, ibique Sedem ordinariam principalem habeat; Capitula vero Generalia Congregationis hujuſmodi in eodem Collegio celebrari debeant, tenore præſentium decernimus pariter, ac ſtatuimus, & ordinamus.

§. 3. Volentes, ut dictum Collegium nullius particularis Provinciæ dictæ Congregationis eſſe cenſeatur, ſed immediate ſubjaceat præfato Præpoſito Generali, qui ex quatuor Provinciis, in quas eadem Congregatio diviſa reperitur, earumve quælibet, poſt factas Superiorum localium electiones, indifferenter arbitrio ſuo eligat Religioſos, qui familiam ipſius Collegii conſtituant. Porro præter Præpoſitum Generalem, & quatuor Aſſiſtentes, ac Procuratorem Generalem Congregationis hujuſmodi nulli alii Superiores, vel Religioſi privilegiati manſionem ſtabilem in dicto Collegio habere poſſint. Præpoſitus vero Generalis, poſtquam electus fuerit, ſolus per ſeipſum, antequam alii omnes Superiores locales eligantur, ſecundum Præpoſitum eligat, qui Collegium hujuſmodi dependenter ab ipſo Præpoſito Generali regat, ac omnibus, & ſingulis prærogativis, & præeminentiis, quibus Præpoſiti ejuſdem Collegii hactenus uſi, potiti, & gaviſi fuerunt, pariformiter, uti, potiri, & gaudere; necnon Capitulo Provinciali Provinciæ Romanæ una cum Socio ſuo intereſſe, & ibidem in vocalem Capituli generalis eligi valeat.

§. 4. Ut autem omnia majora dictæ Congregationis Officia inter præfatas quatuor Provincias æqua lance diſtribuantur, ſtatuimus, ut unaquæque ex eiſdem Provinciis proprios Aſſiſtentem, ac Viſitatorem, & Præpoſitum Provincialem habeat, qui ſint, & eſſe debeant nationales reſpective earumdem Provinciarum. Nationalis vero alicujus ex Provinciis hujuſmodi is eſſe intelligatur, qui vel in illa ſit natus, vel in aliqua ex domibus Novitiatus ipſius Provinciæ profeſſionem regularem emiſerit, vel in eadem Provincia decennii continui ſpatio manſionem ibidem habens, fuerit commoratus: Hac lege, ut qui ſemel declaratus fuerit unius eſſe Provinciæ, nationalitate alicujus ex aliis Provinciis potiri nequeat, niſi in illa de novo per decennium permanſerit; qua ſuper re etiam Capituli Generalis approbatio intervenire debeat. Quia vero duos primos ejuſdem Congregationis Superiores, nempe Præpoſitum Generalem, & Procuratorem Generalem, viros ſpectatæ virtutis, & idoneitatis, aliiſque meritis eximie præſtantes eſſe oportet; ideo volumus eoſdem Præpoſitum Generalem, & Procuratorem Generalem ex univerſo corpore dictæ Congregationis, nulla ſervata Provinciarum diſtinctione, ſed ſola virtutis, & idoneitatis, & meritorum hujuſmodi contemplatione aſſumi: Idque locum habeat tam in caſu, quo ejuſmodi Præpoſiti Generalis, ac Procuratoris Generalis officia tempore celebrationis Capituli Generalis vacent, quam ſi per mortē, aliumve quemlibet eventum in decurſu triennii contingat illorum vacatio. Cæterum eveniente ante exactum triennium vacatione Officiorum Aſſiſtentis, ac Viſitatoris, & Provincialis, qui in locum deficientis ſubſtituetur, ſive ſubrogabitur, illius Provinciæ nationalis eſſe debeat, in qua vacatio contigerit, quod ſi quis reperiatur, qui poſt expletum in officiis majoribus novennium, ab Officiis, & dignitatibus dictæ Congregationis triennii ſpatio vacaverit, poſſit is quoque pariformiter, ſicut alii in Officium vacans ſuffici, ſeu ſubrogari.

§. 5. Porro ad evertenda gravia inconvenientia, & præjudicia, quæ in eadem Congregatione ex perpetua, vel minus diuturna majorum illius Officiorum duratione, ſeu geſtione exoriri poſſent, ſtatuimus quoque, & ordinamus, ut nullus dictæ Congreg. Clericus Regularis Officia, ad quæ ſit electio in Capitulo Generali, videlicet Aſſiſtentis, ac Viſitatoris, & Procuratoris Generalis, vel aliquod illorum longiori, quam novem annorum ſpatio gerere poſſit, quod novennium per tria Capitula Generalia integra conſtituatur, & hoc novennium expleviſſe cenſeantur tam illi, qui aliquod ex dd. Officiis continue exercuerint, quam ii, qui ab uno ad aliud ex eiſdem Officiis tranſierint, itaut tam in proximo Capitulo Generali Congregationis hujuſmodi, quam deinceps in perpetuum illi, qui novem annis dicta tria Officia, ſeu aliquod ex illis exercuiſſe reperientur, in eo, quod gerebant Officio confirmari nequeant, nec ad aliquod aliud ejuſdem Congregationis Officium, vel dignitatem, etiam Præpoſiti, ſeu Superioris localis eligi valeant, niſi poſt peractum novennium hujuſmodi tribus annis in ſtatu Religioſi privati permanſerint. Hæc tamen diſpoſitio locum non habeat in illis, qui Officia prædicta non vigore electionis a Capitulo Generali factæ, ſed jurium ſubrogationis, ſive ſuffectionis ex cauſa vacationis in decurſu triennii occurrentis geſſerint; tempus enim Officii vigore ſubrogationis, ſive ſuffectionis hujuſmodi geſti nolumus in noven-

Nonnullæ ordinationes.

novennio computari, nisi sic subrogatus, sive suffectus, quo tempore in Officium vacans sufficietur, seu subrogabitur, aliquod aliud ex eisdem Officiis majoribus sibi a Capitulo Generali demandatum haberet; quo casu tempus gestorum duorum Officiorum hujusmodi in præfato novennio continuo computabitur. Nec pariter habeat locum jam dicta dispositio in persona Præpositi Generalis, ad cujus Officium eligi possit quicumque ex præfatis Clericis Regularibus, licet novennium in in exercitio majorum Officiorum hujusmodi complevisse reperiretur; quinimo tam modernus, quam pro tempore existens Præpositus Generalis absque ulla limitatione temporis in Capitulis Generalibus ipsius Congregationis de triennio in triennium celebrari solitis in Generalatu ad eum annorum numerum, quem pro majori bono ipsius Congregationis Capitulum Generale convenire censuerit, confirmari valeat juxta Constitutiones ejusdem Congregationis. Et quia per easdem Constitutiones cavetur expresse, ut in quolibet Capitulo Generali duo Assistentes in suis Officiis confirmentur, statuimus pariter, & ordinamus, ut tam in proximo, quam in aliis Capitulis Generalibus dictæ Congregationis successive celebrandis illi solummodo possint, & debeant in suis Officiis respective confirmari, qui novennium continuum in præfatis Officiis majoribus non compleverint; itaut tamen ut si ad complementum novennii hujusmodi nondum pervenerint, etiamsi eis modicum temporis spatium, etiam aliquot mensium deficeret, possint nihilominus in Capitulo Generali confirmari ad aliud triennium in Officio Assistentis, illudque durante triennio hujusmodi exercere etiam pro eo tempore, quod ultra præfatum novennium excurret. Alii vero duo Assistentes, qui tempore celebrationis Capituli Generalis novennium in Assistentis, vel alio, seu aliis majorum Officiorum præfatorum complevisse reperientur, in ejusmodi Assistentis munere nequeant confirmari, sed ab omni Officio, & dignitate per triennium vacare debeant, sicut supra expressum est: Remanente tamen semper eis libero aditu ad Generalatum juxta ea, quæ superius ordinavimus.

Hec omnia servari mandat. §.6. Postremo omnia, et singula præmissa ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum sub privationis vocis activæ, et passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad obtinenda Officia dictæ Congregationis, necnon excommunicationis latæ sententiæ pœnis per contraventores eo ipso absque alia declaratione incurrendis, inviolabiliter, et inconcusse observari mandamus, et præcipimus.

Clausulæ. § 7. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis, aut alias speciali, & individua mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea citati, vocati, & auditi, seu causæ, propter quas præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Provinciarum, et Collegii prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium præmissorum concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, et occasiones, præsentibus pro plene, Contraria tollit.

ne, et sufficienter expressis, servatis, insertis, et specificatis respective habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse, ac plenissime, et amplissime derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §.9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, et gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Apr. 1662. An. VIII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 18. Apr. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CCCXCI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Extensio Statuti Gregor. XV., ut Canonicatus, & Præben. Pœnitentiarii Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium in Hispaniarum Regnis consistentium eidem Sedi Apostolicæ (non tamen ratione obitus apud eamdem) reservati, prævio concursu conferri debeant, ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas Principatus Cathaloniæ &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio. PRo commissa Nobis divinitus omnium Ecclesiarum solicitudine in id peculiari studio incumbimus, ut ipsarum Ecclesiarum, præsertim Cathedralium, & Metropolitanarum Beneficia, quibus fori pœnitentialis cura annexa est, personis dignis, & idoneis conferantur, quæ injunctum sibi gravissimum munus ad animarum salutem fructuose valeant adimplere.

Supplicatio. §.1. Nomine siquidem Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, quod alias fel. rec. Greg. Papa XV. Prædecessor noster ad ipsius Philippi Regis instantiam per quasdam suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1662. idibus Novembris expeditas literas statuit, & ordinavit, ut ex tunc perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli Canonicatus, & Præbendæ pœnitentiarii quarumcumque Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum in Regnis Hispaniarum tunc, & pro tempore existentium, tam eatenus instituti, quam deinceps quandocumque pro Decretorum Concilii Tridentini complemento instituendi, quotiescumque illos, quibus suis modis, ex quorumcumque etiam ipsius Gregorii Prædecessoris, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis Cardinalium etiam tunc viventium familiarium, continuorum, commensalium, seu Romanæ Curiæ Officialium, aut alias quomodolibet reservationem inducentibus personis, etiam per cessum, etiam permutationis causa in manibus eorum Ordinariorum, vel decessum (non tamen in Curia, aut apud Sedem Apostolicam, seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, aut privationem extra tamen eamdem Curiam, seu Religionis ingressum, aut Matrimonii contractum eos tunc, & quo tempore obtinentium, seu jus in illis, vel ad illos habentium, aut alias quibusvis modis (non tamen per obitum apud Sedem præfatam) ac etiam in aliquibus ex mensibus, in quibus Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio ipsi Grægorio Prædecessori, & Sedi prædictæ, etiam per Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas erat, & pro tempore foret reservata, vel etiam ordinariis collationibus per easdem Constitutiones, seu Regulas, vel literas alternativarum, aut alia privilegia, & indulta concessa eatenus, & in posterum concedenda simul, vel successive vacare contingeret, etiamsi aliqui eorumdem Canonicatuum, & Præbendarum Pœnitentiariorum actu tunc, ut præfertur, vti alias quibusvis modis, & ex quorumcumque personis (non tamen per obitum, ut præfertur, apud dictam Sedem) vacarent, & ex eo quod Canonicatus, & Præbendas pœnitentiarios hujusmodi obtinentes, seu in illis, vel ad illos jus habentes ipsius Gregorii Prædecessoris, & quorumcumque Romanorum Pontificum ejus Prædecessorum, seu Successorum, aut S.R.E. Cardinalium etiam viventium, & in dicta Curia presentium familiares, continui, commensales, seu dictæ Sedis Notarii, Subdiaconi, Accolythi, Cappellani, Literarum Apostolicarum Abbreviatores, Scriptores, Cubicularii, Scutiferi, proventuum, & jurium Cameræ Apostolicæ debitorum Collectores, & Subcollectores, seu quicumque alii Curiæ, & Sedis prædictarum Officiales etiam sub diversis Constitutionibus rec. mem. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris nostri suorum, & pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium, continuorum Commensalium declaratoriis comprehensi præsentes, & futuri quocumque nomine nuncupati, seu ex quavis alia causa dispositioni apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reservati, aut ex generali reservatione apostolica affecti, seu ad Sedem eamdem devoluti existerent, per Ordinarios locorum, & Capitula dictarum Ecclesiarum tantum prævio concursu per Edictorum affixionem sub certis modo, & forma tunc expressis conferri deberet, cum diversis conditionibus, & alias prout in prefatis dicti Gregorii Predecessoris literis uberius dicitur contineri. Gregorii XV. Decretum.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Canonicatu, & Præbenda pœnitentiarii Ecclesiæ Barchinonen. per obitum quondam Petri Joannis Archer, qui illos, dum viveret, obtinebat, nuper vacantibus, super eorumdem Canonicatus, & Præbendæ provisione, necnon affixione Edi-

Edictorum pro concursu desuper instituendo, controversiæ inter Venerabilem Fratrem Episcopum Barchinonen., ac dilectos filios Capitulum, & Canonicos ejusdem Ecclesiæ Barchinonen. fuerint exortæ, & ad illos dilectus filius Josephus Gallart unus ex Oppositoribus electus fuerit; quia vero prætensum fuit in antecedenti dictorum Canonicatus, & Præbendæ vacatione, in qua dictus Petrus Joannes defunctus de illis provisus fuit, memoratum Statutum dicti Gregorii Prædecessor. Ecclesiasticos Principatus Cathaloniæ minime comprehendere, dictus Philippus Rex Statutum hujusmodi, excepta tamen dicta ultima vacatione, in qua jus quæsitum parti conservandum est, ad Ecclesias dicti Principatus a Nobis quatenus opus sit extendi plurimum desideret.

§.3. Nos igitur Philippi Regis votis hac in re favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, necnon prædictarum Gregorii Prædecessoris literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto habentes, supplicationibus ejusdem Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, prænarratum Statutum, & Ordinationem memorati Gregorii Prædecessoris, emanatasque desuper ejus literas prædictas, ac omnia, & singula in eis contenta ad quascumque Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias in dicto Principatu Cathaloniæ nunc, & pro tempore existentes, itaut, & nunc perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli Canonicatus, & Præbendæ pœnitentiarii earumdem Ecclesiarum tam hucusque instituti, quam deinceps quandocumque pro supradicti Concilii Tridentini Decretorum adimplemento instituendi, quotiescumque illos, sicuti in prædictis Gregorii Prædecessoris literis expressum est vacare contigerit, prævio concursu per Ordinarios locorum, & Capitula dictarum Ecclesiarum tantum per Edictorum affixionem, & alias eisdem modo, & forma, qui in dictis Gregorii Prædecessoris literis præscribuntur, habendo conferri debeant, & si Canonicatus, & Præbenda pœnitentiarii hujusmodi in mense Apostolico vacaverint, aut alias ratione personæ, vel loci generaliter, vel specialiter reservati, seu affecti fuerint, ad illos pro tempore assumpti, vel electi intra sex menses a die eorum electionis per Ordinarios, & Capitula hujusmodi faciendæ Literas Apostolicas desuper expedire, ac jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita solvere teneantur, ac servatis in aliis omnibus, & per omnia dispositione, & Ordinationibus earumdem Gregorii Prædecessor. Literarum, sine præjudicio tamen juris alteri hactenus quæsiti auctoritate apostolica tenore præsentium quatenus opus sit extendimus, & ampliamus, dictasque Ecclesias Principatus Cathaloniæ in futurum gratiis per prædictas Gregorii Prædecessoris Literas Ecclesiis Regnorum Hispaniarum concessis frui, & gaudere debere decernimus, & declaramus.

Gregorii XV. Decretũ confirmat.

§.4. Decernentes pariter easdem præsentes literas, etiam ex eo, quod causæ, propter quas emanarunt coram locorum Ordinariis etiam tanquam a Sede præfata delegatis, vel alias quomodolibet examinatæ, justificatæ, purificatæ, & approbatæ, ipsique Ordinarii, & alii inferiores Collatores, necnon quicumque interesse habentes ad id legitime vocati non fuerint, nec præmissis consenserint, sed etiam enormis, & enormissimæ læsionis, vel alio quocumque prætextu, aut ex quavis alia causa quantumvis legitima, urgenti, & juridica, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus a Nobis, & quibuscumque aliis Romanis Pontificibus Successoribus nostris, & dicta Sede etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub data posteriori per Capitulum Ecclesiarum hujusmodi pro tempore eligenda concessas, validasque, & efficaces fore, & esse, vimque, & robur validi inter Sedem ex una, & Capitulum prædictum ex altera partibus rite, & recte initi, stipulati, ac etiam utrimque jurati contractus habere, & perpetuo obtinere, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & ab omnibus inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisq; Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Maii 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 19. Maii 1662. An.VIII.

Super

CCCXCII.

Super concordia solutionis Pensionis reservatæ a san. mem. Gregorio XIII. super fructibus Abbatiæ Fontis Avellanæ de anno 1578. ad favorem Collegii Neophitorum, faciendæ a Collegio Germanico tantum in scutis 1400. de Juliis 10. pro scuto in futurum.

Collegium Germanicum pro Scholaribus Nationis Germanicæ instituit Julius III., & quasi destitutum restituit Gregorius XIII. Constitut. Postquam Deo. *Tom.4. Par.3. fol.259. cui redditus assignavit, ibid.* §.3.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Apostolicæ dignitatis fastigium, meritis licet imparibus divina dispositione evecti, illa quæ inter personas Ecclesiasticas pacis, & concordiæ studio, ac ad componendas exortas inter Collegia pro Catholicæ fidei conservatione, & propagatione pie, salubriterque instituta controversias provido, prudentique conventa, & decreta noscuntur esse consilio, ut firmius subsistant, & exactius serventur, libenter, cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio constabilimus.

Motiva. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Rector Collegii Germanici, & Hungarici, ac Deputati, seu Ministri Collegii Neophitorum de Urbe, quod cum inter eadem Collegia super annua pensione mille scutorum auri, quam dudum felicis recordationis Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster dicto Collegio Neophytorum super fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii Abbatiæ nuncupati Sanctæ Crucis de Avellana in Statu Urbinatensi, memorato Collegio Germanico, & Hungarico per ipsum Gregorium Prædecessorem uniti, adnexi, & incorporati, in perpetuum reservavit, constituit, & assignavit, lis, seu controversia penderet.

Pontifex commisit controversiam protectoribus Collegii. §.2. Venerabiles Fratres Nostri Franciscus Portuensis Barberinus, & Julius Sabinensis Episcopi Sachettus, necnon dilectus filius noster Benedictus tituli S. Honuphri Presbyter S.R.E. Cardinales Odescalchus nuncupati, dictorum Collegiorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectores, & Judices respective, quibus controversiam hujusmodi sine strepitu, & figura Judicii amicabiliter terminandam commiseramus, ad sedandas lites pro bono pacis, ac per viam transactionis, & concordiæ unanimiter censuerunt, valorem scuti auri in dies augescentem esse reducendum, & taxandum ad rationem juliorum quatuordecim, adeo ut in posterum perpetuis futuris temporibus Collegium Germanicum teneatur solvere tantummodo annua scuta mille, & quadringenta monetæ Romanæ juliorum decem pro quolibet scuto, sed quoad terminos eatenus decursos, & maturatos deberet solvere, ut antea ad rationem juliorum quindecim pro quolibet scuto: insuper mandarunt, ut idem Collegium Germanicum pro una vice tantum solveret Neophytis scuta quadringen. monetæ, hoc addito, ut quatenus ipsum Collegium Germanicum in futurum sit morosum per sex menses in solutione alicujus semestris maturati, cadat a commodo hujus decreti, & concordiæ, & alias prout in eorumdem Cardinalium decreto desuper edito continetur.

§.3. In cujus Decreti exequutionem subinde prædictorum Collegiorum nomine celebratum fuit publicum transactionis, & concordiæ hujusmodi Instrumentum tenoris, qui sequitur, videlicet: In nomine Domini, Amen: præsenti publico Instrumento cunctis evidenter pateat, & sit notum, quod anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1662. Indictione 15. die vero 8. Maii Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno ejus octavo. In mei Simij Curiæ Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Vicarii, & D. Vincentii Octaviani Magistrorum Viarum, & Neophytorum Urbis Collegii Notariorum in solidum rogatorum, & infrascriptorum Testium præsentia præsentes, & personaliter constituti admodum Rev. P. Joannes Hieronymus Galenus Procurator specialiter constitutus ab admodum Reverendo P. Aloysio Spinula Rectore Ven. Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe ad infrascripta peragendum ex instrumento in actis mei Simij sub hodierna die recepto, ad quod &c. necnon Illustrissimus, & Reverendissimus D. Franciscus Maria Antaldus dicti V. Collegii Neophytorum Vicesgerens, qui promisit ratificari facere omnia, & singula in præsenti Instrumento contenta a DD. Deputatis, seu Ministris dicti Ven. Collegii infra octo dies & Instrumentum ratificationis tradere ad effectum in præsenti Instrumento inserendi habentes certam notitiam Decreti facti sub die 21. Aprilis 1662. ab Eminentiss. Dominis Cardinalibus Barberino, Sacchetto, & Odescalcho specialiter per Sanctiss. D. N. deputatis super controversia pendente inter eadem Collegia ratione solutionis Pensionis annuæ scutorum mille auri in auro, olim a fel. record. Gregor. XIII. reservatæ Neophytis, super fructibus Abbatiæ Avellanæ unitæ dicto Collegio Germanico, prout habetur in Memoriali, & rescripto Suæ Sanctitatis eisdem Eminentiss., & Reverendissimis Dominis Cardinalibus directo, tenoris sequentis, videlicet. Instrumentum transactionis.

§.4. Beatissimo Padre, in conformità degl'ordini dati da Vostra Santità, al Padre Rettore del Collegio Germanico riverentemente l'espone come il detto Collegio fondato dalla san. memoria di Gregorio XIII. per mantenimento della Fede nelli Regni della Germania, ebbe per sua principale fondazione l'Abbadia di Santa Croce dell'Avellana, nello Stato d'Urbino, quale Decretum Gregor. XIII.

quale stimò di rendita di scudi 6000. d'oro in oro, riservando mille scudi d'oro in perpetuo per il Collegio de' Greci, e mille altri simili per il Collegio de' Neofiti, e 2000. all'Abbate della Rovere in sua vita, che furono trasferiti a diversi, e fece questo riparto, acciò terminando la pensione temporanea del detto Abbate della Rovere, ne restassero 4000. al Collegio Germanico, sono calati talmente li frutti dell'Abbadìa, che oggidì rende pochissimo, & è cresciuto il valore dell'oro il terzo di più, in maniera tale, che il povero Collegio Germanico, non solo non gode parte della sua congrua porzione assegnatali, ma per pagare le sopradette pensioni in pochi anni è stato necessitato a prender a censo più di scudi 18. mila de quali ne paga l'interesse, onde il Collegio non potendo, ne meno mantenere la metà degl'Alunni, che doverebbe conforme all'intenzione del Fondatore, con tanto danno della Fede Cattolica, è sforzato a ricorrere a piedi di Vostra Santità, acciò rimetta questa causa alli Signori Cardinali Barberino, come Protettore del Collegio Greco, e Germanico, & al Cardinale Odescalco, come Protettore de Neofiti, & al Cardinale Sacchetti come Giudice, ed Essecutore della Bolla di detta unione, acciò conoscendo la verità del fatto, facciano restituire da Penzionarj al Collegio Germanico il soprapiù pagato de frutti, e poi o si assegni al Collegio Germanico la sua congrua, conforme all'intenzione del Fondatore, o vero si riparta l'Abbadìa, che è divisa in tre corpi, dandone ad ognuno la sua parte conveniente, ovvero si diminuischino le Pensioni a proporzione della rendita, o si piglino quegl'espedienti, che meglio giudicaranno acciò il Collegio Germanico non vada totalmente in rovina, & intanto, che non sii molestato per il termine corrente, perchè senza pigliare di nuovo a censo, non vi è forma di pagare, che il tutto &c. Alla Santità di Nostro Signore, per il Collegio Germanico, alli Signori Cardinali Barberino, Sacchetti, & Odescalchi, che voglino terminare questa differenza per accordo, senza strepito, o figura di giudicio: dictum quidem decretum partes ipsæ habentes præ manibus, Originale scilicet mihi Simio, copiam vero illius collationatam dicto Domino Octaviano tradiderunt inserendam huic Instrumento pariter tenoris sequentis, videlicet.

Memoriale porrectum pro parte Collegii Germanici S. D. N., ut causam commit. Card. utriusq; Collegii Protectoribus.

§.5. Die 21. Aprilis 1662. In Congregatione habita ab Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus Barberino, Sacchetto, & Odescalco deputatis per rescriptum Sanctissimi Domini Nostri super controversia pendente inter Collegium Germanicum, & Collegium Neophytorum ratione solutionis annuæ pensionis scutorum mille auri in auro olim a fel. record. Gregorio XIII. reservatæ Neophytis super fructibus Abbatiæ Avellanæ unitæ Collegio Germanico, iidem Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres, ad sedandas lites pro bono pacis, ac per viam transactionis, & concordiæ unanimiter censuerunt valorem scuti aurei in dies augescentem reducendum, & taxandum ad rationem juliorum quatuordecim, adeo ut ab hac die imposterum perpetuis futuris temporibus Collegium Germanicum teneatur solvere tantummodo annua scuta mille, & quadringenta monetæ Romanæ juliorum decem pro quolibet scuto: sed quoad terminos hactenus decursos, & maturatos usque ad hanc diem debebat solvere, ut antea ad rationem juliorum quindecim pro quolibet scuto. Insuper mandarunt, ut idem Collegium Germanicum pro una vice tantum solvat Neophytis scuta quadringenta monetæ. Hoc addito, ut quatenus ipsum Collegium Germanicum in futurum sit morosum per sex menses in solutione alicujus semestris maturati, cadat a commodo hujus decreti, & concordiæ. Et juxta hæc mandarunt confici publicum Instrumentum, & supplicari Sanctissimo pro confirmatione cum impositione perpetui silentii, ac avocatione, & extinctione litis, F. Cardinalis Barberinus, I. Cardinalis Sacchettus, B. Card. Odescalcus, &c. sponte, &c. omni, &c.

Cardinalium Decretum hujusmodi Collegiorum Protectorum.

§.6. Decretum ipsum unanimiter acceptarunt, & acceptant, illique acquieverunt, & acquiescunt, mutuaque stipulatione nobis Notariis, &c. etiam per viam Transactionis, & Concordiæ, ac alias omni, &c. medio juramento tactis, &c. promiserunt, & promittunt illud in omnibus, & per omnia observare, & pro illius ulteriori exequutione prædictus Illustriss., & Reverendiss. D. Franciscus Maria Antaldus prædicti Neophytorum Collegii Vicesgerens nunc in mei, &c. testiumque, &c. incontanti habuit, & recepit scuta mille octingenta septuaginta tria, baj. 52. monetæ pro terminis pensionis decursis, & decurrendis, usque ad diem Festivitatis S. Joannis Baptistæ mensis Junii proxime venturi, necnon alia scuta quadringenta monetæ pro unica vice tantum pariter incontanti a supradicto Ven. Collegio Germanico, & Ungarico per manus dicti Rev. P. Galeni mediante Ordine Sacro Monti Pietatis directo, quem Ordinem ad se traxit, &c. dimissa tamen penes Nos illius copia collationata ad effectum in præsenti Instrumento inserendi, tenoris sequentis, videlicet. Collegio Germanico, & Ungarico.

Decretum acceptatur, & R. P. D. Antaldus Collegii Neophytorum Vicesgerens recipit a Patre Procuratore Collegii Germanici sc. 1873. bajoc. 52. pro pensionibus decursis, & decurrendis.

§.7. Signori Provisori del Sacro Monte della Pietà, li piacerà pagare al Venerabil Collegio de Neofiti, e per esso all'Illustriss., e Reverendiss. Monsignor Francesco Maria Antaldi Vicegerente del Collegio di essi Neofiti, scudi due mila ducento settantatre, baj. 52. moneta quali faccio pagare, cioè scudi 1873. baj. 52. per resto, e saldo intiero pagamento di tutte le paghe decorse, e da decorrere a tutta la paga di S. Gio. di Giugno prossimo avvenire 1662. della pensione di scudi 1000. oro riservata a suo favore sopra l'Abbadìa di Santa Croce dell'Avellana, nello stato d'Urbino compresovi anche scudi 96. simili pagati per le deci-

Tenor dicti Ordinis.

decime dovute dal detto Collegio de Neofiti alla Rev. Cam. Apostolica, e scudi 400. per una volta tanto. Il tutto in conformità del Decreto dell'Eminentissimi Signori Cardinali Barberino, Sacchetti, & Odescalchi, Deputati dalla Santità di Nostro Signore, & Instromento di concordia oggi rogato per l'atti del Simio Notaro dell'Eminentiss. Vicario insolidum con l'Ottaviani Notaro de Signori Maestri di Strada, e Collegio de Neofiti, alli quali &c. In tutto, e per tutto si abbia relazione, &c. con ricevuta saranno ben pagati, dal Collegio Germanico, & Ungarico li 8. Maggio 1662. per scudi 2273. 52. moneta. Gio: Girolamo Galeno Procuratore del detto Collegio:& de pecuniis in eo contentis nunc pro quando illas recipiet, se bene contentum, & satisfactum vocavit, &c. & nihilominus exceptioni, speique, &c. ad cautelam renunciavit, & generaliter prædictum R. P. Galenum præsentem, &c. & ejus Collegium Nobis Notariis, &c. quo supra nomine quietavit, ac penitus absolvit, &c. etiam per pactum, &c. & per Aquilianam stipulationem, &c.

Partes conveniunt supplicare Sanctissimo pro confirmatione concordiæ.

§. 8. Præterea partes ipsæ pro majori firmitate præsentis Instrumenti concorditer convenerunt, ut supplicetur Sanctissimo, qui dignetur benigne illud confirmare, cum suppletione quorumcumque defectuum, tam personalium, quam realium, ac tam substantialium, quam formalium, & aliorum quorumcumque, & cum extinctione litis, & impositione perpetui silentii, aliisq; clausulis opportunis inserendis in Brevi desuper expediendo sumptibus communibus. Quam quidem concordiam, & transactionem, omniaque, & singula in præsenti Instrumento contenta dictæ partes, quibus supra nominibus respective promiserunt habere rata, grata, valida, atque firma, & inviolabiliter adimplere, ac tanquam rem judicatam observare, contraque non facere, dicere, excipere, opponere, seu venire, aut aliquam exceptionem juris, & facti allegare, vel contra præmissa agere, seu experiri etiam prætextu quorumcumq; Jurium de novo repertorum, seu forsan quandocumque reperiendorum, & alio quovis prætextu, ingenio, causa, vel quæsito colore, etiam ex incognitis, & inexcogitatis, & hic non expressis, & in Corpore Juris clausis, ac necessario exprimendis, quæ omnia pro expressis, & specificatis haberi voluerunt, &c. renunciantes, &c. hinc inde medio juramento tactis pectoribus more, &c. l. de Alimentis, & l. sub prætextu, in secunda parte, C. de transact. atque l. de his, & l. cum ii, ac l. qui cum Tutoribus, ff. eodem, & l. fin. C. de revoc. donat. benef., & privil. absolutionis a juramento, restitutionis in integrum, tam principaliter, quam incidenter, enormis, & enormissimæ læsionis, cæterisque legibus statutis, & privilegiis in favorem ipsarum partium quomodolibet faciendis; quia sic, &c. alias ultra præcisam, &c. teneri voluerunt ad omnia damna, &c. de quibus, &c. pro quibus, &c. dictus R. P. Galenus dictum Ven. Collegium, ejusque bona, &c. jura, &c. dictus vero Illustriss. Dominus Antaldus pariter dictum Collegium Neophytorum, ejusque bona, &c. jura, &c. in ampliori forma Reverendiss. Cameræ Apostolicæ cum clausulis, &c. obligarunt, &c. citra, &c. appellationi, &c. renunciarunt, &c. & consenserunt, &c. unica, &c. & sic tactis pectoribus more, &c. jurarunt, &c. super quibus &c. Actum Romæ, domi solitæ habitationis præfati Illustriss. Domini Antaldi positæ in Regione Campitelli, præsentibus Dominis Joanne Baptista Signio quondam Joannis Thomæ Januensis, & Domino Nicolao Antonio de Ascaniis filio quondam Leonardi Baresis, Testibus &c. Ego Antonius Franciscus Maria Simius Curiæ Causarum Eminentiss., & Reverendiss. Domini Cardinalis Vicarii Notarius, de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi requisitus. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora, & stabiliora sint illa, quæ Apost. confirmationis robore communiuntur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decretū PP. confirmatur, cum instrumento, & transactione desuper celebrata inter partes.

§. 9. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, necnon literarum memorati Gregorii Prædecessoris super reservatione constitutione, et assignatione pensionis, ac unione, annexione, et incorporatione Monasterii hujusmodi respective emanatarum tenores, et datas, aliaque etiam speciali, et individua mentione, et expressione digna præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati supradictum memoratorum Francisci, ac Julii, & Benedicti Cardinalium decretum, confectumque in illius exequutionem Instrumentum præinsertum, cum omnibus, & singulis in illis respective contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, necnon solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales, & substantiales, ac undecumque resultantes defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Præ-

Lites, & controversias supprimit, & partibus perpetuum silentium imponit. §. 10. Præterea lites, & controversias quascumque super præmissis inter prædicta Collegia Germanicum, & Hungaricum, ac Neophytorum quovis modo exortas illarum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, & alia etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis habentes a quibusvis Judicibus, & Tribunalibus ad Nos harum serie avocamus, illasque etiam perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus.

Decretum irritans. §. 11. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §. 12. Non obstantibus quacumque litis pendentia, aliisque præmissis, ac quatenus opus sit, rec. mem. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Collegiorum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eisdem Collegiis, eorumque Rectoribus, et Ministris, ac personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Maii 1662. An. VIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Maji 1662. Pontificatus Nostri Anno VIII.

CCCXCIII.

Confirmat Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Visitationis Apostolicæ pro dotandis octo Puellis de Parochia S. Andreæ de Fractis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Recenset Decretum. Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & Locorum Piorum Almæ Urbis nostræ a Nobis institutæ Deputatorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Prævia commissione Sanctissimi alias emanavit a Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ Decretum infrascripti tenoris, videlicet.

§. 1. Cum in causa Romana electionis octo Puellarum Pauperum inter Marchionem Paulum Nepotem, & hæredem Marchionis Octavii de Bubalis, & Custodes Societatis Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Andreæ de Fractis, R. P. D. Pinellus Judex Delegatus a bon. mem. Card. Montalto ipsius Societatis Protectore Anno 1620. definitive sententiaverit dicto Marchioni Paulo licuisse, ac licere dictas octo Puellas ad subsidium dotale a dicto Marchione Octavio in suo Testamento relictum eligere, ac nominare ex iis, quæ sibi videbuntur, & ex quibusvis Urbis Regionibus fuerint indistincte, & nulla habita ratione loci, & Parochiæ, ubi dictæ Puellæ degant, & habitent: cumque sententia hujusmodi lata fuerit inauditis, & indefensis Puellis Parochiæ prædictæ Ecclesiæ S. Andreæ, ac Regionis Columnæ, quæ prætendunt has octo Puellas vigore memorati Testamenti primo eligi debere ex illis, quæ pro tempore erunt sub dicta Parochia, & si in ea non sint in numero sufficienti, eligi debere ex Puellis Regionis Columnæ: Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ, ne jura Pauperum Puellarum depereant ex carentia legitimi Defensoris, censuit dandum esse ex officio Curatorem prædictis Puellis Parochiæ S. Andreæ, & Regionis Columnæ, prout dari mandavit ad hoc ut ipso Curatore illarum defensionem subeunte hujusmodi causa cognosci, & pro justitia terminari possit. Datum die 12. Januarii 1662.

§. 2. Quam Congregationis sententiam die decimaoctava ejusdem Sanctiss. D. N. ad se relatam approbavit, jussitque prædictam causam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii, tam in petitorio, quam in possessorio ex integro cognosci, ac fine debito terminari in eadem Con-

Congregatione Visitationis Apostolicæ, cui ad effectum præmissum Sanctitas Sua tribuit facultates omnes necessarias, & opportunas, & quatenus opus sit, supradictas Puellas adversus quæcumque præjudicia restituit.

§.3. Subinde in executionem præinserti Decreti Curatore Puellis deputato, & servatis alias servandis, eadem Sacra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, ac Dominorum Prælatorum Visitationis Apostolicæ, partium Procuratoribus, & Advocatis sæpius auditis, scripturisque, ac juribus utrimque exhibitis mature perpensis, causaque accurate discussa, proponente Eminentiss., & Reverendiss. D. Card. Imperiali, ex unanimi Patrum sententia censuit, tam octo Pauperes Puellas a prænominato Marchione Paulo eligendas, quam alias eligendas a prædictis Custodibus, & Parocho dictæ Ecclesiæ S. Andreæ, primum eligi debere ex illis, quæ pro tempore erunt sub dicta Parochia S. Andreæ, & quæ in ea continue habitaverint saltem spatio duorum annorum, & si non sint in dicta Parochia in numero sufficienti, eligi debere ex Puellis Regionis Columnæ: Quod si nec sint in dicta Regione, tunc demum eligi posse, ac debere ex aliis Regionibus, prout videbitur prædicto Marchioni Paulo, & omnibus Successoribus in hæreditate Marchionis Octavii Testatoris, & respective Custodibus, & Parocho supradictis: sententiamque desuper latam, & assertas renunciationem litis, & rem judicatam minime afficere memoratas Puellas Parochiæ S. Andreæ, ac Regionis Columnæ, nec eis aliquo modo officere. Et ita Sacra Congregatio declaravit, & pronunciavit non tantum prædicto, sed, & omni alio meliori modo, sicque ab Eminentiss., & Reverendiss. Domino Cardinali, pro tempore Protectore Societatis prædictæ, ejusque Judice deputato, atque ab omnibus, ad quos pertinet, & in posterum pertinebit, omnino servari præcepit, in contrarium deductis, & allegatis nequaquam refragantibus. Datum die 20. Aprilis 1662.

P. Fagnianus Secretarius.

Confirmat prout in rub. §.4. Cum autem firmiora, & stabiliora sint illa, quæ apostolici muniminis fulciuntur præsidio; Idcirco Nos firmori dicti Decreti robori, efficaciæ, & observationi consulere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulæ. §.5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullatenus unquam posse; sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Societatis Protectorem, et alios S.R.E. Cardinales, cæterosque quoslibet quacumque auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Junii 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 3. Jun. 1662. An. VIII.

CCCXCIV.

Confirmatio Decretorum a Generali Ordinis Eremitarum Sancti Augustini pro felici regimine Conventus, & Collegii majoris nuncupat. Civitatis Parisien. dicti Ordinis in visitatione editorum, & a Capitulo Generali approbatorum, cum illorum insertione.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii, quo divina dispositione Ecclesiæ Catholicæ regimini præsidemus, sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium, qui e fluctibus seculi in Religiosæ vitæ portum confugerunt, curam gerentes, illa, quæ pro felici eorum regimine, & directione provide, prudenterque constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant, & serventur exactius, apostolici muniminis præsidio roboremus. Ex Regest. in Secret. Brev.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Lamfranconius Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod ejus in Generalatu dicti Ordinis Prædecessor in Visitatione Conventus Majoris nuncupati Civitatis Parisien. ejusdem Ordinis diversa Decreta pro bono Conventus hujusmodi gubernio, regularisque observantiæ conser- Prooemium.

ſervatione edidit quæ ſubinde a noviſſimo præfati Ordinis Capitulo Generali approbata fuerunt ſub infraſcripto tenore videlicet.

Decretum recenſet.

Magiſter Frater Paulus Luchinius Piſaurenſis totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Prior Generalis,& Commiſſarius Apoſtolicus.

Ea eſt humanarum rerum conditio,ut quanto ſibi nobiliorem locum, & nomen vindicant, tanto pluribus ſubjacent fortunæ caſibus, quibus ſublimis eorum ſitus, undique exagitetur, & ſi fieri poteſt maximis dehoneſtetur maculis: quod cum neminem per ſingula diſcurrentem latere queat,tutius erit erumpentes ſilentio coercere voces, quam ex iis humanis eloquiis depromere fraudi materiam; verum Nobis tacentibus per ſe ipſum eloquetur hic Conventus, & Generale noſtrum Collegium, cujus antiqua præeminentia crebris diſſidiis, non uno, ſed diverſo modo, ac tempore, non ſine maximo animi noſtri dolore, jam fere labefactata cernitur. Plurimum ſane ad illius decus, & nominis gloriam confert, quod in ampliſſima, opulentiſſimaque totius Regni Chriſtianiſſimi Civitate, veluti in tutiſſima, ac munitiſſima capitis arce collocetur, ut ex illa doctrina ſana, & manſuetudine ſapientiæ, tenebras ignorantiæ penitus diſſipare, & adverſus peſtilentiſſima vitiorum omnium monſtra totis viribus prævalere conetur; quod tot Chriſtianiſsimorum Regnorum, Sereniſsimorumque Principum, Nobiliſsimorum procerum, atque illuſtrium virorum protectione, ac munificentia nobilitetur, & quod denique inter præcipua, & nobiliora facultatis Theologiæ Pariſienſis membra adſcribatur, quæ cum ſit florentiſsimi Galliarum Regni Gloria, & tam Cultorum ſuorum, quam exterorum ex omnibus totius orbis partibus in eam confluentium, multitudine, pietate, doctrina, atque fide orthodoxa inſignis, Literatorum omnium ad ſe allicit, convertitque animos, ſed proh dolor! unde eadem gloriæ, honoris, atque præeminentiæ monumenta inde diſſidiorum, ac litium ſemina enaſci, ut plurimum dignoſcuntur; hinc enim deſiderium impatiens ad illud convolandi, hos ſollicitat: Iſtinc gloria inſigniri laurea Doctorali in hac alma facultate corda aliorum accendit; Illinc denique ibidem remanenendi diutius quam par eſt, in aliorum, & Conventus præjudicium corda quorumdam torquet, quæ omnia ubi primum ad Generalatus apicem, nullis noſtris ſuffragantibus meritis evecti, cum mature perpendiſſemus, ad inſtar Evangelici Paſtoris commiſſi gregis ſalutem tantum proſpicientes,& noſtram corporalem penitus deſpicientes, apoſtolica tum benedictione, tum facultate obtenta, non laboribus deterriti, non difficultatibus labefactati, non Sathanæ adverſarii colluctatione fracti, valde nimis aſperum terræ mariſque fluctuoſum, ærumnis, ac periculis refertum iter ſuſcipiendum bonum duximus: ut Pariſienſem iſtum Majorem Conventum, & Generale noſtrum Collegium, Rege Chriſtianiſſimo annuente, perſonaliter, ſpecialiter luſtraremus. Cujus æquitate, pietate, ac potenti patrocinio erga noſtram Religionem protecti, ab inſtituti operis curſu, per aliquot dies pro viribus nunquam deſtitimus: ſed ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, componendas controverſias, & ad ea, quæ ad Dei cultum, & diſciplinam regularem, neque conſervandam, ſed, & augendam ſpectant toti fuimus; Idque munere, & gratia Chriſti, quod peracta viſitatione hujus Majoris Conventus, & Collegii noſtri Pariſienſis, aſſequi faciliori via minime exiſtimavimus, quam innovando, declarando, moderando, & extendendo reſpective decreta Prædeceſſorum noſtrorum, edita pro ipſiuſmet Conventus, & Collegii felici gubernio, & monaſtica diſciplina, & quædam alia de novo addendo, non immerito, cenſuimus, ſicut de facto auctoritate utriuſque officii, quo fungimur, ea reſpective nunc innovamus, declaramus, moderamur, limitamus, extendimus, & addimus, nec non ſic innovata, declarata, moderata, limitata, extenſa, & addita perpetuo inviolabiliter ſervari volumus, & id quidem de conſilio admodum Rev. Patris Magiſtri Thomæ Eguichens Galliarum apud Nos Aſſiſtentis, & Prioris hujuſce Conventus, & Collegii; atque auditis pluries verbo, & ſcriptis in diverſis Congregationibus coram Nobis ſuper hac re hoc in Monaſterio habitis, & per Nos ad id expreſſe convocatis, omnium Provinciarum Galliæ Provincialibus cum ipſarum, & Conventuum Generalium deputatis; necnon item omnibus hujus familiæ religioſis, non ſolum virtute ſcrutinii ſecreto peracti, ſed etiam informationis extra judicialiter acceptæ; ac proinde plenum omnino iſtius Conventus, & Collegii ſtatum habentes; quæ quidem decreta nunc, & futuris perpetuo temporibus ab omnibus fratribus, & fratribus, qui in hoc Conventu, & Collegio de præſenti immorantur, & in poſterum de familia commorabuntur, eadem duplici auctoritate, ut præfertur, inviolabiliter ſervari volumus, mandamus, atque præcipimus ſub pœnis in ipſis contentis: reliquis omnibus Decretis, & Definitionibus non apoſtolicis quomodolibet aliunde emanatis, & approbatis, ſeu roboratis hunc majorem Conventum, et Generale noſtrum Collegium modo peculiari contravenientibus, quæ hic reticentur, prorſus abrogatis, caſſatis, et irritatis, ne ulla in poſterum vel ſcrupoli, vel dubitationis,aut litigii occaſio ſuperſit. Decreta autem hujuſmodi immediate apponuntur, poſt tenorem Brevis Apoſtolici a Sanctiſſ. D. N. Papa Alexandro VII. feliciter Regnante Nobis ſpecialiter elargito.

Tenor Brevis Apoſtolici. Foris Dilecto Filio Paulo Luchino Piſauren. Priori Generali Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini

Tenor Brevis Apoſtolici.

guſtini Intus. Alexander Papa VII. Dilecte fili ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Inter alias noſtræ paſtoralis ſollicitudinis curas, quibus præmimur, illæ non poſtremo cordis loco inſident, quibus de cunctorum Religioſorum ſtatu proſpere dirigendo, aſsidue cogitamus, ad iſtum autem Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Ordinem, quem in viſceribus gerimus charitatis noſtræ paternæ conſiderationis intuitum dirigentes, illud præcipue in optatis habemus, ut per tuæ circumſpectionis miniſterium, illius perſonarum ſtatus ſalubriter ubique dirigatur, & ad debitæ reformationis normam in ſpiritualibus, & temporalibus reducatur, & ſi quid ab eiſdem perſonis contrarium Ordini, & honeſtati præſumatur, ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem, & religionis augumentum ſalubriter corrigatur. Ut igitur in commiſſum tibi Fratrum Eremitarum Generalatus Officium, ad Omnipotentis Dei laudem, & ipſius Ordinis propagationem, & utilitatem valeas eo ſalubriter exercere, quo Noſtræ, & Apoſtolicæ auctoritatis amplius ſuffultus fueris præſidio. Nos motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, te, de cujus integritate, doctrina, rectitudine, prudentia, dexteritate, & experientia ſpecialem in Domino fiduciam habemus in toto Ordine prædicto, ac omnibus, & ſingulis illius Provinciis, ubi Fratres dicti Ordinis ſunt, tam citra, quam ultra montes, & præcipue in infraſcriptis Provinciis, & Congregationibus Calceatorum, ac Diſcalceatorum, Noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Commiſſarium, cum plena, libera, & omnimoda facultate, & auctoritate Commiſſarii Apoſtolici in toto Ordine prædicto apoſtolica auctoritate tenore præſentium conſtituimus, deputamus, ac tibi in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, committimus, & mandamus, quatenus ſi, & poſtquam ad partes ultramontanas, & præſertim Franciæ, Aragoniæ, Cathaloniæ, Bethicæ, Caſtellæ, & Portugalliæ te perſonaliter conferre contigerit, omnes, & ſingulos ipſius Ordinis Provincias, & Congregationes tam Calceatorum, quā Diſcalceatorum, & ſpeciatim Franciæ Sancti Guillelmi Toloſan., Aquitaniæ, Provinciæ, & Narbonen., Burgundiæ, & Coloniæ Provincias, Domoſque, & loca quæcumque, eorumque Præſidentes, Conventus, & perſonas quaſcumque viſitare procures. Nos enim tibi durante tui Generalatus Officii tempore, tam Officii Generalis hujuſmodi, quam etiam auctoritatibus, tam prædictarum Provinciarum Calceatorum, & Diſcalceatorum, quam etiam alia quæcumque Ordinis, & Congregationis prædictorum Domos, & loca ubicumque tam citra, quam ultra montes conſiſtentia, eorumque perſonas tam in capitibus, quam in membris, ac etiam in ſpiritualibus, & temporalibus quoties expedire tibi videbitur, & placuerit viſitandi, & ſuper his quæ inquirenda fuerint, inquirendi, ac in iis, quæ reformatione noveris indigere, prout neceſſarium fuerit juxta Canonicas Sanctiones, & regularia ipſius Ordinis Inſtituta, ac Sacroſancti Concilii Tridentini Decreta reformandi, corrigendi, & emendandi, ad rectitudiniſque tramitem reducendi, & ubique inter religioſos ejuſdem Ordinis, ac quarumcumque illius Provinciarum, & Congregationum, tam Calceatorum, quam Diſcalceatorum diſcordias, differentias, ac lites quaſcumque decidendi, ac terminandi, ac eoſdem Religioſos ad pacem, & concordiam reducendi, ac perſonas dicti Ordinis etiamſi præſidentes fuerint, ſi diſſidioſę, ſcandaloſæ, aut alias criminoſæ exiſtant, juxta regularia ipſius Ordinis Inſtituta, & exceſſuum qualitatem puniendi, necnon diſculos in virtute ſanctæ obedientiæ ſub cenſuris, & pœnis tuo arbitrio imponendis, ut a malis inceptis deſiſtant, & ad cor redeant monendi, & requirendi, ſeu moneri, & requiri faciendi, & ſi ſpretis monitionibus hujuſmodi incorrigibiles fuerint, elapſis terminis per te, vel ſubdelegatum tuum ſtatutis, eoſdem tanquam membra putrida ab eodem Ordine per te, vel alium expellendi, & abiiciendi, necnon quæ tu præmiſſis decreveris, firmiter obſervari, ac omnia, & ſingula alia, quæ juxta Inſtituta, & conſuetudinem Ordinis hujuſmodi ad Omnipotentis Dei honorem, Religionis augumentum animarum ſalutem, & Chriſtifidelium bonororum exemplum, & alias circa ſalubre regimen, & felicem ſucceſſum Domorum, locorum, ac perſonarum eorumdem neceſſaria noveris, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, ſtatuendi, & exequendi, ordinandi, & diſponendi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, nobilitatis, excellentiæ, vel conditionis fuerint per excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac depoſitionis ab eorum Officiis, aliaſque formidabiliores, de quibus tibi videbitur expediens ſententias, cenſuras, & pœnas ſublato diffugii, & appellationis obſtaculo etiam auctoritatate apoſt. compeſcendi, & ſi opus fuerit auxilium brachii ſecularis invocandi plenam, & liberam auctoritatē prædicta facultatem concedimus per præſentes, & ut reformatio hujuſmodi juxta ſincerū cordis noſtri deſiderium liberius ſubſequatur, omnes, & ſingulos Principes, Proceres, Barones, & alios Dominos temporales, ac quorumcumque parlamentorum Conſiliarios, necnon Communitates, & Univerſitates in Domino requirimus, & hortamur attente; Venerabilibus autem Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, Prælatis Eccleſiaſticis, ac perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, Noſtriſque, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis diſtricte mandamus quatenus Divinæ Majeſtatis intuitu, ac pro eorum in hanc Sanctam Sedem reverentia, ac devotione ac religionis zelo Te benigno deſiderio, & pro affectu ſic ſincere commendatum ſuſcipiant, ac de tuto Tibi acceſſu, & libero-

ro reditu provideant, & alias benevolis favoribus efficaciter assistant, ita quod præsentes debitum effectum sortiantur, & Ordo ipse in statu prospero, ac felici successu valeat inibi salubriter conservari. Præcipientes nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, ac suspensionis a divinis, necnon privationis omnium, & singulorum privilegiorum, & indultorum tam in Provinciis, quam in Congregationibus prædictis a Sede Apostolica concessorum, & Maris Magni nuncupatorum, ab absolutionis omnium officiorum, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in dicto Ordine obtinenda sententiis, censuris, & pœnis per singulos non parentes incurrendis, omnibus, & singulis dicti Ordinis professoribus cujuscumque gradus, aut conditionis extiterint tam conjunctim, quam divisim, ut Tibi ultra obedientiam, quam Tibi jure ipsius Generalatus Officii exhibere tenentur, etiam tanquam Commissario nostro efficaciter pareant, & obediant, ac eisdem professoribus sub similibus censuris, & pœnis ne ad seculare forum, vel auxilium per se, vel alium directe, vel indirecte, mediate, vel immediate quovis prætextu, seu quæsito colore recursum habere, & hujusmodi Commissionem nostram, seu quævis alia mandata, & scripta Apostolica in dicto Ordine impedire quoquo modo præsumant inhibemus. Decernentes irritum, & inane quidquid secus contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus, & Literis Apostolicis eisdem Congregationibus, etiam ex observantia, alias quomodolibet nuncupatis, domibus, locis, & personis prædictis in genere, vel in specie, & favore regularis observantiæ, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & forsan per Nos, & Sedem prædictam, aut illius Legatos, sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, & scientia similibus, etiam Imperiali, vel Regis consideratione, & ex quibusvis causis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis, & forsan quod ipsæ personæ per alios, quam eorum Priores Provinciales, visitari, & reformari non possint disponentibus. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa specialiter, et expresse derogamus, illaque adversus præsentes nullatenus suffragari eadem auctoritate decernimus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Junii 1657. Pontificatus nostri Anno III.

Clausulæ.

Derogatio contrariorum

G. Gualterius a tergo autem,

Dilecto filio Paulo Luchino Pisauren. Priori Generali Fratrum Eremitarum Sancti Augustini,

Loco ✠ sigilli.

§. I.

De Culto Divino.

Decretum.

Primo, Officium Divinum tam diurnum, quam nocturnum horis a temporibus statutis summa cum veneratione juxta ritum S. R. E., Constitutiones, & Ceremoniale Ordinis nostri ab omnibus debite, ac devote recitetur, quod ut sine errore aliquo persolvatur, quotidie in fine prandii Lector Mensæ, audito surgendi signo, alta, & intelligibili voce enuntiabit, ac etiam singulis diebus Sabbati, & in Vigilia cujuslibet festivitatis tabulam Officiorum omnium per hebdomadam, vel in solemnitatibus occurrentibus deputandorum servandam.

Secundo. Matutinum, quod per totum anni circulum (excepto triduo ante Pasca) juxta laudabilem consuetudinem hujus Conventus, & Collegii dicetur media nocte singulis diebus Dominicis, & festis primæ, & secundæ classis, integre decantetur; in reliquis autem diebus festivis, & in festis secundæ classis non festivis, saltem laudes item decantentur, dum autem integre decantabitur Matutinum, ad illud surgere teneantur omnes, & singuli per nostras Constitutiones non exempti, aut non legitime impediti, cæteris vero diebus, quibus non decantatur media eorumdem pars per alternas hebdomadas ad illud dicendum surgere teneatur.

Tertio. Quod item peracta Oratione serotina, illico dicatur in Choro ab omnibus, & singulis, qui vel ex privilegio, vel ex justo impedimento non tenentur ad illud surgere media nocte Matutinum quoque de Beata; quando dicendum erit in Choro dicatur post Orationem serotinam, cui intersint omnes, & singuli etiam exempti, nemine prorsus excepto.

Quarto. Singulis diebus ab omnibus per mediam horam Orationi Mentali vacetur in Choro, ab iis quidem, qui dixerunt Matutinum media nocte, statim eo persoluto; ab aliis vero omnibus, qui non media nocte interfuerunt Matutinis ab hora sexquinta matutina, usque ad sextam [exceptis tamen festis, in quibus media nocte integre decantatur Matutinum; in eo enim persolvendo insumuntur duæ horæ, & adhuc Matutinis horis plures decan-

tan-

tantur Missæ Majores; unde illis diebus non conventualiter, sed private pro temporis opportunitate, unusquisque vacabit Orationi Mentali.

Quinto. Pro festis diebus ii, qui sunt de corpore studii alternis vicibus juxta ordinem scholarum, numerum studentium, & dispositionem Patris Prioris intersit officio divino; cæteri vero juxta ea, quæ disponunt Constitutiones nostræ *part.* 1. *cap.* 3. §. 7., & 8.; A Litaniis vero Beatæ Mariæ Virginis, quæ singulis diebus Sabbathi per totum anni circulum immediate post vesperas, & tempore Quadragesimæ post completorium processionaliter per claustra decantantur, nullus cujuscumque qualitatis, & tituli abesse audeat,

Sexto. Feriis sextis inter octavas Paschæ, & Pentecostes non secus, ac in reliquis feriis sextis per annum cantetur Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis de gratia vulgo *Benedicta tu*, nuncupatum.

Septimo. Quando fores Ecclesiæ sunt apertæ, & quotiescumque Divinum persolvitur Officium in Choro, aut Missæ celebrantur, nullus audeat deambulare per Ecclesiam, aut per Claustra, vel alio loco publico, in quibus tunc adsunt seculares; neque etiam aliis temporibus extra communem recreationem huc, vel illuc per Conventum, Claustra, Hortum, aut per Dormitoria vagari, sed unusquisque orando, vel meditando, legendo, aut studendo in propria Cellula remaneat. Contrafacientes severe a Patre Priore arguantur, vel etiam puniantur, qua in re ejusdem Patris Prioris conscientiam graviter gravamus.

Octavo. Singulis feriis sextis peracta Oratione serotina, & antequam Matutinum de sero incipiatur ab omnibus juxta morem istius Conventus, & Collegii in Choro communis habeatur disciplina, cum recitatione Psalmi: *Miserere mei Deus* Antiphonæ: *Christus factus est*, atque Oratorium: *Respice quæsumus Domine*, & aliarum, quæ habentur in Ceremoniali Ordinis; qui vero a tali disciplina adfuerint dicto Matutino, vel alia ipsis commodiori hora eodem modo faciant disciplinam, sive in Choro, sive in Ecclesia.

Nono. Nullus Sacerdos ad secular. confessiones audiendas præsentetur locorum Ordinariis, approbandus nisi debita ætate 30 annor., & capacitate preditus, ac insuper rigorosum prius subierit examen, idem dicendum de Prædicatoribus; cum istis tamen re mature inspecta, poterit Pater Prior juxta locorum, & temporum exigentiam, dispensare super ætate, quatenus scilicet ante trigesimum annum de licentia Ordinariorum tempore prædicationis Adventus, & Quadragesimæ audiant Confessiones extra hanc nostram Ecclesiam.

Decimo. Nullus etiam ad Sacros Ordines mittatur quin peracto Philosophiæ cursu per aliquod tempus Theologiæ vacaverit, ad Presbyteratum vero Ordinem, nullus item mittatur, nisi ad minus per annum integrum eidem Theologiæ operam dederit. Cæterum ad nullum Sacrum Ordinem aliquis promovendus Patribus consilii proponatur, quin prius rigorose tam de Philosophia, quam de Theologia, atque etiam de cantu examinatus per Examinatores infra deputandos, fuerit approbatus.

Undecimo. Semel in anno unusquisque Religiosus hujus familiæ per octo, aut decem dies juxta Patris Prioris dispositionem, & uniuscujusque complexionem vacet exercitiis spiritualibus; nec aliquis admittatur ad studia tum Philosophiæ, tum Theologiæ, nec etiam ad aliquem Sacrum Ordinem quin prius iisdem exercitiis spiritualibus, ut supra, vacaverit.

§. II.

De Disciplina, ac regimine Conventus.

Primo. Cum nedum bonum nomen, sed etiam bona temporalia istius nostri Conventus, & Collegii adeo in dies decrescant, ut nisi de opportuno provideatur remedio, brevi ad extremum redigetur exitium, fietque in stuporem, & sibilum omnibus transeuntibus, quorum malorum causas serio in hac nostra visitatione indagantes, non aliunde quam ex non sufficienti Religiosorum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus experientia, originem trahere comperimus. Cum enim juxta illius antiquas leges non admittat de Familia nisi vel eos, qui in ipsa professionem emiserunt (quos Conventuales vocant) vel Studentes, vel Officiales, illi vero, sive Conventuales perpauci sint superstites, Studentes autem transactis sex annorum studiis, quinimo & graduati gradibus susceptis eorumdem legum virtute redituri sint in proprias Provincias, & supervenientibus aliis Studentibus locum cedant: hinc fit, ut vix Sacerdotio initientur, quin statim, & Verbum Dei diseminent, & Sacramentum Confessionis administrent, in nostræ sacræ Religionis maximum dedecus, & contra præscriptum nostrarum Constitutionum, hinc etiam fit, ut nulli fere adsint, qui observatis annorum curriculis de rebus Conventus, Collegii, & Ecclesiæ comprobatam habeant notitiam, nec juvat, quod ex diversis Galliæ Provinciis assumantur Officiales etiam aliquando provectæ ætatis, quia aut penitus ignorant Ecclesiæ, & Monasterii statum, aut multoties minus idonei inveniuntur, unde parum communi utilitati incumbunt, aut denique quia ex gravitate, & multitudine negotiorum animo cadentes, officiis ipsis commissis, non ut par esset, accurate vacant. Quibus malis pro viribus occurrere debentes, pluries super iis, verbo, & scripto, auditis omnium Galliæ Provinciarum Patribus Provincialibus, cum earumdem, & Conventuum Generalium deputatis, ad id per Nos in hoc Monasterium convocatis expresse, & congregatis, & præterea omnibus fere religiosis hujus familiæ, prout fusius in proœmio horum Decretum.

horum Articulorum continetur; nullum certe aliud efficacius remedium excogitare potuimus, quam ex eisdem Provinciis determinatum assumere Patrum numerum, ipsosque perpetuo affiliare in hoc majori nostro Conventu, & Collegio, quatenus ejusdem rebus tum spiritualibus, tum temporalibus sedulo invigilent, bonis exemplis, ac documentis Juvenes comprimant; seculares ædificent, & ad amicos, & devotos Ordinis conservandos, multiplicandos, & maxime ad habendam gratiam Majestatis Christianissimæ, Principum, Magnatum, & primariæ auctoritatis hominum istius Curiæ, & Civitatis Parisiensis, sedulo laborent; quod ut suaviori modo fiat censuimus ipsos Patres affiliandos pro hac prima vice, a Nobis assumendos esse ex eorum numero, qui nunc in ipso Conventu, & Collegio commorantur, cum præsertim ipsorum virtus, capacitas, sufficientia, & in rebus agendis desteritas, sit Nobis satis comprobata.

Filios Conventus constituit. Secundo. Iis ergo, & aliis justis de causis animum nostrum moventibus, auctoritate utriusque Officii Nobis commissi hos Patres de facto assumimus, nominamus, declaramus, & constituimus, prout declaratos, constitutos, nominatos, & assumptos esse volumus filios hujusce Conventus, & Collegii; nimirum Rev. Patres Magistros facultatis Parisiensis Franciscum Viogue, Lætum Bardaul, Andream Abayl, Honoratum Lambrochum, Nicolaum Diet Gabrielem Simian; Bachalaureos vero Nicolaum Robino, Thomam Floren., & Vincentium Mathes; & præterea Joannem Lacroix Procuratorem hujus Monasterii, Petrum Royer Depositarium, & Aphrodisium Remes pietatis directorem. Damus insuper plenam, & omnimodam facultatem, ac potestatem admodum Rev. Patri Magistro Thomæ Guicheus, apud Nos pro Provinciis Galliæ Assistenti, & tunc Priori hujusce Conventus, & Collegii, ut ad beneplacitum suum nomine nostro, nominet, assumat, & constituat filios; alios etiam quatuor Patres sibi benevisos, ut cum supradictis duodecim a Nobis jam nominatis componatur numerus sexdecim FratrumSacerdotum; quos omnes sexdecim sic a Nobis jam nominatos, aut auctoritate nostra, ut præfertur, nominandos nunc, prout ex tunc, sicut etiam alios omnes in posterum eligendos, & constituendos, ut infra perpetuo affiliamus in hoc Conventu, & Collegio cum omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, gratiis, præeminentiis, cæterisque aliis, quibus per nostras Constitutiones frui, potiri, & gaudere solent filii aliorum Conventuum Generalium, ea tamen lege, ut si quis ipsorum aliquando non religiose vixisse, aut aliquid commisisse deprehendatur (quod Deus avertat) propter quod juxta Ordinis Constitutiones e Conventu expellendus esset de hujusmodi excessu, vel excessibus debite convictus, tunc Reverendiss. Pater Generalis pro tempore ipsum, vel ipsos remittat in Provinciam, vel Provincias, cujus, vel quarum erant originaliter filii.

Tertio. Cæterum ne in posterum supersit aliqua dubitandi occasio quomodo, & ex quibus Provinciis assumi debeant hujusmodi affiliandi; sexdecim Patres mandamus, & decernimus, ut sexdecim loca (ac unica vice dumtaxat excepta) equaliter dividantur inter ipsas Galliæ Provincias, quæ in hoc Conventu, & Collegio habuerint sexdecim studentes, vel saltem quatuordecim, inter quos sint decem, aut ad minus octo Fratres, quorum nullus ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promoveri debeat, nisi per duos annos integros legibus Fratrum, juxta morem istius Conventus, & Collegii satisfecerint, & insuper admittant Magistros in Sacra Theologia Facultatis Parisiensis cum ipsorum privilegiis; ita ut nec plures, nec pauciores.

Ex illo sexdenario numero, uni, quam alteri Provinciæ tribuatur, sed singulis Provinciis sit æqualis distributio: unde occurrente vacatione ex prædictis sexdecim locis jam, ut præfertur, repletis, vel replendis, habita vacatione hujusmodi æqualitatis repleatur ex Provincia, cujus erat filius, qui morte, vel alio casu defuerit modo non excedat æqualitatem, quo casu replendus erit ex alia Provincia juxta ordinem jam inter ipsos statutum, quæ nunc ad æqualitatem non habuit. Præterea statuimus, ut quotiescumque, & quomodocumque aliquis ex prædictis sexdecim locis vacaverit Pater Provincialis illius Provinciæ, cui ad æqualitatem competere debet hujusmodi locus vacans, de assensu Definitorii Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediæ, vel etiam Capituli privati, tres Patres in scriptis præsentabit Patribus Consilii istius Majoris Conventus, & Collegii nostri, ut ex illis tribus ipsi Fratres Consilii unum eligere valeant pro occupando loco vacante; quodsi prima vice non sequatur electio denuo alios tres eodem modo præsentabit Patribus Consilii, & quoad usque sequetur electio, de quo statim certiorem faciant Reverendissimum Patrem Generalem pro tempore existentem.

Quarto. Conventus maneat sicut fuit hactenus Generalis, & Generalissimum Collegium, curæ, regimini, & protectioni nostris, & Successorum nostrorum immediate subjectum, administrandum tamen regendum, & gubernandum tam in spiritualibus, quam in temporalibus per Superiores, & Officiales, sive ex præfato Conventu, & Collegio, ut supra affiliatos, vel affiliandos, sive ex Provinciis, & Communitatibus Galliarum assumendos, & eligendos, modo tamen admittant Magistros in Sacra Theologia Facultatis Parisiensis cum ipsorum privilegiis, & in hoc celeberrimo studio habeant sufficientem studentium numerum juxta dicta numero præcedenti.

Quinto. Unde non solum qui a Nobis, & Successoribus nostris; verum etiam qui a patribus Provincialibus Provinciarum Gal-

Galliæ ad studendum huc missi fuerint recipiantur juxta facultatem, & possibilitatem Conventus, & Collegii, qui ne hac in parte gravetur, nullus ad studendum Philosophiæ mittatur, prius quam aliquis cursus philosophicus incipiatur: quare ut Provinciæ tempore debito suo studentes ad hoc studium mittere valeant, mandamus, & præcipimus Patri Priori pro tempore sub pœna suspensionis per sex menses ab officio, ut duo menses antequam studia philosophica incipiantur, scribat ad omnes, & singulos Provinciales, & Superiores Communitatum Galliæ, quod tali mense, & tali die inchoabuntur studia Philosophiæ: quod si aliquis Provincialis, vel alius Superior non expectato hujusmodi tempore, aliquem, vel aliquos Studentes in hunc Conventum, & Collegium mittere presumpserit, nullo modo recipiantur, sed in suas Provincias illico remittantur.

Sequitur semper Decretum in quo varia præcipiuntur pro Conventus, & Collegii felici regimine.

Sexto. Officiales in posterum sint dumtaxat Prior, Superior, Sacrista, Procurator, Magister, seu Director pietatis, & depositarii, juxta numerum Provinciarum, quæ in hoc Conventu, & Collegio habuerint, ut dictum est, sufficientem numerum studentium, & admiserint Magistros, ut supra, præter quos sit unus Regens, & duo Professores in Sacra Theologia. Deputatorum autem munus, hoc triennio elapso, ab ipsis Depositariis exerceatur, itaut qui imposterum eligentur in Depositarios, censeantur de facto electi in Deputatos.

Septimo. Consilium, quo dumtaxat totus Conventus administrandum, & omnes electiones faciendæ sunt, componetur deinceps ex Patribus Priore, Magistris in Sacra Theologia, Regente, Theologiæ Professoribus, Baccalaureis de licentia, Superiore, Magistro, seu Directore pietatis, Sacrista, Procuratore, & Depositariis: Baccalaurei vero extra licentiam, qui tempore publicationis horum Decretorum ad Consilia Conventus, & Collegii non fuerint admissi, nullo modo in posterum ad illa admittantur.

Octavo. Prior, cæterique Officiales eligentur per turnum Provinciarum de triennio in triennium juxta Ordinis nostri Constitutiones, videlicet Pater Prior in Vigilia Pentecostes; cæteri vero omnes, vel eodem die, aut saltem infra ejusdem solemnitatis octavam, quando scilicet Pater Prior de novo electus præsens fuerit; si vero absens eligatur, tunc juxta antiquum morem differatur hujusmodi Officialium electio usque ad vigiliam, vel ante vigiliam Divæ Magdalenæ, & non ultra; interim Pater Prior absolutus, ut Vicarius noster generalis regat Conventum usque ad Prioris electi adventum, quorum uterque, sicut, & cæteri Officiales triennii proxime elapsi gaudet suffragio in electionibus prædictorum Officialium.

Nono. Electioni P. Prioris præsidebit Pater aliquis, quem Rmus Pater Generalis pro tempore, ad hoc munus specialiter deputabit, qui tali electioni, vocem activam etiam habebit; quod si forte literæ deputationis hujusmodi præsidentis tempore debito non pervenerint eo casu electioni P. Prioris præsidebit Pater Magister primus familiæ, sive Consilii, & Magistris omnibus, aut absentibus, aut impeditis præsidebit, qui primum in Consilio locum habuerit post Priorem; electioni autem Officialium præsidebit Prior de novo electus quovis tempore fiant electiones ante vigiliam Magdalenæ.

Decimo. Prior si præsens eligatur, statim atque fuerit a Patre Præsidente confirmatus; si vero absens, quo primum advenit sui Prioratus functiones exercebit; verumtamen pro se, & cæteris Officialibus de novo electis, una cum patribus Consilii absque more confirmationem a Rmo P. Priore Generali pro tempore postulabit mittendo ei acta omnia prædictarum electionum, non tamen diminuta, sed integra cum numero vocalium, & quotquot uni, vel alteri suffragati fuerint [tacito numero suffragantium] ita ut in prædictis actis Rmo Patri Generali liquido constet quot vota singuli Concurrentes habuerint, ne scilicet canonica electio propter incertitudinem facti, aliquando in dubium ponatur, & ut lites, quæ exinde ut plurimum exoriri solent, omnino eradicentur, & hoc sub pœna nullitatis ipsorum actorum; quorum deinde confirmationem, vel infirmationem, restrictionem, vel ampliationem, quam faciet idem Pater Generalis, statim atque Pater Prior receperit sub pœna suspensionis ab officio inalteratam, & sinceram corã omnibus Patribus, & Fratribus in Capitulo ad sonum Campanellæ, ut moris est congregatis publice legendam demandabit; quatenus de voluntate Patris Generalis, omnibus liquido constare possit; si vero aliquis Prior ita negligens repertus fuerit, ut se, & suos Officiales quam citius confirmandos, ut præfertur, non curaverit, ab eodem Rmo Patre Generali puniatur etiam usque ad Officii privationem; si ita sibi videbitur expedire, prout definitur in Constitutionibus de Provinciali electo *par*. 3. *cap*. 7. *num*. 4 §. 2.

Undecimo. Qui a prædictis Patribus Consilii ad aliqua officia electi fuerint de ipsorum electione a Patre Priore statim moneatur, & ipse si absens eligatur a Patribus Consilii, ac etiam respective PP. Provinciales, & Superiores Communitatum, a quibus si electi licentiam obtinuerint absque morã se conferant in hunc Conventum, & Collegium, ut Officia, ad quæ electi fuerunt, exerceant, quod si hujusmodi licentia ipsis denegetur, nunc prout ex tunc, futuris perpetuis temporibus concedimus Patri Priori (pro tempore electo, ut nostro, & Successorum nostrorum nomine Patribus sic electis, vel electo, veniendi concedat obedientiam, absque eo, quod possit, vel possint a quacumque auctoritate Nobis inferiore.

Prioris officium.

Duodecimo. Prioris officium erit totum

tum Conventum regere, & administrare cum plenaria auctoritate juxta præscriptum nostrarum Constitutionum; Superioris vero illius vices gerere, maxime in Choro, & in rebus, quæ ad disciplinam regularem pertinent. Regentis autem bis in hebdomada lectionem habere de Theologia positiva aut morali: ac insuper omnibus actibus studiorum invigilare, & curare, ut lectiones, & concertationes a Professoribus statutis horis,& temporibus habeantur: Item compellere studentes omnes, ut singulis lectionibus, concertationibus, & actibus studiorum intersint, utpote cum omnes de studio in his, quæ sunt studii specialiter subjecti sint, ad ipsum quoque spectabit Theses Baccalaureorum, & cæteras publicas quorumlibet studentium approbare, antequam publice defendantur. Scholares Philosophiæ vacaturos de humanioribus literis, atque etiam ad Sacros Ordines mittendos, & ad Confessiones audiendas, atque ad Conciones habendas cum eodem Patre Priore, & aliis Examinatoribus in principio cujuslibet triennii per Patres consilii deputandos, examinare, ac tandem in omnibus studiorum actibus, & consiliis ad studium pertinentibus post Patrem Priorem primum locum obtinere.

Directoris pietatis officium

Decimotertio. Directoris pietatis officium erit diligenter invigilare, ut pietatis studium, ac orationis amor vigeat inter Juniores non Sacerdotes curæ suæ commissos: ipsos legem Dei docere, & ea omnia, quæ ad cultum divinum spectant: Eosque visitare, Capitulum de culpis seorsum semel in hebdomada tenere, Exhortantes habere, & cætera omnia tam intra, quam extra dormitoria, seu Novitiatum agere, & præstare, quæ agenda, & præstanda Magistro Novitiorum circa Novitios præscribunt nostræ Sacræ Constitutiones *Part.* 2. *Cap.* 3.

Decimoquarto. Cum per easdem Sacras nostras Constitutiones *Part.* 5. *Cap.* 1. iste Conventus, & Collegium digniorem præ cæteris locum obtineat, nec *Cap.* 7. §. 2. ejusdem Patris illius privilegiis in studiorum, & studentium formam deroget, ea propter æquum est, ut quanto cæteris eminet, tanto amplioribus favoribus, & gratiis perfruatur: adeout ad modum Provinciarum regatur: Unde iis, & aliis rationibus animum nostrum moventibus concedimus Patribus Priori, & Consilii pro tempore, quod si aliquando contingat aliquod Officium per mortem, renunciationem, aut quocumque alio modo vacare, ut infra octo dies alium, vel alios Officiales ex Provincia, vel Provinciis, ex qua, vel ex quibus erant filii præcedentes Officiales electione substituant duraturos usque ad novam dumtaxat Officialium electionem suo tempore, & de more faciendam. Quoad vero Patris Prioris officium, servetur Ordinis Constitutio *Part.* 3. *Cap.* 2. §. 2. itaut quod ibi dicitur de Visitatoribus Provinciæ,& de immediato Prædecessore Provincialis, intelligatur dictum de Patribus Superiore, & Consilii respectu Reverendiss. Patris Generalis pro tempore, quem deinde de nova substitutione, ut supra, per electionem certiorem reddant, & confirmationem petant. Nemini liceat post captam possessionem alicujus officii, illi renunciare, nisi accedat assensus in scriptis Patrum Consilii; secus facientes ipso facto, & absque ulteriori declaratione per triennium utraque voce sint privati,& perpetuo hujus Conventus, & Collegii mansione.

Decimoquinto. Nullus Pater, aut Frater, vel Clericus, nec ad habitum, nec item ad professionem in hoc Conventu, & Collegio admittatur; nec de familia commoretur, si non sit aut affiliatus, ut supra, aut Officialis, aut Studens, aut de corpore studii (exceptis tamen quæstoribus aut si aliqui sint necessarii ad ministeria Chori, vel ad alia negotia domestica) pro fratribus autem laicis juxta Conventus necessitatem aliqui recipi poterunt ad habitum, & professionem, quæ omnia arbitrio, & prudentia Patris Prioris pro tempore judicandum relinquimus: modo tamen a Patribus Consilii ad novitatum, & ad professionem admittantur.

Decimosexto. Ad studendum missus, nullus recipiatur, nisi nigro, & albo habitu sit honeste indutus, aut pro eisdem vestibus congruam pecuniæ summam secum attulerit Patri Procuratori statim consignandam, hospites autem omni cum charitate, & devotione juxta Monasterii facultatem,& uniuscujusque qualitatem recipiantur; transactis vero tribus diebus, si ad aliqua negotia ulterius remanere voluerint pro victu communi persolvant taxatam secundum tempus a Patribus Consilii summam, aliter dimittantur: quamdiu vero manserint, legibus hospitum teneantur, & obligentur juxta Ordinis Constitutiones *Part.* 2. *Cap.* 17. §. 2. *& sequentibus*.

Decimoseptimo. Studentibus redeuntibus in suas Provincias, Conventus non teneatur dare Cappam, nec solvere Viaticum, nisi per triennium integrum Sacerdotio in hoc Conventu,& Collegio functi fuerint: & tunc pro hinc remotioribus dabuntur viginti libræ ad summum. Cæteris vero ad normam ipsarum viginti librarum, ponderata uniuscujusque itineris distantia; quoad Officiales autem relinquitur prudentia Patribus Prioris, & Consilii, qui juxta meritum personarum, & qualitatem Officiorum, unicuique subministrabunt sufficiens, & honestum Viaticum.

Decimooctavo. Cum ex mutuis Fratrum percussionibus ingentia oboriri comprobentur mala, adeout in perniciem, & ultimam ruinam istius Conventus, & Collegii nihil magis cedat: quare ut iis occurramus malis ordinamus, & statuimus, ut quicumque Frater animo irato aliquem percusserit, statim, & nulla interposita mora, ab hoc Conventu, & Collegio indispensabiliter perpetuo expellatur, pœnas per Constitutiones nostras *par.* 6. *cap.* 4. taxatas

xatas juxta qualitatem percussionis, & personæ percussæ, ac scandali, cum primum in suam Provinciam pervenerit subiturus; idcirco mandamus Patri Priori pro tempore, ut de hujusmodi excessu quam primum moneat V. P. Provincialem illius Provinciæ, cujus erit filius jam expulsus, quatenus ipse V. P. Provincialis, statim atque ad illum pervenerit delinquens, pœnas condignas absque ulla dispensatione subire compellat; super quibus oneramus tum Patris Prioris, tum Patris Provincialis conscientias.

Decimonono. Et quia major fere pars redditus Conventus, & Collegii absumitur in viaticis solvendis Officialibus, tam in eundo, quam redeundo, quando ex absentibus Patribus eliguntur, ideout huic malo saltem in parte, & quantum possumus, etiam de opportuno provideamus remedio; mandamus, & præcipimus, ut deinceps depositarii, semper eligantur ex præfato sexdecim Patrum affiliatorum numero, nimirum per turnum Provinciarum juxta formam superius præscriptam; cæteri vero Officiales, ac etiam Prior relinquitur Patrum Consilii libertati, & prudentiæ, ut quotiescumque de illis facienda erit electio an magis conducat ad Dei gloriam, & bonum regimen istius Conventus, & Collegii, si eligantur ex absentibus, quam ex præsentibus, vel viceversa, modo tamen, ut inter ipsos servetur, sicut supra, Provinciarum turnus.

Vigesimo. Conventus non tenebitur aliquas facere expensas pro graduandis, exceptis Professoribus, qui actu per quatuor annos integros digne, & laudabiliter judicio Patrum Prioris, & Consilii professi fuerint, si tamen tunc habuerint Conciones tempore Adventus, & Quadragesimæ, eleemosinæ ex eis provenientes, quæ in deposito Conventus reponere tenebuntur ad vitandam proprietatem, pro dictis impensis insumentur; eleemosinæ vero ex quibuscumque aliis eorum Concionibus provenientes, & generaliter eleemosinæ omnes tum Studentium, tum Officiariorum, aliorumque omnium, ex Missis, Concionibus, piorum oblationibus provenientes, & aliæ demum quocumque titulo cuilibet irrogatæ, cedant omnino in communione Conventus, & Collegii bonorum, nec cuipiam liceat quidpiam sibi ex illis retinere sub crimine, & pœna proprietatis, & furti; sed integre teneantur omnia consignare inter manus Depositariorum efficaciter in deposito reponenda, & asservanda, ut in communem Conventus, & Collegii usum impendantur.

§. III.

De Clausura, Refectorio, & aliis Officinis.

Decretum de Clausura Refectorio, & aliis officinis.

Primo. Quoniam manifesta experientia innotescit, nihil magis perfectioni regulari adversari, & bonam famam cujuslibet Monasterii perdere posse: quam nimia Fratrum per vicos, & plateas Civitatum circuitio: idcirco ad disciplinæ hujus Conventus, & Collegii stabilitatem stricte præcipimus Patri Priori pro tempore, ut hac in parte sedulo invigilet observationi nostrarum Constitutionum *par.* 2. *cap.* 13., nec alicui concedat facultatem eundi in Civitatem, nisi ex gravi causa prius ab ipsomet cognita, & examinata, et gravi assignato Socio. Invigilet præterea ut Janitor juxta easdem Ordinis Constitutiones diligenter, & fideliter suum exequatur Officium, secus faciens illum publice arguat, puniat, & si non se emendaverit e Conventu irremissibiliter expellat.

Secundo. Nemini quavis præeminentia, gradu, aut dignitate polleat licitum sit e Conventu egredi, quin prius nomen suum annotet in tabula foribus Janitoris appensa, in qua omnium Patrum, & Fratrum nomina de more conscribuntur, quod idem in reditu de more observabunt; contrafacientes a Patre Priore graviter puniantur, & cum nihil perniciosius homini Religioso dari queat, quam si indulgeat potius ventri, quam menti, unde hujusmodi per nostras Constitutiones *par.* 3. *cap.* 12. §. 8. infames declarantur, quare sub pœna manifestę rebellionis mandamus, atque præcipimus ne aliquis audeat bibere, aut comedere in Civitate, aut in suburbiis, neque adire quamcumque domum pro gaudio, aut cœna sumendis, nisi urgente gravissima causa, & adhuc accedente Patris Prioris licentia, quam nullo modo concedere debet, nisi honestis, & bene morigeratis Religiosis, quando scilicet a parentibus, vel ab amicis particularibus, aut a benefactoribus Conventus, & Collegii invitantur.

Tertio. Nulli concedatur abesse a mensa communi, nisi infirmis, vel valde senibus; quod si aliqui rationabili accedente causa a Patre Priore obtinuerint licentiam extra Refectorium prandio, vel cœna excipere aliquos parentes, amicos, vel benefactores, aut aliquos fratres hospites, id faciat ad parvam hospitum aulam, aut in aliquo alio loco communi, numquam vero in Refectorio, nec in Cellis Fratrum quorumcumque sive intra, sive extra dormitoria existant; qui autem hoc nostro spreto mandato contrafecerint pœna arbitraria per Patrem Priorem graviter puniatur.

Quarto. Secundæ Mensæ invigilet modo Pater Prior, modo Superior, aut aliquis alius ad hoc munus specialiter deputatus, quatenus religiose, & modeste omnia ibidem peragantur. Ut autem omnes simul, & semel absolvant primam mensam peracta lectione Sacræ Scripturæ, & in diebus veneris lecto Capitulo sexto Regulæ S. Patris nostri Augustini, claudatur Refectorium, quod ex illa hora nemini aperiatur comedendi causa, sed expectet secundam mensam, quæ circa finem primæ pulsabitur, fientque in ea benedictio, & gratiarum actiones, sicut in prima sine cantu tamen

tamen, cui mensæ secundæ deputabuntur Ministri ad legendum, & interveniendum, sicut primæ, in qua item non minus servabitur modestia, quam silentium.

Quinto. Tam in favorem studiorum, quam præsertim ad tollendos abusus furtive, & clam edendi Carnes tempore decurrenti, e festivitate omnium Sanctorum usque ad Adventum Domini Ecclesiasticum indulgemus Patri Priori, ut pro eo tempore dispensare valeat super eisdem Carnibus edendis, præterquam diebus Mercurii, quibus sicut, & diebus Veneris, & Sabbati jejunium rigorosum mandamus observari; ut autem salubris jejunandi frequentia non minuatur, carnium tantum esum in jejuniis Ordinis nostri limitamus, itaut non interdicatur mos istius Civitatis Parisiensis edendi ova, & lacticinia in prædictis jejuniis, quæ non occurrunt tempore Adventus Ecclesiastici, & Quadragesimæ, ac in Vigilia Sancti Patris nostri Augustini, in quibus jejuniis ab esu ovorum, & lacticiniorum abstineri omnino volumus, & præcipimus, declaramus pariter quod quando in Constitutionibus nostris habetur, quod aliquis fructus, vel etiam frustum panis in parva quantitate ministrari debeat, in collationibus non ita rigorose intelligendæ sint, ut disiunctim unum, vel aliud, sed conjunctim utcumque administrari possint.

Sexto. Si quis e Refectorio, Infirmaria, Camera hospitum, Culina, vel ex alia officina publica utensilia communia detulerit etiam cum animo reportandi pro prima vice publice arguatur, pro secunda severe corrigatur; pro tertia vero ei disciplina imponatur, quod si non se emendaverit augeatur ei pœna ad Patris Prioris arbitrium. Si autem in tantum progressus fuerit malum, ut illa, vel aliquid aliud furatus fuerit, de hoc latrocinio confessus, vel convictus tanquam fur e Conventu perpetuo indispensabiliter rejiciatur. Denique qui ob infirmam valetudinem victu communi sustentari nequiverit, in suam remittatur Provinciam.

Septimo. Ut Patres Confessarii præsertim, qui studio concionum simul occupantur, magis assuescant casibus conscientiæ a Lectore Mensæ, prandii, & cœnæ, quotidie legatur de aliquo Summista inter Bibliam, & Librum spiritualem, nec etiam tempore refectionis concedatur silentii solvendi facultas.

§. IV.

De Dormitoriis.

Decretum de Dormitoriis. Primo. Singulis diebus quibus Matutinum media nocte integre decantatur, pulsato signo silentii post orationem serotinam conveniant omnes Fratres ante Sacellum Beatæ Mariæ Virginis, quod situm est in ipsorum majori Dormitorio, ubi juxta antiquum morem genibus flexis devote recitabunt ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Litanias, cum solitis antiphonis, & orationibus; quibus persolutis claudantur omnia Dormitoria, quorum claves deferantur Patri Priori, vel alteri de ipsius mandato per totam noctem servandæ; quando vero media nocte decantatur Matutinum, & ad illud dicendum alternis vicibus surgunt Fratres; tunc Litaniæ dicantur, ut supra, ab illa dumtaxat media Fratrum parte, quę non est surrectura; quod si aliquis ausu temerario seras portarum Dormitoriorum, vel alicujus alterius portæ, aut etiam arcæ Conventus fregerit, vel claves adulterinas habuerit absque mora irremisibiliter e Conventu expellatur.

Secundo. Qui sine expressa Prioris licentia introduxerint seculares in aliquod Dormitorium, vel Cellam aliquam quamvis propriam, duplicatam pœnam Constitutionum Ordinis *secunda part. Cap.* 7. §. 5. latam contra eos Religiosos, qui intrant Cellam alterius Fratris respective subeant, neque in Cellis Dormitoriorum, neque etiam in ipsis Dormitoriis, nisi in Calefactoriis publice habeatur ignis, neque sine lumine audeat quis de nocte incedere, neque etiam, & quidem sub pœna ejectionis e Conventu affigere candelam ligno, vel alteri materiei combustibili, vel etiam dormiendo accensam relinquere: unde non utantur candelabri, nisi ferrei.

Tertio. Præter Magistrum pietatis, qui in exercitiis spiritualibus ex officio instruere tenetur prædictos Fratres; Pater Prior, alii tres, vel quatuor, vel etiam plures, si opus fuerit, deputet, qui eosdem Fratres studiosissime de Ecclesiæ cantu instruant; prædicti autem Fratres nunquam e Dormitorio egrediantur, aut per Conventum vadant, nisi bini, & bini; contrafacientes graviter puniantur.

Quarto nec item fas sit in prædictis Fratribus gallice loqui, etiam in assignatis sibi Dormitoriis, vel extra cum sociis, vel Sacerdotibus nostris, nisi aliquando a Patre Priore licentia ad id ipsis concedatur, nimirum dum habentur recreationes in horto, vel alii secus facientes dure puniantur; non sinat Pater Prior ea mobilia, quæ sunt in Cellis eorumdem Fratrum, ac etiam Patrum a quocumque vendi, alienari, vel alio asportari, & hoc sub pœna proprietatis ementibus, vendentibus, alienantibus, aut asportantibus infligenda: unde per numerum Cellarum signentur ipsarum mobilia, grabata, stragula, mensæ, sedilia, cæteraque suppellectilia omnia; quare si post hæc aliqua in alicujus cella suo numero signata non reperiantur suppellectilia, habitator illius Cellę tanquam fur habeatur & puniatur.

§. V.

De Studiis.

Primo. Ad studia tam Philosophica, quam Theologica nullus admittatur, nisi prævio rigoroso examine approbetur, nimirum pro Philosophia de humanioribus literis Decretum de Studiis.

literis, & pro Theologia de Philoſophia: ad neutrum vero niſi ſit bene morigeratus, & exercitiis ſpiritualibus per octo, aut decem dies ſecundum Patris Prioris diſpoſitionem prius vacaverit: quod etiam præſtare tenebitur, dum a curſu Philoſophiæ ad curſum Theologiæ erit tranſiturus.

Secundo. Examinatores pro admittendis ad curſum Philoſophiæ, erunt Patres Prior, Regens ſtudii, Baccalaureus, & ejuſdem Philoſophiæ Profeſſor; pro admittendis vero ad Theologiam, ad Sacros Ordines, ad Conciones, & ad Confeſſiones audiendas, præter Patres Priorem, Regentem, & ſtudii Baccalaureum, erunt etiam duo Theologiæ Profeſſores, cum Directore pietatis, & duobus Graduatis familiæ a Patribus Conſilii in principio cujuslibet triennii ad hunc effectum deputandis; ea tamen lege, ut Pater Prior una cum Patribus Regente, & altero Theologiæ Profeſſore ad prædicta examina facienda procedere valeat, & debeat aliis Examinatoribus ad ſonum Campanellæ monitis, & convocatis non accedentibus.

Tertio. Bis ſaltem ſingulis annis habeatur examen publicum per ſupradictos Examinatores, & etiam alios quoſcumque Graduatos, qui huic examini intereſſe voluerint, ad probandum, quinam in ſtudio proficiunt, & qui non proficiunt, ut iſti a Collegio expellantur; diſcoli autem, & irreligioſi cujuſcumque Provinciæ, ſeu Communitatis ter publice moniti, niſi reſipiſcant de conſenſu Patris Prioris, Regentis, & Directoris pietatis reſpectu Fratrum, & ſtudii Baccalaurei reſpectu Sacerdotum a Collegio irremiſibiliter expellantur, & ſine mora in ſuas Provincias remittantur.

Quarto. Studentes duobus annis Philoſophiæ, & quatuor Theologiæ incumbent, quibus ſex annis tranſactis quicumque ad Baccalaureatum promoti non fuerint, in ſuas Provincias remittantur. Cæterum ne aliquis per fraudem poſſit ſibi prorogare hujuſmodi tempus ordinamus, ut unus ſpecialiter deputetur liber, in quo nomina, & cognomina, ad ſtudia accedentium, cum die, & anno eorum receptionis a ſtudiis Baccalaureo annotentur, apud quem hujuſmodi liber de more remaneat, qui etiam in prædicto libro conſcribet quando, & ſub quibus Profeſſoribus curſum philoſophicum, & Theologicum peregerunt, ut inde teſtimonium pro graduandis in facultate Pariſienſi deſumi poſſit; annotet quoque in præfato libro, quo tempore habita fuerunt ſupradicta examina, & quomodo unuſquiſque iis ſatisfecerit.

Quinto. Ne torpeant ſtudia hujus Conventus, & Collegii unica dumtaxat (ſingulis bienniis, & quidem die quarta, vel tertia Auguſti, quando Dominica incidit in prædictum diem quartum fiat Baccalaureorum electio, quod biennium incipiet die quarta Auguſti Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, ut ſcilicet Baccalaurei electi tempore opportuno valeant ſe ſiſtere ſacræ facultati Pariſienſi, & primo examini per ipſam faciendo debite, ut par eſt, ſatisfacere, unde qui ad Baccalaureatum a Patribus Priore, & Conſilii electi fuerint Nobis, & Succeſſoribus noſtris pro tempore confirmandi præſentabuntur, ut poſtea cum noſtris literis confirmatoriis ſacre ſe ſiſtant, tempore debito, facultati Pariſienſi, in qua admiſſi, juxta ejuſdem facultatis leges curſus ſuos, ſeu licentias perficient, poſt adeptum vero licentię gradum per quindecim tantum menſes a die ejuſdem licentiæ adeptionis, voce, privilegiis conſuetis, & manſione in hoc Conventu, & Collegio gaudebunt; tranſactis autem hujuſmodi quindecim menſibus, in ſuas Provincias revertentur, nec amplius erunt de Familia hujus Conventus, & Collegii niſi a Patribus Conſilii pro tempore ad aliquod officium eligantur, & hoc quidem, ut ſequentibus Baccalaureis, & Magiſtris novis locum cedant.

Sexto. Ad Baccalaureatum non eligantur, niſi Sacerdotes etiamſi fuerint in Provinciis, & in defectum Sacerdotum, eligi poterunt Fratres modo antequam de tentativa reſpondeant poſſint initiari aliquo ſacro Ordine. Nulli vero eligantur niſi habuerint cætera requiſita juxta leges, & conſuetudinem receptam hujus Conventus, & Collegii, nimirum, ut curſum Philoſophicum per duos, & Theologicum per tres item circiter annos, atque actus ſtudii in hoc Conventu, & Collegio pie, & laudabiliter abſolverint; & inſuper habuerint teſtimonia Profeſſorum, ipſorumque Magiſtrorum pietatis de vita, moribus, & cantu, atque doctrina, Patribus Conſilii prius exhibenda.

Septimo. Et ne in electione Baccalaureorum aliqua inferatur Provinciis injuria, vel habeatur perſonarum acceptio; in ſingulis Electoribus (quoad fieri poterit) aſſumetur aliquis ex qualibet Provincia, ſin minus in ſequentibus electionibus aſſumatur aliquis ex Provincia, quæ in præcedentibus electionibus nullum habuit Baccalaureum, modo in ea recipiatur aliquis capax tali gradu juxta præſcripta in ſuperiori numero, & ſic ſucceſſive in aliis electionibus ex iis Provinciis, quæ, ut dictum eſt, habuerint in hoc ſtudio ſufficientem numerum Studentium, & admiſerint Magiſtros in ſacra Theologia, cum eorumdem prærogativis, & privilegiis.

Octavo. Munus Regentis juxta antiquam conſuetudinem hujus Conventus, & Collegii, ſucceſſive exercent, qui officio Baccalaurei ſtudii, & præſentati functi fuerint, qui a Patribus Conſilii eligentur per turnum Provinciarum, quorum uterque per annum officio Regentis fungetur. Unus ad minus ſit Lector in Philoſophia, cujus partes erunt bis in die lectiones tradere, & explicare, ſerotinaſque concertationes ſuis Diſcipulis ſemel item in die habere, deſides, ac in Claſſe delinquentes corrigere; quod ſi Officium ſuum recte, ac diligenter peregerit, honorificum aliquod ei tribuatur pro unico actu facultatis Pariſienſis, ſi ali-

aliquando a Patribus Consilii in Baccalareum eligi contingat.

Nono. Duo ex sacra facultate Parisiensi graduati sint Theologiæ Professores, duobus, aut etiam tribus trienniis si ita Reverendiss. Patri Generali pro tempore (ex Patribus Consilii hujus Conventus, & Collegii assumendis) duraturi videbitur expedire, qui Scholaribus suis bis in die legant, unus scilicet de mane, & alter post meridiem, & successive quotidie de sero in conferentiis eos exerceant, ad studendum compellant, atque negligentes, aut nolentes in iis, quæ studii sunt ipsis obedire, ad Patres Priorem, & Regentem deferant, quatenus pœna condigna etiam ejectionis e Conventu, & Collegio puniantur; Insuper caveant a peregrinis, & novis opinionibus præsertim ne in suis lectionibus, explicationibus, & disputationibus quidquam immisceant, quod explicite, vel implicite videatur sapere propositiones Jansenii damnatas, & hoc quidem sub pœnis contentis in nuperrimis Constitutionibus Apostolicis Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII. feliciter regnantis, quas ab omnibus recipi, acceptari, & servari absque ulla tergiversatione sub eisdem pœnis precipimus, & mandamus.

Decimo. Ne ex varietate, & multiplicitate Statutorum, quæ pro temporum vicissitudine, rerumque exigentia huc usque a Prædecessoribus nostris posita sunt ulla amplius dubitationis, vel litigii supersit occasio, ea omnia quomodolibet (ut etiam diximus in proœmio horum decretorum) nisi auctoritate Apostolica emanata, approbatione firmata, & roborata fuerint, annullamus, cassamus, & irritamus, prout annullata, cassata, & irrita duplici nostra auctoritate volumus, & declaramus; precipientes propterea omnibus, & singulis Nobis inferioribus in meritum salutaris obedientiæ, & sub rebellionis nostræ, ac expulsionis e Conventu pœnis, & in subsidium excommunicationis majoris latæ sententie quam hac unica pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti, ferimus, ut istis nostris Decretis in omnibus pareant, atque obediant, ne quovis prætextu, vel quæsito colore directe, vel indirecte per se, vel per alios contra aliquid moliri, attentare, vel ex eis immutare, moderari, restringere, ampliare, infirmare, cassare, vel illorum publicationem, & exequutionem impedire, aut retardare sub eisdem pœnis, vel præsumant, secus autem si quid in contrarium quavis auctoritate intra nostram Religionem (Capituli generalis excepta) tentatum, vel statutum, vel innovatum fuerit, omnino irritum, cassum, & invalidum censeri, & haberi volumus, decernimus, declaramus, atque mandamus.

Undecimo. Verumtamen si aliquæ difficultates aliquando forte oriantur circa prædictorum Decretorum intelligentiam, & mentem nostram, significabuntur Reverendissimo Patri Generali pro tempore, cujus interpretationi standum omnino erit. Denique in reliquis observantiis in iis Decretis non expressis, ab omnibus, qui nunc sunt, aut in posterum erunt, & manebunt in hoc Conventu, & Collegio de familia respective serventur Summorum Pontificum sanctiones, & speciatim Ordinis nostri Constitutiones; unde tota Nobis propria tradita vivendi norma. Cæterum ne hujusmodi Decreta in oblivionem tradantur, mandamus Patri Priori moderno, ut ea registrari faciat in libro studii, & tam ipsi, quam suis Successoribus Prioribus precipimus in meritum Spiritus Sancti, ut futuris perpetuis temporibus semel saltem in anno publice coram toto Conventu legenda curent, & mandent. Datum in nostra Visitatione hujus nostri Majoris Conventus, & Collegii Parisiensis die vigesima prima Mensis Octobris Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono.

Frater Paulus Luchinus Prior Generalis, & Commissarius Apostolicus.

Loco ✠ Sigilli.

F. Aurelius Mancinus Secretarius Ordinis.

Magister Frater Petrus Lanfranconus Anconitanus totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Prior Generalis.

Ad ea, quæ pie, & sancte ad consequendam, & augendam disciplinam regularem statuta sunt, eo libentius intendimus, quo exinde majorem Dei gloriam, & Christifidelium utilitatem proventuram fore dignoscimus. Quare cum Reverendissimus Pater Magister Paulus Luchinus Pisaurensis Prædecessor noster personaliter visitans majorem Conventum, & Collegium nostrum Parisiense, ut illud ad primariam tam bonorum, & Sacrarum Literarum Sapientiam, quam monasticæ disciplinæ institutum reduceret, aliqua, partim ex Constitutionibus Ordinis, partim ex institutis aliorum PP. Generalium Predecessorum nostrorum, partim propria ipse ediderit decreta, quæ tamen ex diversis emergentibus casibus non dum fuerunt publicata, proinde ipsorum originalia idem Reverendissimus Pater Magister Paulus Luchinus Nobis remisit, quatenus de opportuno in hoc Capitulo Generali curaremus procedi remedio. Quibus proinde his omnibus per Nos præfato Capitulo expositis, censuit deputandos esse aliquos graves Patres, qui visis, & examinatis hujusmodi decretis, referrent, prout de facto deputavit Admodum RR. PP Magistros Hieronymum Valvasonum Mediolanensem totius Ordinis nostri Procuratorem Generalem, & Josephum Interamnensem Italiæ Assistentem, quorum postea auditis, & exacte ponderatis votis, idem Capitulum Generale statuit præfata decreta esse confirmanda, sicut illa omnia, & singula confirmavit, & quatenus opus sit denuo edidit, roburque Capituli Generalis perpetuis futuris temporibus ipsis adjecit, & sub pœnis in eis contentis, & aliis ad arbitrium nostrum infligendis, publicari, & ser-

servari mandavit; Idcirco eodem nomine, & auctoritate præfati Capituli Generalis hac in parte Nobis commissa omnia, & singula retroscripta decreta approbamus, ratificamus, confirmamus, & in quantum opus est innovamus, prout ratificata, approbata, & innovata esse volumus, & mandamus. Præcipientes in meritum salutaris, obedientiæ, & sub pœnis in ipsis decretis contentis, & aliis ad arbitrium nostrum infligendis ipsorum publicationem, & observantiam, juxta modum, & formam in ipsis præscriptam, dantes propterea Admodum R. P. Magistro Thomæ Guichens Assistenti Galliæ absoluto, & Priori, atque ejus Successoribus Prioribus præfati Conventus, & Collegii Generalis Majoris Parisiensis omnimodam, & necessariam potestatem, etiam implorandi auxilium brachii secularis; declarantes præterea in nova sexdecim Patrum affiliatione, de qua §. 2. *numero* 1. & 2. non comprehendi PP. Conventuales, qui nunc actualiter in ipso existunt de familia, qui quamdiù vixerint, volumus, & mandamus, ut ibi degant tanquã illius filii per Superiores cum omni benevolentia tractandi. Verum ipsis per mortem, vel quocumque alio modo deficientibus alios eorum loco suppleri non posse prohibemus. Datum apud Sanctum Augustinum de Urbe in Comitiis Generalibus die 9. Junii 1661.

Frater Petrus Lanfranconius Generalis ind.

Loco ✠ sigilli.

Fr. Aurelius Mancinus Secretarius Ordinis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora, & stabiliora sint illa, quæ Apostolicæ confirmationis patrocinio muniuntur: Nobis propterea dictus Petrus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Omnia decreta præinserta iuminus Pontifex confirmat.

§.3. Nos igitur ipsum Petrum Priorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula decreta præinserta auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulæ.

§.4. Decernentes easdem præsentes Literas, necnon decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos quovis modo spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Conventus, & Ordinis aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum, insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Junii 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decima Junii 1662. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXCV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis super negotiis Ordinis Præmonstraten., & Communitatis antiqui rigoris nuncupat. dicti Ordinis, quo cavetur unionem, seu aggregationem unius, vel plurium dicti Ordinis dictæ Congregationi antiqui rigoris a Vicario Abbatis Generalis in posterum nullatenus fieri debere, nisi omnes Religiosi professi illius Monasterii per vota secreta consenserint in illud reformationem introduci, præcesseritque licentia Abbatis Generalis &c. eamdemque aggregationem non aliter faciendam esse, quam juxta formulam præscriptam in Decreto huic Brevi inserto.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacræ Congr. Decretum.

§.1. Emanavit nuper a Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Ordinis Præmonstraten. a Nobis deputatæ Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Ut Reformatio, seu Congregatio, & Communitas antiqui rigoris in Ord. Præmonstraten a Paulo V. fel. rec. instituta, & ab aliis Summis Pontificibus ejus Successoribus confirmata felicius, & cum pace omnium, quorum interest, per Monasteria ejusdem Ordinis diffundi, & propagari possit: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S.R.E. Cardilium

nalium, ac Dominorum Prælatorum super negotiis prædicti Ordinis a Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputata, auditis Procuratoribus tam Ordinis, quam Communitatis hujusmodi, reque accurate discussa censuit unionem, seu aggregationem unius, vel plurium Monasteriorum ipsius Ordinis memoratæ Communitati antiqui rigoris a Vicario Abbatis Generalis in posterum nullatenus fieri debere, nisi omnes, & singuli Religiosi professi illius Monasterii per vota secreta consenserint in illud reformationem introduci, præcesseritque licentia in scriptis ipsius Abbatis Generalis, qui tamen eam non deneget, nisi ex justis, & rationabilibus causis, quas deducere teneatur infra quatuor menses ad Beatissimum Romanum Pontificem, eamdemque Monasterii aggregationem non aliter faciendam esse, quam juxta formulam infrascriptam, videlicet.

Formula de Monasterii aggregatione facienda.

Nos F. N. Vicarius Generalis Communitatis antiqui rigoris Ordinis Præmonstraten., viso actu Capitulari, quo omnes Religiosi Professi Monasterii N. Fratres N. N. N. facientes totam Communitatem dicti Monasterii ejusdem nostri Ordinis per vota secreta consenserint nostram Reformationem introduci in hoc suum Monasterium de licentia Nobis specialiter in scriptis concessa a Rmo Dno P. N. Abbate Præmonstratensi, & totius Ordinis Generali sub die 2. concordavimus cum prædictis Religiosis de summa pecuniæ scutorum .... de trimestre in trimestre anticipate solvenda, & de quantitate vini doliorum .... frumenti sextariorum ...., & aliarum rerum, videlicet .... temporibus .... pro eorum victu, & sustentatione assignanda, & pro eorum portionibus congruis ratam proventuum hujus Monasterii, promittimusque ex iis redditibus, qui supersunt, deductis prædictis portionibus congruis, tot alere Religiosos nostræ Communitatis, qui sufficiant ad restituendam, conconservandamque disciplinam, & observantiam regularem. Et ipsi prænominati Religiosi ex parte sua cognoscentes se ex vi professionis suæ adstrictos ad observantiam Statutorum communium Ordinis, denuo promiserunt eamdem observantiam, nihil prætendentes relaxationis ex hac aggregatione sui Monasterii cum aliis reformatis, & quod intererunt Choro ad Officia Divina simul cum ipsis Reformatis celebranda, quod iidem prænominati inter se manducabunt in eadem mensa omnes communiter, quod habitabunt in Clausura Regulari, ad quam nullus pateat aditus Mulieribus, sub obedientia sui Abbatis (si reformationem non susceperit) vel Superioris Reformati, sive sit Abbas, sive Prior. Consenserunt insuper, & voluerunt, ut portionum suarum congruarum tam in pecunia, quam in vino, frumento, & aliis, supra assignatis pro eorum victu, & sustentatione omnimoda dispositio, & dispensatio sit apud Abbatem suum [si reformationem in se non susceperit] vel apud Superiorem reformatum, vel apud F. N. unum ex ipsis Religiosis cedentibus ad hoc a Superiori Reformato de aliorum consensu electum: ita tamen, ut si aliquis ex prædictis Religiosis Superiorem aliquem ex Ordine invenerit, qui eum in suo Monasterio admittere velit, ad illud ex dispensatione ad hunc effectum generaliter concessa a Summo Pontifice, migrare poterit, & hujus portio congrua persolvetur Superiori, qui eum admiserit. Hisque inter Patres sic stabilitis prædicti omnes Religiosi declararunt, & declarant, se cedere omnibus suis Juribus in hoc Monasterio ad Dei gloriam, & ad regularis observantiæ restitutionem in favorem nostræ prædictæ Communitatis antiqui rigoris; nosque posse libere, quando commodum Nobis fuerit, possessionem capere ejusmodi Monasterii. Acta in Monasterio N. die .... &c.

Supradicta Sacra Congr. futuris temporibus servari vult.

Quæ omnia eadem Sacra Congregatio futuris tantum temporibus observari voluit, itaut nihil inde deduci possit præjudicii adversus reformationem ad hanc usque diem per diversa Ordinis Monasteria introductam. Datum Romæ die 7. Maii 1662. P. Fagnanus Secretarius.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii Procuratores tam Ordinis, quam Communitatis antiqui rigoris hujusmodi Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi dictum Decretum pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem illis gratiam facere volentes personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum confirmat.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & Decretum præinsertum semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ.

§ 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, ac Reformationis, seu Con-

Contraria tollit.

Congregationis, & Communitatis, eorumque Monasteriorum quorumvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsisinet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 12. Jun. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Junii 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CCCXCVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio invaliditatis electionis Vicariorum Capitularium Ecclesiæ Parisien. ante admissam cessionem Cardinalis de Retz factæ, & ab illis successive gestorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus constitutionis

§.1. CUM sicut accepimus postquam dilectus filius noster Joannes Franciscus Paulus Gondus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis de Retz nuncupatus tunc Ecclesiæ Parisien. ex concessione, & dispensatione apostolica Præsul, qui jamdiu a sua Ecclesia absens, illius regimini per Vicarios suos Generales, & alios Officiales vacabat, eamdem Ecclesiam Parisien. pure, & simpliciter quantum in se erat, renunciaverat, & cesserat, seu ad renunciandum, & cedendum in manibus nostris Procuratorem constituerat, & charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus Ven. Fratrem Petrum tunc Tolosan., nunc Parisien. Archiepiscopum vigore concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam & clar. mem. Franciscum Primum, dum vixit, etiam Francorum Regem super nominatione personarum, certis inibi expressis modis qualificatarum, ad Ecclesias in Regno Franciæ privilegio eligendi non suffultas pro tempore vacantes promovendarum per Regem Franciæ pro tempore existentem Romano Pontifici facienda initorum, Nobis ad dictam Ecclesiam nominaverat, dilectus filius Syndicus Capituli ejusdem Ecclesiæ Parisien. vel alius quisquis fuerit hujusmodi renunciationem adhuc a Sede Apostolica prædicta non admissam, & dictam nominationem præfato Capitulo retulerit, ac proposuerit instans, ut administrationi Ecclesiæ consuleretur, exquisitisque suffragiis, tandem in eam sententiam (quamvis dissentientibus nonnullis itum fuerit, ut Vicarii Capitulares eligerentur; Et huic decreto Decanus, qui primarius ex duobus Vicariis Archiepiscopalibus generalibus erat, acquieverit, unaque cum aliis novos Vicarios, qui Capituli nomine Ecclesiæ administrationem susciperent pariformi consensu elegerit.

§.2. Nos considerantes tempore factæ electionis Vicariorum Capitularium hujusmodi, præfatam Ecclesiam Parisiensem non vacasse, neque dictum Joannem Franciscum Paulum Cardinalem ab ejus vinculo absolutum fuisse, sed illi eo tempore adhuc præfuisse, cum Nos demum die 5. Junii proxime præteriti cessionem Ecclesiæ hujusmodi per eum in manibus nostris factam admiserimus, & ex nunc vacare decreverimus.

Electionem Vicariorum Capitularium invalidam esse decernit.

§.3. Ac proinde dictam Electionem Vicariorum Capitularium præpropere factam fuisse: Propterea de Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Concilii Triden. interpretum, ad quos suprascriptam facti seriem discutiendam transmisimus, ut circa illam eorumdem Cardinalium sententia Nobis referretur) consilio, eamdem electionem Vicariorum Capitularium, & ea, quæ ab illis sic electis fuerunt successive gesta, minime valida fuisse; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus, & decernimus.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Ecclesiæ Parisien. etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Jun. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Julii 1662. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Revo-

CCCXCVII.

Revocatio quarumdam Ordinationum per Universitatem, & homines artis Vaccinariorum Urbis a S.S. Per Breve confirmatar. cum Decreto, quod circa contractus super pellibus tam concinnatis, quã rudibus ineundos, & aperitionem novarum Apothecarum, & divisionem Macellorum is stylus de cætero in perpetuum servetur, qui servabatur antequam dd. Declarationes, & Breve emanarent.

Ex Regest. in Secret. Brevi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alia decreta recensentur.

§.1. Alias emanarunt a Nobis literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander PP. VII. ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecerunt &c. *Ut suprus in Constit.* 226. *Tom.* 6. *par.* 4. *fol.* 275. *hujus Pontificis.*

§.2. Cum autem, sicut plurimum personarum fide dignarum relatu Nobis innotuit, dilecti filii Consules dictæ Artis Vaccinariorum potestate sibi per præinsertas declarationes, seu ordinationes a Nobis, ut præfertur, confirmatas attributa abutantur, graviaque inde nascantur inconvenientia non sine boni publici detrimento, ac Artium Vaccinariorum, & Macellariorum, illarumque hominum damno, & præjudicio: Nos opportunum his malis remedium adhibere, necnon publicæ, privatæque hominum dictarum artium utilitati consulere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine declarationes, seu ordinationes, ac super eorum confirmatione, & approbatione expeditas literas nostras præinsertas, omniaque, & singula in illis contenta, & expressa tenore præsentium perpetuo revocamus abrogamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac revocata, abrogata, cassata, irrita, & nulla, viribusque, & effectu vacua esse, & perpetuo fore, necnon circa contractus super pellibus tam concinnatis, quam rudibus, seu nondum concinnatis ineundos, & aperitionem novarum Apothecarum, seu Officinarum, ac distributionem, & divisionem Macellorum eum stylum, & morem, qui antequam Ordinationes, seu Declarationes, & literæ nostræ præinsertæ emanarent, servabatur, & quo uti tunc solitum erat, de cætero perpetuis futuris temporibus ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quovis modo spectabit inviolabiliter, & inconcusse servari, ac in usum reduci debere, nec quemquam ejsdem nostris literis in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posthac ullatenus posse decernimus, & declaramus, ac statuimus, & ordinamus.

Confirmat decretum.

§.3. Mandantes propterea dilecto filio Præsidenti Grasciæ dictæ Urbis, ut stylum, & morem solitum hujusmodi, & alia, quæ circa præmissa pro bono dictarum Artium, & Grasciæ gubernio ordinari oportere judicaverit, faciat auctoritate nostra a præfatis Consulibus, & Hominibus Artium hujusmodi, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, omni mora, & tergiversatione, recursu, & reclamatione remotis, exacte, & inviolabiliter observari; Nos enim eidem Præsidenti Grasciæ quamcumque necessariam, & opportunam ad id facultatem harum serie tribuimus, & impertimur.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas etiã ex eo quod Consules, & alii præfati, cæterique cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existentes etiam speciali, & individua mentione digni in præmissis, vel eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes ad illa vocati, citati, & auditi, seu causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia qualibet quantumvis juxta, legitima, & privilegiata causa, ingenio, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissime, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium, aut habere quovis modo prætendentium consensus, aliove quolibet, etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, rescindi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Camerarium, seu ProCamerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, & dictæ Urbis Senatorem, aliosque quoslibet earumdem Cameræ, & Urbis Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus præmissis; ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationi-

tionibus Apostolicis, necnon præfatarum artium, & Urbis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, servatis, & insertis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Julii 1662. An. VIII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Julii 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CCCXCVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Privilegiorum, gratiarum, & Indulgentiarum Fratrum Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ sub Regula Sancti Augustini in Regno Portugalliæ degentium.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alia decreta recensentur. §. 1. Alias emanarunt a Nobis Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei momoriam. In supremo militantis Ecclesiæ &c. ut fusius in *Const. 204. Tom. 6. Part. 4. Fol. 237.* hujus Pontif.

Expositio. §. 2. Cum autem, sicut dilecti filii fratres dicti Ordinis S. Pauli primi Eremitæ sub regula S. Augustini in Regno Portugalliæ degentes Nobis nuper exponi fecerunt ipsi, qui (ut asserunt) ejusdem cum Fratribus Ordinis præfati in Hungaria degentibus instituti existunt, credant se præinsertarum Literarum commodo, & effectu gaudere debere, tametsi sub Superiore Generali a Priore Generali dictorum Fratrum Hungariæ distincto vivant; & nihilominus ad tollendum omne dubium, quod super ea re exoriri posset, opportune sibi a Nobis in præmissis provideri, & ut infra, indulgeri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Superiori Generali, & fratribus dicti Ordinis S. Pauli primi Eremitæ in Regno Portugalliæ degentibus singulas Urbani, & aliorum Prædecessorum nostrorum præfatorum Literas Apostolicas præinsertas, & privilegia, indulta, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, prærogativas, præeminentias, indulgentias, favores, & alias gratias universas spirituales, & temporales præfato Ordini S. Pauli primi Eremitæ, ejusque Priori, seu Superiori Generali, & Fratribus, necnon Ecclesiis, Cappellis, Oratoriis, Domibus, & aliis locis, bonis, & rebus præfatis tam per memoratos, ut præfertur, & alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, etiam per viam extensionis, & communicationis, quam per quoscumque Imperatores, Reges, Duces, & alios Principes, ac personas seculares quomodocumque, & qualitercumque respective concessas, & concessa, cum omnibus, & singulis inde legitime sequutis, & sequuturis (quatenus tamen privilegia hujusmodi sint in usu, nec hactenus revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa) & alias juxta præinsertas Urbani Prædecessoris, nostrasque Literas, auctoritate præfata tenore præsentium pariter perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui quomodolibet in eisdem intervenerint, supplemus. Confirmat omnia contenta in rubr.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes, ac præinsertas Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac præfato Ordini Sancti Pauli primi Eremitæ, ejusque Superiori Generali, & Fratribus in Regno Portugalliæ hujusmodi degentibus, & aliis, ad quos quovis modo spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis literis concessa sunt non obstare, Contraria tollit.

re, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dicti Superioris Generalis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 7. Aug. 1662. An. VIII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Aug. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CCCXCIX.

Quod Joannes Paulus Oliva Vicarius Generalis Soc. Jesu possit relinquere, & alienare Collegia, & Domos ipsius Societatis, juxta facultatem sibi traditam a Congregatione Generali.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Paulus Oliva Vicarius Generalis Soc. Jesu, quod vigore Constitutionum dictæ Societatis auctoritate apostolica confirmatarum eidem Societati competit facultas relinquendi, & alienandi Collegia, & domos ipsius Societatis: quam facultatem Congregatio Generalis dictæ Societatis novissime habita ipsi Joanni Paulo Vicario Generali concessit: quodque Præpositi Generales, qui pro tempore fuerunt dictæ Societatis, iis casibus, quibus sperabatur suspensionem sufficere posse, Collegia suspendere soliti fuerunt, donec redditus illorum ita aucti essent, ut tuendis, seu manutenendis ipsis Collegiis sufficerent.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Joannes Paulus Vicarius Generalis, ut penuriæ, in qua Collegium Tropiense ejusdem Societatis reperiebatur, consuleret, idem Collegium suspenderit quousque exsoluto ære alieno, quo obstringitur, ad statum primevæ fundationis reductum fuerit; Venerabilis vero Frater Episcopus Tropiensis suspensionem hujusmodi per sequestra bonorum dicti Collegii impedire prætenderit: Nobis propterea dictus Joannes Paulus Vicarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipsum Joannem Paulum Vicarium Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem facultatis relinquendi, & alienandi Collegia, & Domos dictæ Societatis memorato Joanni Paulo Vicario Generali ab ultima Congregatione Generali prædicta factam, ut præfertur, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Summus Pontifex confirmat quod continetur in rubris. Præterea prædictum Collegium Tropiense, juxta illius suspensionem ab eodem Joanne Paulo Vicario Generali sicut præmittitur factam, suspensum remanere debere; ipsi vero Joanni Paulo Vicario Generali in futurum alia quoque Collegia dictæ Societatis in quacumque Mundi parte existentia, quando, ac iis modo, & forma, quibus ei necesse fore videbitur, suspendere licere, auctoritate, & tenore prædictis declaramus.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Joanni Paulo Vicario Generali plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & spectabit quovis modo in futurum, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Societatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Aug. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 7. Aug. 1662. An. VIII.

CD.

De promovendis ad Ordines in Urbe, & in sex vicinis Episcopatibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APostolica solicitudo humilitati nostræ divinitus imposita Nos admonet, ut circa Prooemium.

circa illos, qui in alma Urbe nostra, ex qua in omnes Christiani Orbis partes bonorum operum exempla ubertim promanant, vicinisque Episcopatibus sacris addicuntur ministeriis, & in hierarchicum Ecclesiæ cœtum cooptantur, ea salubriter constituamus, quæ matura consultatione adhibita, in Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem cedere, & cessura esse arbitramur.

Clerici examinandi.

§.1. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut quicumque in eadem Urbe ratione originis, vel beneficii Ecclesiastici, aut domicilii, vel cum literis dimissoriis proprii Ordinarii, ad minores, vel sacros Ordines promoveri volent, per mensem ante generales ordinationes dilectum filium nostrum, & pro tempore existentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarium in spiritualibus generalem audeant, & de ipsius mandato ab Examinatoribus ad hoc deputatis, non paucioribus, quam tribus, ac simul congregatis, super scientia ad unumquemque ordinem requisita sedulo examinentur, & peracto examine, renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint.

Bonum testimonium habere debent.

§.2. Deinde ad minores quidem Ordines promovendi bonum a Parocho, & a Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant, de quo publicum eidem Vicario exhibeant documentum. Pro iis vero, qui ad singulos majores ordines erunt assumendi, idem Vicarius Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Basilica Lateranensi, & in propria cujusque parochiali Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, genere, ætate, moribus, & vita, ordinibus ante susceptis, titulis, ad quos promoti sunt, vel promoveri cupiunt, cæterisque qualitalibus requisitis juxta sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem a fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Vicarium quamprimum transmittat.

Per decem dies exercitiis spiritualibus vacare debent.

§.3. Et nihilominus quoties aliquem ex sacris Ordinibus suscipere voluerint, ad Sacerdotes in id deputatos personaliter se conferant, a quibus decem saltem dierum spatio ante ordinationem in eorum domo inclusi, de omnibus ad digne suscipiendos, & rite exercendos ordines requisitis erudiantur, & de hoc testimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipsum Vicarium deferant, nec sine hujusmodi literis quisquam ad ullum sacrum ordinem promoveatur, nec cum aliquo super examine, & inclusione hujusmodi dispensari possit, nisi consultis Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente.

Forenses quomodo ordinandi.

§.4. Denique in sex Episcopatibus prope Urbem, in quibus non sunt Suffraganei, quicumque ad minores, vel sacros Ordines volent promoveri, cum literis dimissoriis sui Ordinarii ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antistitem directis, ad Urbem accedant, ibique, & non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius præscripta. Ubi vero sunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus ordinibus assumatur, nisi prius præter ea, quæ a Sacris Canonibus, & ejusdem Concilii decretis sancita sunt, ad minus per decem dies a dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis in eorum ædibus inclusus, ut supra, fuerit eruditus, ac literas testimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipsum Suffraganeum detulerit. Suffraganeus autem, qui contrafecerit, ab exercitio Pontificalium per annum, promoti vero tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe non servata forma præsentis Constitutionis, ab executione ordinum sic susceptorum, donec Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus visum fuerit, ipso jure sint suspensi.

Clausulæ.

§.5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.6. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Istæ literæ affigantur, & transumptis fides habeatur.

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius devenire possint, volumus ut illæ, seu earum exempla ad valvas præfatæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ, ut moris est, publicentur, & affigantur. Sicq; publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; utque earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, vel extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 7. Aug. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 7. Aug. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

Con-

CDI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Declarationis, & Incorporationis Provinciæ Bohemiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci inter Provincias reformatas Italiæ d. Ordinis a Ministro Generali, & Capitulo Generali ejusdem Ordinis factarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. DEbitum Pastoralis Officii, quod, Auctore Deo, gerimus, postulat, ut paternam Christifidelium, qui e fluctibus seculi in religiosæ vitæ portum confugerunt, curam gerentes felici illorum statui consulere studeamus, sicut cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Expositio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Minister Provincialis Provinciæ Bohemiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum dilecti filii Fratres dictæ Provinciæ dilecto filio Ministro Generali, & Capitulo Generali Anno 1658. Toleti celebrato dicti Ordinis supplicassent, ut eamdem Provinciam reformatam declararent, eamque aliis Provinciis Reformatis Italiæ ejusdem Ordinis aggregarent, præfatum Capitulum Generale eis hac in re gratificatum est, dictusque Minister Generalis die 10. Dec. 1660. per suas Literas Definitorio dictæ Provinciæ directas eamdem Provinciam Reformatam declaravit, ac illam inter Provincias Reformatas Italiæ Ordinis hujusmodi incorporavit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Minister Provincialis præmissa pro firmiori illorum subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Ministrum Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, declarationem, & incorporationem dictæ Provinciæ Bohemiæ inter præfatas Provincias Reformatas Italiæ, sicut præmittitur factas, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. (Decretũ confirmat.)

Clausulæ. §.3. Decernentes eamdem Provinciam Bohemiæ in posterum tanquam unam ex Reformatis Nationis Italiæ in omnibus, & quoad omnia fore, & habendam esse, ipsasque præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. (Derogat contrariis.)

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die undecima Augusti 1662. Pontificatus nostri Anno Octavo. (Dat. die 11. Aug. 1662. An. VIII.)

CDII.

Confirmatio formæ pro electione Discretorum Vocalium Capituli Gener. Congregationis Clericorum Doctrinæ Christianæ in Gallia. (Ex Regest. in Secret. Brev.)

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias Presbyter, & Procurator Generalis Congregationis secularis Clericorum Doctrinæ Christianæ in Gallia, quod cum Nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas eorum numerum vocalium Capituli Generalis dictæ Congregationis determinaverimus, & inter illos duos pro qualibet Provincia ipsius Congregationis Discretos eligi voluerimus, nec ullam tamen in eisdem literis pro facienda dictorum Discretorum electione formam præscripserimus, eadem Congregatio in ultimo ejus Capitulo Generali formam in electione Discretorum hujusmodi, servandam stabilivit tenoris, qui sequitur, videlicet. (Supplicatio.)

§.2. Debito tempore a Patre Provinciali designando unusquisque Vocalis, prius fusis ad Deum precibus, scribit in una Schedula duos Sacerdotes, alterum Rectorem, & non Rectorem alterum, quos aptiores ad hoc munus in Domino judicaverit, Sche- (Formâ pro electione Discretorum vocalium Capituli Generalis)

Shedulæ colligentur in fasciculum unum, sigillo domus, sive Collegii signandum, & a duobus Subditis Vocalibus mittendum ad Rectorem Domus Scrutinii, quam Pater Provincialis designaverit, qui de receptione epistolæ, & fasciculi Schedularum Rectorem Domus mittentem, quamprimum poterit, certum faciet, ut si forte esset amissus, iterum congregetur Capitulum Domus ad eligendum de novo. Cum autem omnium Domorum Schedulas repererit prædictus Rector, congregato suo Capitulo, eas omnes miscet prius, deinde eas omnes aperit coram omnibus suis Vocalibus, & omnium nomina in illis scripta simul cum duobus ab eisdem Vocalibus nominatis fideliter, & exacte notat, & duos illos qui plura habuerint suffragia Discretos esse declarat; statimque scribit ad Patrem Provincialem, qui eos monerit, ut tempore debito adsint Capitulo Generali, sumpto a Domo Scrutinii suæ electionis testimonio a Rectore, & Secretario illius subsignato; si autem contingat duos, aut plures æqualem habere suffragiorum numerum antiquior professione ex illis censetur Discretus.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Franciscus formam præfatam pro firmiori, & stabiliori illius observatione, & subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excomm. suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati præinsertam formam a memorato Capitulo Generali pro electione Discretorum Vocalium Capituli Generalis Congregationis præfatæ factam, ac stabilitam, ut præfertur, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. *Formam præinsertam confirmat.*

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit perpetuo inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Domorum quantumlibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Derogatio contrariorum.*

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsissimet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Transumptorum fides.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Augusti 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. *Dat. die 12. Aug. 1662. An. VIII.*

CDIII.

Confirmatio Decretorum, & Statutorum super Institutione, & felici directione Conventus in Provincia Romana pro secessu Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ Ordinis S. Francisci ab Eminentissimo Protectore ejusdem Ordinis in vim facultatis sibi a Congregatione Episcoporum, & Regularium concessæ, de voto Vicarii Generalis Reformatorum, ac Ministri Generalis dicti Ordinis factorum, & editorum. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ecclesiæ Catholicæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes illa, quæ pro felici Religiosorum Virorum in humilitatis spiritu, & strictioris regulæ observantiæ vota sua Altissimo reddere jugiter satagentium directione pie, sapienterque constituta, & stabilita esse noscuntur, libenter cum a Nobis petitur, apostolici muniminis patrocinio roboramus. *Proœmium.*

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Ludovicus Episcopus Placentin. Provinciæ Compostellan., quod alias Venerabilis Frater noster Franciscus Episcopus Portuen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Barberinus nuncupatus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, vigore facultatis sibi a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis *Expositio.*

gotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita concessæ, de voto dilectorum filiorum primum quidem Vicarii Generalis Reformatorum, & deinde Ministri Generalis Ordinis prædicti, nonnulla decreta, & statuta super institutione, & felici directione Conventus in Provincia Romana pro secessu Fratrum Minorum strictioris Observantiæ dicti Ordinis fecit, & edidit per suas Patentes Literas desuper expeditas tenoris, qui sequitur, videlicet.

Franciscus miseratione Divina Episcopus Portuen. Cardinalis Barberinus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, ac Ordinis Sancti Francisci Protector, Corrector, & Gubernator.

Placuit Sacræ Congregationi Eminentissimorum Dominorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ supplicem Libellum Fratris Bonaventuræ Barchinonen. strictioris Observantiæ Ordinis S. Francisci Nobis remittere tenoris, sequentis, videlicet.

Supplicatio. Eminentissimi, e Reverendissimi Signori: Per osservanza sempre maggiore della Regola del P. San Francesco, e per uniformarsi col sentimento delle Constituzioni Serafiche, e per aumentare nelle solitudini, e nelle più umili, e nude povertà lo spirito, e finalmente per ritrovare nella totale abjezione di se stesso, e nel più risoluto divortio delle Genti, la dal Padre San Francesco tanto inculcata ritiratezza, e povertà, Frà Bonaventura da Barcellona Riformato Laico di S. Francesco conformandosi con le migliori direzzioni dell'Istituto, e con sentimento piissimo delle Costituzioni, e dello stile commendabile delle più accreditate premure de Superiori maggiori dell' Ordine, umilmente supplica l'EE. VV. d'esser fatto degno d'un Convento de più ritirati, e nascosti, dove con quei Compagni, e Guardiano, che dal Superiore gli saranno prescritti, possa egli con le Ordinazioni, che più quadreranno al zelo immenso dell'EE. VV., e de Superiori maggiori ricoverarsi, col solo intento di servire a Dio nella pura, e letterale osservanza della Regola del P.S. Francesco. Quam Deus &c.

Rescriptum Sac. Congreg. Sacra Congregatio Eminentissimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, jubente Sanctissimo Domino Nostro ante scriptas preces remisit Eminentissimo hujusmodi Ordinis apud hanc Sanctam Sedem Protectorem, qui una cum Generali ejusdem Ordinis quidquid sibi in Domino, & ad regulariter disciplinam restaurandã, fovendamque expedire visum fuerit pro eorum arbitrio, & prudentia mature decernant, statuant, servarique præcipiant. Romæ octava mensis Maii 1662.

M. Card. Ginnettus.

Loco ✠ sigilli.

E. Episcopus Camerinen. Secretarius.

Nos vero re mature perpensa inhærentes auctoritati, & facultati Nobis concessæ a prædicta Sacra Congregatione vigore rescripti præinserti pro directione ejusdem Conventus, & Regularis disciplinæ in eo stabiliendæ conservatione infrascripta decreta sancire, & promulgare censuimus, videlicet.

Statuta Conventus in Provincia Romana pro secessu Patrum Minorum Strictioris Observantiæ.

Nonnulla decreta. Primo. Ad eum secessum destinatus Conventus Sanctæ Mariæ, ut vocant, de Gratiis, Ponticelli.

Secundo. Cupientes eo se recipere teneantur humiliter petere ejus rei facultatem a Patre Ministro Provinciali, qui adeo petitioni obsistere non possit, ut etiam debeat humaniter indulgere, nisi rationabilem habeat obsistendi causam.

Tertio. Nemo ad id cogi possit, aut impediri dummodo Patri Guardiano una cum Discretis post diligens examen videatur idoneus.

Quarto. Custodiat unusquisque Regulam sine glossa, quemadmodum a P. S. Francisco eam accepit, vivatque in obedientia Patris Guardiani, Provincialis, & Superiorum Generalium.

Quinto. Nullus possit ad Præsulatum, Dignitatem, Gradumve infra, vel extra Religionem aspirare, vel electus ad dignitatis aliquem gradum, extra præfatum Conventum illum suscipere, sine consensu Guardiani, ac Discretorum sui Conventus, si vero contra, quam dictum est aliquis fuerit perpetuo sit ab eo Conventu exclusus.

Sexto. Nemo ex hoc Conventu sine Guardiani, discretorumque consensu removeri possit absque justa causa, neque sponte discedere citra necessitatem, nisi post mensem a die, in quo primum abeundi facultatem petierit a Superiore, ut interim experiantur fratres de ipsorum Socio an instabilitate, vel ulla tentatione ducatur, ut digredi velit, illumque Deo commendent.

Septimo. In Guardianum eligetur unus aliquis ex Fratribus hujus Conventus a Patre Provinciali cum Definitorio suffragiis secretis, secundum Breve fel. rec. Urbani VIII. approbandus præterea ab Eminentissimo Cardinali Protectore, Magistroque Generali.

Octavo. Fratrem discedere volentem, vel Guardiani, Discretorumque judicio minime idoneum, inquietum, vel pacis perturbatorem, Patres possint ad Patrem Provincialem mittere, eique instare orantes, ut a sæpius memorato Conventu eum amoveat, aliumque ad locum transferat; qui Provincialis pro sua charitate provideat, & petentibus satisfaciat nisi eidem secus videatur ex rationabili causa.

Nono. Caveat unusquisque ne in sermonibus tum publicis, tum privatis se, vel alios

alios Fratres hujus Conventus præferat cæteris in probitate, perfectione, regulæque custodia, eoque detrahat proximo suo, sed agere curet id, quod agit humiliter vivendo, & servando unitatem spiritus in vinculo pacis; prævaricatores vero severius puniantur.

Decimo. Liceat Guardiano, cæterisque Fratribus hujus Conventus sancire nova statuta pro strictiori vivendi ratione, quæ non adversentur Sacris Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus, & Generalibus statutis Fratrum Reformatorum, eaque secretis suffragiis probari debeant, & ab omnibus observari ad majorem Dei gloriam, fratrumque spiritualem profectum, dummodo recognoscantur prius, & approbentur a Ministro Generali.

Supradicta autem decreta, & statuta de voto etiam, primum Vicarii Generalis Reformatorum, deinde Ministri Generalis ejusdem Ordinis sancita ab omnibus Religiosis in supradicto Conventu commorantibus, & Deo servientibus in perpetuum valitura inviolabiliter observari volumus, & mandamus. Ut autem supradicta firmius subsistant Illustrissimus, & Reverendissimus Episcopus Placentiæ nuper Orator Catholici Hispaniarum Regis humiliter supplicat Sanctitati Vestræ, ut dignetur illa confirmare per suas Literas in forma Brevis. In quorum fidem &c.

Supradicta decreta servari mandat.

Datum Romæ die 31. Julii 1662.

F. Cardinalis Barberinus Protector.

Loco ✠ sigillo.

Agapitus Colortius Secret.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora, & stabiliora sint, exactiusque serventur, illa, quæ Apostolicæ confirmationis præsidio communiuntur: Nobis propterea dictus Ludovicus Episcopus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur ejusdem Ludovici Episcopi votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinserta decreta, & statuta a memorato Francisco Cardinale Protectore facta, & edita, ut præfertur, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmat hæc decreta.

Clausulæ.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Aug 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDIV.

Donativum extraordinarium Regni Siciliæ Regi Catholico facien. occasione dotis Reginæ Christianissimæ dicti Regis natæ.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Archiepiscopo Panormitan.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Expositio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit Charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, quod cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia, Ecclesiasticum, Militare, & Demaniale nuncupata Regni Siciliæ ultra Pharum, cujus ipse Philippus etiam Rex existit, de mense Martii 1661. eidem Philippo Regi occasione dotis Charissimæ in Christo Filiæ Mariæ Theresiæ Francorum Reginæ Christianissimæ ipsius Philippi Regis natæ donativum extraordinarium quinquaginta millium scutorum certis modo, & forma, ac pro hac vice dumtaxat exigendum obtulerint, Ven. quoque Fratres Archiepiscopi, Episcopi, & Archimandrita & aliæ Ecclesiasticæ personæ dicti Regni certam ratam non excedentem sextam partem prædictorum quinquaginta millium scutorum solvendorum, ut præmittitur, sponte sua in eisdem Comitiis, accedente tamen ad hoc nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, persolvere obtulerunt, & forsan etiam persolverunt.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio

tio subjungebat, ex eo præsertim, quod per Lateranen. Concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones sub certis censuris, & pœnis caveatur expresse, ne Reges, Principes, & alii Potentatus ab Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis personis Ecclesiasticis etiam sponte offerentibus aliquam pecuniarum summam, sive subventionem recipiant dictus Philippus Rex, ac ejus Regni illius ministri dubitent, ratam prædictam ante obtentum beneplacitum Apostolicum recipiendo, censuras, & pœnas hujusmodi incurrere, & forsan incurrisse.

§.3. Nobisque propterea dictus Philippus Rex humiliter supplicari fecerit pro suæ, & dictorum ministrorum conscientiæ quiete quatenus præmissis nostram, & hujus Sanctæ Sedis auctoritatem interponere dignaremur: Nos igitur ejusdem Philippi Regis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito tibi per legitimas probationes de expresso majoris partis Cleri, seu Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum, secularium, & cujusvis ordinis regularium dicti Regni consensu, & quod reliqui, vel reliquæ personæ non consentientes vocati, & vocatæ fuerint oblationi, & promissioni, necnon solutioni per Archiepiscopos, Episcopos, & Archimandritam, & alias personas Ecclesiasticas factis pro hac vice tantum nostram, & Sedis prædictæ auctoritatem vigore præsentium interponas, ipsosque Archiepiscopos, Episcopos, & alias personas hujusmodi, etiamsi sint de illis, quæ pro minori Cleri parte præmissis non consenserint, ad ea tamen vocati, & vocatæ fuerint ad solutionem eorum ratæ opportunis Juris, & facti remediis cogas, & compellas.

Regi Catholico auctoritatem concedit compellendi ad solutionem Episcopos aliosque.

§.4. Et nihilominus Archiepiscopis, Episcopis, & Archimandritæ, aliisque Ecclesiasticis personis prædictis, ut ratam hujusmodi per eos, ut præmittitur oblatam, & promissam persolvere, ac dictus Philippus Rex, & ejus ministri eam petere, & recipere absque conscientiæ scrupulo, seu censurarum, & pœnarum prædictarum incursu libere, & licite valeant, auctoritate nostra concedas, & indulgeas, ipsosque Archiepiscopos, Episcopos, & Archimandritam, aliasque personas Ecclesiasticas, & earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam jam promiserint, & solverint necnon eumdem Philippum Regem, ejusque ministros prædictos si eamdem ratam jam perceperint, ab omnibus, & singulis censuris, & pœnis propterea quomodolibet incursis, eadem auctoritate absolvas, & absolutos fore censeas, & declares. Et quod omnes, & singuli pensionarii, seu ii, quibus loco pensionum fructus in totum, vel in partem reservati existunt cujuscumque dignitatis, vel conditionis sint (exceptis tamen S.R.E. Cardinalibus, necnon duabus perpetuis pensionibus annuis, una quidem bis mille ducentorum super Cathanien., altera vero pensionibus hujusmodi mille octingentorum scutorum monetæ dicti Regni Siciliæ super Mazarien. mensarum Episcopalium respective fructibus, redditibus, & proventibus ad favorem Operis pii per memoratum Philippum Regem in Basilica S. Mariæ Majoris de Urbe fundati a prædicto Innocentio Prædecessore per suas anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo nonis Octobris desuper sub plumbo expeditas literas reservatis) ad hujusmodi ratæ solutionem in omnibus, & per omnia perinde acsi nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent, clausulis, & decretis in literis Apostolicis reservationum, pensionum, & fructuum hujusmodi etiam consistorialiter appositis, & quod dictæ pensiones ab omni decima, subsidio charitativo, & quovis alio onere tam ordinario, quam oxtraordinario quavis auctoritate etiam pro expeditione tam offensiva, quam defensiva contra Turcas, & alios Infideles, & Reipublicæ Christianæ hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causa a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum instantiam, illorumque contemplatione, & intuitu etiam motu proprio, & ex certa scientia impositis, & imponendis, aut alias qualitercumque exemptæ sint nequaquam obstan. teneantur, & efficaciter obstricti sint, ipsique Archiepiscopi, Episcopi, & Archimandrita, aliæque personæ, quarum Ecclesiæ, Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica annuis pensionibus apostolica auctoritate assignatis gravata, & onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus hujusmodi sunt reservati vere, & realiter, & quacumq; fictione cessante persolverint, sua propria auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras, & pœnas in eisdem pensionum, reservationibus contentas incurrant, eadem auctoritate decernas.

Quædam facultas.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus etiam in corpore Juris clausis, ac Literis Apostolicis quibusvis generaliter, vel specialiter concessis, necnon literis reservationum, pensionum, & fructuum hujusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in forma Cameræ, etiam cum juramento, ac censurarum, & mandati exequutivi susceptione, vel alias desuper factis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quævis alia expressio habenda sit, & in eis caveatur expresse, quod per hujusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes eis derogatum esse non censeatur, aut

Contrariis derogat.

aut derogari non videatur, nisi certis modo, & forma in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Cæterum volentes providere ne pauperes Ecclesiastici ad contributionem hujusmodi graventur, Te hortamur attente, ac in virtute Sanctæ obedientiæ Tibi mandamus, quatenus pauperes Ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil, aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum scuta viginti quinque monetæ illius Regni constituen. inclusive habent, ad contributionem prædictam per quoscumque quavis auctoritate fungentes cogi, aut compelli nullo modo permittas.

Transumptorum fides. §.7. Volumus autem, quod exactio pecuniarum hujusmodi ab Ecclesiasticis, per personas Ecclesiasticas a dicto Philippo Rege, seu moderno Regni prædicti Prorege nominandas, & per Te deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis, quod si secus in aliquo præmissorum factum fuerit, qui contravenerit, in pœnas, & censuras incurrant, perinde acsi præsentes literæ non emanassent. Quodque etiã præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 4. Sep. 1662. An. VIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Septembris 1662. Pont. nostri Anno VIII.

CDV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Commissio Officiali Bisuntin. contra Guglielmum Humbertum Præcipianum, & alios inobedientes Canonicos Ecclesiæ Bisuntin.

Dilecto filio Joanni Dorivalio Archidiacono Luxoviensi, & Canonico Ecclesiæ, necnon Officiali Curiæ Bisuntin.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Alia decreta recensentur. §.1. Aliàs emanarunt a Nobis literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander PP. VII. ad futuram rei memoriam. Justitiæ exigit ratio, &c. *tenor dictarum literarum omittitur, quia jam illum invenies in suo Ordine sub dat. 5. Decembris 1661. Pont. Anno VII.*

§.2. Cum autem (sicut non sine gravi animi nostri dolore subinde accepimus) memorati Guglielmus Humbertus Præcipianus, & alii Canonici ejus Electores, tantum abest, ut paternis nostris monitionibus, & correctionibus hujusmodi debita humilitate morem gerentes, atque apostolicis mandatis reverenter (ut justum est) parentes, ab omnibus illis actibus, qui eis, & cuilibet eorum per præinsertas literas nostras expresse interdicti sunt, sese penitus abstinuerint, ut etiam (quod deplorandum est, majorique animadversione compescendum) actibus capitularibus, cæterisque præfatis, inani forsan prætextu cujusdam afferte absolutionis ad certum tempus dumtaxat, & cum reincidentia, a præfato Episcopo Andrevillen. dictæ Ecclesiæ Bisuntin. Suffraganeo per eos fucato verbalis paritionis supposito extortæ, sese intrudere, atque immiscere ausi sint, & audeant, illique, & præsertim dictus Guglielmus Humbertus se ipsos ad alia Officia, munera, & forsan dignitates eligi, ac deputari satagant. Motiva.

Committitur in rubr. §.3. Propterea Nos, qui ausus hujusmodi temerarios, & in præjudicium apostolicæ auctoritatis tendentes, nullo modo dissimulare possumus, nec debemus, motu, scientia, & deliberatione similibus, discretioni tuæ iterum in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis per te, nisi huic mandato nostro parueris, incurrendæ committimus, & mandamus, ut statim, atque præsentes literas receperis, omni postposita mora, eumdem Guglielmum Humbertum Præcipianum, ac singulos Canonicos ejus Electores præfatos [quorum nomina, & cognomina, si hactenus publicata non fuerint, publicari facias] a supradictis suspensionis, ac privationis, cæterisque a Nobis per præinsertas literas inflictis pœnis minime liberatos, nec pro liberatis habendos esse, sed quatenus a memorato Episcopo Andrevillen. sicut premittitur, aut alias quandocumque, & qualitercumque absoluti fuerint, in easdem pœnas reincidisse, illisque adhuc innodatos, & illaqueatos esse auctoritate apostolica declares, & decernas.

Facultas per pœnas procedendi. §.4. Et quatenus illi se ab actibus capitularibus hujusmodi, & aliis, ut supra, ipsis interdictis non abstinuerint, eosdem, ac singulos eorum, qui contrafecerint, necnon eos, qui illos ad actus præfatos quoquo modo, ac prætextu receperint, aut admiserint, vel propria vota, sive suffragia per se ipsos, aut eorum Procuratores pro electione aut deputatione ad quæcumque officia, munera, vel dignitates illis, aut cuilibet eorum dederint, eo ipso excommunicationis sententiam, a qua nemo a quoquam nisi a Nobis, seu pro tempore existente Romano Pontifice tantum, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, damnabiliter incurrisse dicta auctoritate declares pariter, & pronuncies, & publices: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem, & potestatem tibi harum serie, eadem auctoritate tribuimus, & impartimur.

§.5. Decernentes easdem præsentes li-

te-

teras, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis interesse habentes ad illa vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu in controversiam revocari minime posse, sed ipsas præsentes literas, & in illarum executione a te facienda firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E.Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quavis auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorũ cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausulæ.*

Contraria tollit. §.6. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §.7. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præsentiũ literarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 11. Sep. 1662. An.VIII. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Sept. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDVI.

Quod Superiores Congregationis S. Benedicti, ac etiam Monasteriorum Sublaci, ac Farfæ, cæterique Monachi non accedant Romam absque licentia Abbatis Sancti Pauli, ac Procuratoris Generalis.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Procemium. Ad apostolicæ dignitatis fastigium meritis licet imparibus, divina dispositione evecti, illis, quæ pro decoris Monastici, disciplinæque regularis conservatione provide costituta esse noscuntur, libenter cum a Nobis petitur, apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

Supplicatio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Romanus Procurator Generalis Congregationis Cassinensis, Ordinis S. Benedicti, quod dilecti pariter filii Præsidens Generalis, & Visitatores dictæ Congregationis in eorum Dieta Ferrariæ nuper celebrata Decretum ediderunt tenoris, qui sequitur, videlicet. Salutaribus monitis Eminentissimi D.Cardinalis Barberini Congregationis nostræ Protectoris, quibus pro eorumdem observantia cum suis particularibus literis sub datum Romæ, die 19. Mensis Aprilis proxime elapsi, Dietæ Capitulari directis enixe institit, ut par est, obtemperare volentes, omnibus, & singulis Congregationis nostræ Prælatis, etiam Monasteriorum nostrorum Sublaci, Farfæ, ac Monachis cujuscumq; conditionis prohibemus, & penitus interdicimus, a nostris Constitutionibus non recedentes, accessum ad Urbem, quovis prætextu, absque licentia prius in scriptis a Reverendis PP. Abbate S. Pauli de Urbe, & Procuratore Generali in Curia pro tempore existentibus obtenta.

§.2. Nulli supradictorum post eumdem accessum ad Urbem liceat alibi etiam in domibus secularium propinquorum, præterquam in Monasterio Sancti Callisti sese recipere, commorari, & multo minus juxta easdem Constitutiones nostras pernoctare, sub pœna suspensionis a quocumque gradu ipso facto ab omnibus incurrenda: iisdem pariter in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut associati, & omnino cucullati per Urbem incedant, ne gradus Abbatialis, & Monasticus, ex dimissione sui dignioris habitus, debito honore privetur. Quæ omnia tam in Alma Urbe, quam in aliis insignioribus Civitatibus, præcipue Neapolis, & Panormi, observanda esse decernimus.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Jacobus Procurator Generalis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Jacobum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus extiterit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. *Decretum præinsertum confirmat.*

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausulas apponit.*

Non

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, & Congregationis, etiam juramento, confirmatoine apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiast. constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 26. Sep. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Sept. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDVII.

Quod spolia defunctorum Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris Procuratori Generali ejusdem Congregationis omnino applicari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constitut.

Aliàs pro parte tunc existentis Abbatis Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Congregationi tunc existentium S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum exposito, quod ipse juxta mandatum dictæ Congregationis Cardinalium in Capitulo Generali prædictæ Congregationis Canonicorum Regularium Venetiis anno superiore 1649., celebrato una cum Definitoribus decretum ediderat, quod spolia defunctorum Canonicorum Regularium Congregationis hujusmodi transmitterentur a Prælatis localibus ad Procuratorem Generalem ipsius Congregationis, ad effectum solvendi debita Cameraria Monasteriorum particularium, & his deficientibus publica Religionis Romæ contracta cum Montistis, & Censuariis, quodque Decretum hujusmodi ab ipso Abbate Generali, & Definitorio in Dieta eo anno Florentiæ habita etiam renovatum, & plenissime confirmatum, ac a multis exacte observatum, & practicatum fuerat, sed nonnulli alii renitentes erant, illique parere recusabant sub vanis prætextibus, & subterfugiis, allegantes dictum decretum Constitutionibus Apostolicis, ac decretis prædictæ Congregationis Cardinalium, & Sacris Canonibus adversari, licet nihil super ea re producerent.

Supplicatio.

§.1. Ideoque pro parte dicti Abbatis Generalis memoratis Cardinalibus supplicato, ut prædicti Decreti observationi opportune providerent, emanavit ab eorumdem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio, &c. inhærendo resolutionibus alias factis in particulari Congregatione pro sublevandis oneribus duodecim Congregationum Monasticarum prænarratum Decretum a Definitorio Capituli Generalis anno 1649. Venetiis editum, & nuper in præterita Dieta innovatum pro satisfaciendis dumtaxat debitis onerum Cameralium, ac Montistarum, & Censuariorum hujusmodi ad particularia Monasteria si adsint, sin minus ad commune Religionis spectantibus, & non alias virtute præsentium Sanctissimo Domino Nostro annuente approbat, & confirmat, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, ac ad prædictos usus solummodo applicari mandat, & præcipit, sub pœna contrafacientibus privationis vocis activæ, & passivæ, prælaturæ, & officiorum, necnon perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque alia obtinenda, rehabilitatione eidem Sacræ Congregationi reservata, Constitutionibus Apostolicis, & ejusdem Ordinis statutis, aliisque quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, die 15. Julii 1650.

Decretum Sacræ Congr.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Maria Lancius Procurator Generalis dictæ Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum præinsertum pro firmiori, & stabiliori illius observatione apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Joannem Mariam Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio observantiam præinserti decreti, sub pœnis in eo contentis, auctoritate apostolica tenore præsentium injungimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmat decretum.

Clausulæ.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit,

stabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictæ Congregationis Canonicorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 27. Sep. 1662. An. VIII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Sept. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

XDVIII.

Declaratio quod Personæ, quæ a Superioribus Congregationis Missionis deputabuntur ad alias functiones dictæ Congregationis, quæ proximum spectant &c. subsint quoque locorum Ordinariis quoad functiones hujusmodi, & ea, quæ illas concernunt, & alia declarantur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PAstoralis Officii humilitati nostræ divinitus impositi sollicitudo Nos admonet, ut Congregationem virorum uberes in Ecclesia Dei bonorum operum fructus proferre jugiter satagentium statum opportunis rationibus constabilire studeamus, sicut cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. §. 1. Alias siquidem Nos nonnulla dubia super statu Congregationis Missionis in Gallia inceptæ, ac olim a Sede Apostolica approbatæ enata tollere volentes eamdem Congregationem, sicut præfertur, inceptam, & approbatam auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus cum emissione votorum simplicium castitatis, paupertatis, & obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore saluti pauperum rusticanorum applicandi, post biennium probationis facienda. Statuentes ut dicta Congregatio exempta esset a subjectione locorum Ordinariorum in omnibus, excepto quod personæ, quæ a Superioribus ejusdem Congregationis deputarentur ad missiones aliquas, subessent ipsis Ordinariis tantum quoad missiones, & ea, quæ illas concernerent; & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 22. Sept. 1655. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Nunc autem alia quoque dubia, quæ super præmissis, seu illorum occasione subori possent, opportunæ declarationis ministerio removere cupientes, ac dilectum filium Renatum Almeras modernum dictæ Congregationis Superiorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, quod personæ, quæ a Superioribus memoratæ Congregationis Missionis deputabuntur ad alias functiones ipsius Congregationis, quæ proximum spectant, quales sunt Seminaria Ecclesiasticorum externorum regere, & in illis docere. Exercitia spiritualia tam ordinandis, ut se digne ad Ordinum susceptionem disponant, quam aliis tradere; Collationes de rebus spiritualibus cum Ecclesiasticis externis in Domibus dictæ Congregationis habere, & illas dirigere; subsint quoque eisdem locorum Ordinariis, quoad functiones hujusmodi, & ea quæ illas concernunt, eo modo quo de Missionibus dictum est. Decretum confirmat.

§. 3. Præterea quod antequam aliquis per votorum pro præfata Congregatione a Nobis, ut præfertur, approbatorum emissionem in eadem Congregatione admittatur, debeat biennium probationis explevisse, auctoritate præfata tenore præsentium declaramus.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, & illis respective plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

Non

Contrariis derogat. §.5. Non obstantibus Literis Apostolicis super erectione dictæ Congegationis emanatis, in quibus caveri dicitur expresse, quod Clerici anno probationis exacto, si idonei judicati fuerint corpori ejusdem Congregationis inserantur; necnon quatenus opus sit præfatis nostris Literis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in illis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §.6. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, seu dictæ Congregationis Missionis Secretarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, seu Superioris Generalis ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat die 7. Oct. 1662. An. VIII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Octob. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDIX.

Confirmatio Brevium super divisione Provinciæ S. Joannis Baptistæ; erectionisque B. Petri de Alcantara Discalceatorum S. Francisci nuncupat.

Vide ad Constitut. 248. Sacrosancti, *hujus Pont. fol.* 14., *& ad Constit.* 308. Aliàs Nos, *fol.* 88. *ut supr. in quibus agitur de hac Controversia.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. ALiàs pro parte dilecti filii Petri Roche Commissarii Gen. Curiæ Fratrum familiæ Ultramontanæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod juxta mandatum, & decretum Capituli Generalis dicti Ordinis anno 1658. celebrati, ad instantiam Fratrum Provinciæ S. Joannis Baptistæ ejusdem Ordinis Nobis humiliter supplicatum fuerat, ut eamdem Provinciam in duas dividi concederemus.

§.1. Nosque per quasdam nostras in simili forma Brevis literas, quarum initium *Sacrosancti Apostolatus officium*, &c. facultatem faciendi divisionem hujusmodi concesseramus, cum erectione novæ Provinciæ Ordinis prædicti sub titulo B. Petri de Alcantara, & subinde ad petitionem hujus novæ Provinciæ, prævia informatione a dilecto filio Ministro Provinciali dicti Ordinis habita, per alias nostras etiam in forma Brevis literas, quæ incipiunt: *Aliàs Nos charissimi*, &c. Ministrum Provincialem, ac Custodem, & Definitores novæ Provinciæ hujusmodi deputaveramus, ac per ambas literas prædictas novem Conventus assignaveramus eidem novæ Provinciæ, quæ octo Conventuum possessionem adempta fuerat: dicta vero Provincia S. Joannis Baptistæ Conventum Murciæ, qui præcipuus inter dictos novem Conventus erat, retinuerat vigore concordati inter ambas partes facti, sed postmodum cum hujusmodi concordatum prædictis nostris literis præjudicaret, dicta nova Provincia Procuratorem ad Romanam Curiam miserat, ad effectum proponendi causam in præd. Cardinalium Congregatione, quæ utriusque partis rationibus auditis sententiam dederat ad favorem prædictæ novæ Provinciæ, dictumque concordatum nullum declaraverat, ac memoratum Conventum Murciæ eidem novæ Provinciæ restitui debere decreverat, verum prædicta Provincia Sancti Joannis Baptistæ executioni Apostolicarum in simili forma Brevis literarum super præmissis emanatarum restiterat, tandem post gravissima scandala non solum in Civitate Murciæ, sed etiam in universo Hispaniarum Regno secuta, eumdem Conventum Murciæ dd. novæ Provinciæ consignaverat, atque ita huic quidem Provinciæ novem Conventus assignati reperiebantur, in altera vero Provincia S. Joannis Baptistæ prædicta vigintiseptem Conventus remanserant.

§.2. Et in eadem expositione subjuncto, quod dicta Provincia Sancti Joannis Baptistæ novas lites pro advocandis illis, quæ per ternas nostras in forma Brevis literas stabilita sunt, movere prætendebat, id vero occasionem aliarum maximarum perturbationum, & offensionum præberet, ideoque memoratæ Cardinalium Congregationi supplicato, ut perpetuum super præmissis silentium imponeret, quo, & scandala Religioni periculosa cessarent, & fratrum quieti, & tranquillitati consuleretur, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster preces hujusmodi remisit: Cum sub die 28. Aprilis proxime præteriti, causa iterum partibus auditis, & abunde informantibus proposita Eminentissimo Franciotto referente, decreverit ad Provinciam Sancti Joannis Baptistæ spectare vigintiseptem Conventus, remanente Conventu Murciæ ad Provinciam Beati Petri de Alcantara juxta resolutionem jam factam; inhærendo huic declarationi, aliisque Decretis, & Brevibus Apostolicis super hac materia emanatis, ut tandem differentiis, controversiis, litibus, & discordiis quibuslibet finis imponatur, vigore præsentium stricte præcipit, & injungit sub poenis eo ipso incurrendis excommunicationis, privationis vocum, & officiorum, aliisque arbitrio S. C. infligendis, omnibus, & singulis dictarum Provinciarum, & totius Ordinis, Religiosis, tam Su- Decretum Sacræ Congreg.

Superioribus, quam subditis, ut juxta præmissa, necnon in reliquis juxta dispositionem prædictorum decretorum, & Brevium omnino, & absque ulla tergiversatione, etiam sub prætextu novi recursus ad hanc S. Sedem habendi pareant, & exequantur, nec directe, vel indirecte se opponere, aut contradicere præsumant.

§.3. Quapropter sub iisdem pœnis perpetuum desuper silentium imponit, & impositum esse declarat, appellationibus, prætentionibus, juribus, decretis quoque, ac Brevibus Apostolicis in contrarium forsan facientibus, cæterisque non obstantibus quibuscumque. Romæ 15. Septembris 1662.

M. Card. Ginettus.

§.4. Cum autem, sicut prædictus Petrus Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Petrum specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmatio decreti Sacræ Congreg. §.5. Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans. §.6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, & Conventus Murciæ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octob. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 11. Oct. 1662. An. VIII.

CDX.

Impositio Decimæ in Regnis Castellæ, & Legionis, ac Aragoniæ, & Valentiæ, necnon Principata Cathaloniæ, atque Insulis Balearibus, & Sardiniæ, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in eis comprehensis, in subsidium præsentium necessitatum Regis Catholici. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit, ipse pro Fidei Catholicæ, Regnorumque, & Dominiorum suorum defensione adeo gravia expensarum onera hactenus subire coactus fuerit, & ad præsens cogatur, ut non solum ordinarios, & extraordinarios Regnorum suorum redditus verum etiam omnia illorum æraria fere exhauserit, & propterea Nobis humiliter supplicari fecerit, ut super Ecclesiarum in suis Regnis Castellæ, & Legionis, ac Aragoniæ, & Valentiæ, necnon Principatu Cathaloniæ, atque Insulis Balearibus, & Sardinia, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in dictis Regnis, & Insulis comprehensis existentium peculio, Christique Domini patrimonio aliquod subsidium pro subventione præsentium necessitatum ipsius Philippi Regis Catholici, ejusque Regnorum defensione imponere de benignitate apostolica dignaremur; Nos ad ingentia ejusdem Philippi Regis, Majorumque suorum erga Religionem Catholicam, & hanc Sanctam Sedem Apostolicam merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac horum contemplatione illum specialis favore gratiæ prosequi volentes, supplicationibus dicti Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributæ Nobis a Domino Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium indicimus, & imponimus unam semel in duobus annis proximis, illorum nempe singulo pro medietate persolvendam decimam, quæ in totum ad summam octingentorum millium Ducatorum monetæ Hispaniæ ascendat, juxta ratam a Ven. Fratre Carolo Archiepiscopo Corinthi nostro, & prædictæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio taxandam omnium fructuum, redditibus, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, & distributionum quotidianarum omnium Ecclesiarum Archiepiscopalium, Episcopalium, Collegiatarum, Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam

Expositio. Supplicationibus exponentis indulget, & confirmat ut in rubric.

etiam mensarum Abbatialium, Capitularium tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam quarumcumque Collegiatarum Ecclesiarum, necnon Conventualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, administrationum etiam Fabricæ, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacen., Cistercien., Præmonstraten., ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus etiam mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum, quam mulierum, necnon Congregationum Regularium, Institutorum Regularium & Societatum, etiam Societatis Jesu, & præterea Hospitalium, necnon Beatæ Mariæ Theutonicorum, Sancti Jacobi de Spatha, Alcantara, Calatrava, de Avis, & Montesia, necnon Sancti Lazari, & aliarum quarumcumque Militiarum (exceptis tamen S. R. E. Cardinalibus, ac Fratribus Militibus Sancti Joannis Hierosolymitani, qui pro sui tutela contra Turcas, & alios Infideles, alienis auxiliis quotidie indigent, & quoad curata iis, quorum centum, quo vero ad simplicia Beneficia Ecclesiastica, iis, quorum annui redditus summam vigintiquatuor ducatorum auri de Camera non excedunt) in prædictis Regnis Castellæ, & Legionis, ac Aragoniæ, & Valentiæ, necnon Principatu Cathaloniæ, atque Insulis Balearibus, & Sardinia, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in eisdem Regnis, & Insulis comprehensis existentium, ac similiter omnium pensionum super præmissis assignatarum, & assignandarum percipiendam, & exigendam a quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, Primatibus, Præpositis, Decanis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, Beneficiatis, Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Abbatissis, Priorissis, Fratribus, Militibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis secularibus, & Regularibus, cæterisque cujuscumque dignitatis, status, & conditionis existentibus præfata quocumque jure, modo, occasione, & titulo obtinen., seu detinen., & obtenturis, necnon Œconomis, & Administratoribus perpetuis, seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia quæcumque hujusmodi jura, & bona ex quacumque causa quavis auctoritate in toto, vel in parte sibi reservata, aut concessa haben., vel habituris secularibus, & regularibus ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium prædictorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, militiis, mensis, massis, & locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata suffultis, quos omnes, (exceptis supradictis) Collectoribus, ut infra deputandis volumus decimam prædictam juxta taxam prædictam infra duos annos proximos, illorum videlicet singulo pro medietate persolvisse.

§.2. Decernentes nullas omnino exemptiones, & immunitates exactionem hujusmodi impedire posse; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Commissarios etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§.3. Ut autem supradicta diligenter, & fideliter executioni demandentur, eumdem Carolum Archiepiscopum modernum, & pro tempore existentem nostrum, & Sedis prædictæ in dictis Regnis Hispaniarum Nuncium, cujus integritas, & prudentia Nobis jam pridem cognita est, & alias Ecclesiasticas personas si ita ei videbitur ab eo nominandas, Decimæ prædictæ Collectores cum omnibus jurisdictionibus, quæ aliis hujusmodi Collectoribus de jure, vel consuetudine quomodolibet competunt auctoritate, & tenore prædictis constituimus, & deputamus, mandantes, ut quidquid inde per se, vel personas Ecclesiasticas prædictas, seu subcollectores suos exegerit, id omne, reddita prius sibi per personas deputan. hujusmodi præmissorum omnium ratione, Thesaurario ipsius Philippi Regis in supradictos, & non alios usus converten. consignari faciat, ac eidem Nuncio plenam, liberam, & amplam, ac absolutam potestatem tribuimus, taxam, & repartimentum hujusmodi pro prædicta summa octingentorum millium ducatorum monetæ Hispaniæ dumtaxat conficien. omni, & quacumque appellatione, recursu, nullitatis dictione, ac in integrum restitutione penitus remotis faciendi, & præscribendi, prædictos omnes ad Decimam hujusmodi pro rata quemlibet juxta prædictam taxam tangente persolvendam etiam per Edictum locis publicis affigen., etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis monendi, & requiren. non parentes, contumaces, & fraudantes in censuras, & pœnas prædictas incidisse declarandi, proprietates, fructus, res, & bona ipsorum apprehendendi, & usque ad satisfactionem retinendi, Contradictores, Perturbatores, Molestatores, & Rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, quovis quæsito colore præstantes cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis opportunis compellen., illasque etiam iteratis vicibus aggravan. Eos vero, qui debite satisfecerint ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi; præterea quascumque personas Ecclesiasticas in collectores, & subcollectores fide, & facultatibus Sanctio pœnalis.

bus idoneos in omnibus Civitatibus, Dioecesibus, Provinciis, & Ditionibus prædictorum Regnorum, & Principatus, & Insularum quot quot expedierit constituendi, eumque, vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi quotiescumque ei videbitur, in delinquentes, & contumaces per se, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, ac meritis poenis puniendi, modos, & formas in prædictis servan. præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forte oritura declarandi.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & locorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, quodque personis prædictis, earumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a Sede prædicta sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere, vel in specie etiam S. R. E. Camerario, & aliis Cameræ Apostolicæ Ministris, etiam ex causa onerosa quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Et solutiones Decimarum aliter quam secundum antiquam taxam, & nisi in universali Decimarum per orbem impositione fieri prohiben., necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimæ hujusmodi minime teneri, neque eis quoad præmissa, contra quemcumque locum habere declaramus, aliisque Indultis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Constitutionē Clem. V. servari mandat.

§.5. In percipien. vero Decima prescripta piæ mem. Clementis Papæ V. etiam prædecessoris nostri in Concilio Viennen. editam Constitutionem, ac præsertim, quod nec Calices, nec libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliave supellex Ecclesiastica ex causa pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique præcipimus observari, quinimo volumus, ut illius occasione Ecclesiæ, Monasteria, aliaque Pia, & Sacra Loca quæcumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in iis cultus, & solitus Altissimo famulantium, & Ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo injuncta onera, aut pia, quæ exerceri solent opera, & officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta; Quodque propter prædictam Decimæ impositionem quibuscumque juribus nostris, & Collegii S.R.E. Cardinalium, ac Cameræ nostræ Apostolicæ præfatæ, quæ ratione Ecclesiarum, ac Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum vacantium, & vacaturorum solvi debuerint in aliquo minime præjudicetur; Præsentium vero literarum exempla etiam impressa manu Notarii publici subscripta, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignata, eamdem in judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsæ originales facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Octob. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 20. Oct. 1662. An. VIII.

CDXI.

Licentia Episcopo, & Clero Civitatis Pacten., ejusque Territorii contribuendi summam 20. mil. scut. pro redemptione dictæ Civitatis, & Casalis de Surrentino, ejusque Territorii.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Apostolatus officium, quod auctore Deo gerimus, exigit, ut ad ea, quæ libertatis Ecclesiasticæ conservationem, ac personarum quarumlibet in sortem Domini vocatarum, utilitatem concernunt, libenter intendamus, & pastoralis nostræ sollicitudinis partes desuper interponamus, prout matura deliberatione adhibita, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Expositio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Ven. Frater modernus Episcopus Pacten., ac dilecti filii dignitates obtinentes, Canonici, aliique Præbendati Cathedralis Ecclesiæ, necnon Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & Clerus universus Civitatis Pacten., ejusque Territorii, quod dilectus filius Ascanius Ansalonus Dux Terræ della Montagna nuncupatæ, olim Casalis dictæ Civitatis, & ad illius territorium spectantis, eamdem Civitatem Pacten., quæ inter Civitates Regni Siciliæ quinta, nonnullisq; aliis Episcopalibus ejusdem Regni Civitatibus ordine, & majoritate Superior existit, cum Casali de Surrentino, ejusque Territorio ante aliquos annos subreptitie, ut creditur a charissimo in Chri-

Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico, qui & Siciliæ Rex existit, emit, venditio tamen Civitatis, ac Casalis de Surrentino, & Territorii hujusmodi effectum nondum habuit, quia status publici militares, & Ecclesiastici dictæ Civitatis, ejusque Territorii, & præcipue Ecclesiastici illi se se opposuerunt, cum emptionem hujusmodi Dei servitio, ac conservationi eorum libertatis, & Patriæ naturalis, necnon quieti Civium, & Incolarum tam Laicorum, quam Ecclesiasticorum adversari cognoscerent. Nam ex causa emptionis dicti Casalis della Montagna nuncupat. effectum sortita, ac venditionis Civitatis, & Casalis de Surrentino, ejusque Territorii hujusmodi longæ lites, ac dissentiones inter præfatum Ascanium Ducem, ac status dictæ Civitatis exortæ fuerunt; propter quas personæ eorumdem status, & præsertim Ecclesiasticæ dicti Ascanii Ducis odium incurrerunt. Unde si venditio hujusmodi effectum haberet, & laicis dura nec ferenda subjectio, & Ecclesiasticis plurimæ, gravesque difficultates subeundæ forent. Et licet ab eisdem statibus, ut hoc importabile jugum evitarent, diversæ viæ tentatæ, multique recursus ad memoratum Philippum Regem habiti fuerint, tandem tamen compertum est id fieri nequire nisi mediante præstatione octoginta millium, & amplius scutorum monetæ, pro quibus colligendis, status secularis, & militaris eam majorem, quam pro modo facultatum suarum poterunt, pecuniarum quantitatem contribuere parati sunt, idque mediantibus quibusdam annuis impositionibus, super quibus assensum dilecti filii Nobilis viri moderni Proregis dicti Regni Siciliæ jam obtinuerunt.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat laicorum facultates præstandæ integræ summæ pecuniarum hujusmodi non sufficiant; dicti vero Exponentes provide considerantes de re utili, & necessaria, ac non minus status Ecclesiastici, quam laicorum commodum concernente agi, & laicos, qui in Ecclesiasticorum familiis sunt, iisdem quibus Ecclesiastici exemptionibus, ac immunitatibus frui solere, dictumque statum Ecclesiasticum proinde considerabilius forsan universi Corporis membrum existere, mediantibus præfatis impositionibus usque ad summam viginti millium scutorum parium, easque pecunias quæ pro integra summæ hujusmodi præstatione necessariæ fuerint, sponte contribuere intendant, si nostra, & hujus Sanctæ Sedis sibi super hoc licentia suffragetur, & facultas: ea tamen lege, ut ejusdem summæ exactio fiat per Subcollectorem Ecclesiasticum ab omnibus exponentibus prædictis conjunctim deputandum, qui facultatem habeat exigendi ab eisdem annuatim, aut alia forma, quam congruere existimaverint cum Ecclesiasticis ad dictam contributionem obligatis, idque usque ad integram satisfactionem ejusdem summæ, quæ in redemptionem Civitatis Pacten., ac Casalis de Surrentino, & Territorii præfatorum, & non in alios usus converti debeat, nec ante solvatur, quam contractus venditionis Civitatis, & Casalis de Surrentino, & Territorii hujusmodi inter memoratum Philippum Regem, & dictum Ascanium Ducem, ut præfertur initus omnino rescissus, & dissolutus fuerit. Nobis propterea iidem Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac considerantes, quod Episcopus, & Clerus prædicti pro redemptione hujusmodi tantam necessitatem, & utilitatem adspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, & necessitates, laicorum facultatibus non suppetentibus, subsidia per Ecclesiasticos existimaverint conferenda, inhærendo Constitutioni generalis Concilii Lateranen. sub fel. rec. Alexandro Papa III. Prædecessore nostro celebrati, eisdem Exponentibus, ut ipsi usque ad memoratam summam viginti millium scutorum ad effectum præfatum, servatis tamen modo, & forma, ac conditionibus, & ordinationibus supra expressis, contribuere libere, & licite possint, & valeant, licentiam, & facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impertimur. Decretum confirmat.

§.3. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon præfatæ Cathedralis Pacten., aliarumque Ecclesiarum, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Nov. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 3. Nov. 1662. An. VIII.

Con-

CDXII.

Conceditur Procuratoribus, & Commissariis Generalibus Curiæ Ordinis Minorum de Observantia, & Reformatorum S. Francisci Cismontanæ familiæ Votum perpetuum in propriis Provinciis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ratio justitiæ exigit, ut illi, qui multos pro Religione labores sustinuerunt, congruis honoribus, & gratiis decorentur.

§.1. Volentes itaque dilectis filiis Procuratoribus, & Curiæ Commissariis Generalibus Fratrum Minorum, tam de Observantia, quam Reformatorum nuncupatorum, Ordinis S. Francisci, qui rerum usu tractandis, & procurandis in Romana Curia gravioribus Ordinis hujusmodi negotiis acquisito pollere noscuntur, & quorum opera proinde eorum Provinciis plurium utilitatis allatura esse speramus, gratiam facere specialem, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Procuratoribus, & Commissariis Curiæ Generalibus Fratrum Minorum, tam de Observantia, quam Reformatorum familię Cismontanę hujusmodi, qui sua respective Officia triennii continui spatio hactenus gesserunt, & posthac quandocumque pari spatio gesserint, ut depositis eisdem Officiis, suffragium, sive votum perpetuum consultivum, electivum, & decisivum in quibusvis Capitulis, & Congregationibus suæ quisque Provinciæ dicti Ordinis habere, & ferre, illoque uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Confirmatio Decreti.

Sanctio pœnalis. §.2. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ dilectis filiis Ministris Provincialibus, & aliis Superioribus, & Fratribus dictarum Provinciarum, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, ut memoratos Procuratores, & Commissarios Curiæ Generales præsentis gratiæ commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant, nec illos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari permittant.

Clausulas addit. §.3. Ac decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, ac Familiæ, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbus insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogat contrariis.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Decemb. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 4. Dec. 1662. An. VIII.

CDVIII.

Quod Clerici Religionis Ministrantium Infirmis in quibusvis functionibus, tam publicis, quam privatis, præferantur laicis, etiam antiquioris professionis.

Hæc consuetudo viget in omnibus Religionibus bene ordinatis, vide ad Constit. 265. Tom. 4. par. 1. fol. 124. Urbani VIII. Cum sicut.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Religionis Ministrantium Infirmis. Expositum est Sacræ Rit. Congregationi Laicos Religionis Ministrantium Infirmis præsumere sibi præcedentiam deberi a Clericis ejusdem Religionis professione posterioribus, in omnibus, & quibuscumque actibus, tam publicis, quam privatis. Propterea supplicatum fuit declarari, quænam regula inter ipsos super jure præcedendi servanda sit. S. Congr. decretum recensetur.

§.1. Et Sacra eadem Congregatio tollen-

lendis dissensionibus præsertim inter ecclesiasticas personas addicta, ac ne ob præfatas contentiones, & lites mutuæ inter eos charitatis ardor frigescat: sed omnes in ejusdem charitatis vinculo, & in humilitatis spiritu juxta suam vocationem Deo famulentur, declaravit, Clericos predictos in quibusvis actibus, & functionibus, tam publicis, quam privatis, Laicis præfatis etiam antiquioris Professionis præferendos esse. Die 19. Augusti 1662.

Joan. Episcopus Sabinensis Cardinalis Sachettus.

Confirmat, ut in rub.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus extiterit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congreg. prædictorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ae irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis Clericorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Decemb. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 6. Dec. 1662. An. VIII.

CDXIV.

Incorporatio Provinciæ, & quatuor Monasteriorum Congregationis Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum in Regno Siciliæ existen. præd. Congregationis &c. Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Militantis Ecclesiæ regimini, Divina dispositione præsidentes, ad ea sollicitis studiis intendimus, per quæ felici, prosperoque Congregationum quarumlibet ad Omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque Ecclesiæ decus, & ornamentum pie, prudenterque institutarum gubernio opportuna ratione consulitur.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, in Regno Siciliæ existant quatuor Monasteria, seu Collegia Congregationis Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, videlicet S. Jacobi Panormi, & S. Rosaliæ Agrigenti, ac S. Mariæ de Ravanusa, & S. Calogeri de Naro Agrigentin. Diœcesis unam Provinciam constituentia cum Provinciali qui a Capitulo Provinciali eorumdem Canonicorum eligitur, nec tamen a Generali Congregationis confirmatur, aut visitatur, nec ad generale Capitulum accedit: Nos animadvertentes valde expedire, ut membra caput sequantur, & in unum Corpus coalescant, ad regularem disciplinam instaurandam, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine predictam Provinciam, & singula illius memorata Monasteria, seu Collegia tenore præsentium unimus, annectimus, & incorporamus prædictæ Congregationi S. Georgii in Alga Venetiarum, itaut cum reliquis dictæ ejusdem Congregationis Monasteriis unum corpus, & unam eamdemque Congregationem constituant, & illorum Canonici, sicut antea Provinciale Capitulum celebrent de triennio in triennium, sibique Provincialem eligant, qui a Generali Congregationis confirmationem accipere, & ad Generale Capitulum accedere teneatur, ut tam ipse Provincialis, quam Monasteria prædicta, & illorum Canonici, & personæ subsint obedientiæ, visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Generalis ipsius Congregationis. Confirmat ut in rubr.

Clausulæ.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec desuper vocati, citati, & auditi fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subre-

reptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super h s a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus præmissis, ac quatenus sit opus, de jure quæsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciæ & Monasteriorum, seu Collegiorum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Provinciæ, & Monasteriis, seu Collegiis, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6. Dec. 1662. An. VII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die sexta Decembris 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDXV.

Confirmatio Erectionis Custodię Lotharingiæ Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Recollectorum, ac declaratione, quod illi competant omnia privilegia, & prærogativæ veræ Custodiæ, necnon si quæ alia a Sede Apostol. indulta fuerint. Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei momoriam.

Inter gravissimas, multiplicesque curas, quibus ex impositæ Nobis divinitus servitutis munere assidue urgemur, in eam peculiari studio incumbimus, ut felici, prosperoque Religiosorum virorum leve Christi jugum sub arctioris vitæ instituto laudabiliter portantium statui quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter consulamus. Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Bartholomæus Deumont Custos Custodiæ Lotharingiæ Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, quod alias videlicet anno 1630. dicta Custodia juxta quasdam fe: re: Gregorii Papæ XIII., & Clementis Papæ VIII. Prædecessorum nostrorum Constitutiones pro reformatione editas, ad instantiam dilectorum filiorum nobilium virorum Lotharingiæ, ac supplicantibus Fratribus Provinciæ Franciæ Parisiensis dicti Ordinis, qui juxta puritatem Regulæ ejusdem Sancti Francisci ab eis professæ vivere desiderabant in Custodiam reformatam Ordinis hujusmodi, assignatis ad hoc tribus Conventibus, erecta fuit, & ad hujus rei confirmationem subinde a rec. mem. Urbano Papa VIII. Prædecessore pariter nostro literæ in simili forma Brevis obtentæ fuerunt. Supplicatio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dilecti filii Fratres Cordigeri, & non Reformati dictæ Provinciæ reformationi hujusmodi contrarii prætendant præfatas Urbani Prædecessoris literas non esse sufficientes, & capta occasione belli, & absentiæ memoratorum Ducum ab illo tempore Fratres Recollectos dictæ Custodiæ molestare nunquam cessaverint; tandem vero pro pace habenda in Capitulo Generali Ordinis præfati anno 1658. Toleti celebrat. determinatum fuerit, ut Custos ad Nos pro obtinendis novis super confirmatione erectionis Custodiæ hujusmodi Literis Apostolicis recurreret: Nobis propterea dictus Bartholomeus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsum Bartholomeum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ec-

ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem mature considerarunt, consilio, attentis narratis, erectionem Custodiæ hujusmodi auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ipsique Custodiæ omnia privilegia, & prærogativas veræ Custodiæ, necnon si quæ alia eidem a Sancta Sede Apostolica indulta fuerunt, competere declaramus.

Confirmat Decretum.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ, & Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 11. Dec. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimaprima Decembris 1662. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CDXVI.

Confirmat Constitutionem Capituli Generalis Fratrum Congregationis Discalceatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, circa renunciationem Officiorum Commendatorum, & Rectorum Collegiorum ipsius Congregationis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

Alias pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congreg. Fratrum Discalceatorum nuncupat. Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis exposito, quod per Constitutiones dictæ Congregationis, a felic. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro confirmatas cavebatur expresse ad evitandam Constitutionum multitudinem, ne in futurum ulla Constitutio approbari, & confirmari posset, nisi in Capitulis Generalibus examinata, & approbata fuisset; quodque pro felici ejusdem Congregationis regimine edita fuerat Constitutio, ut Commendatores, & Rectores Collegiorum ipsius Congregationis in medio administrationis suorum officiorum illa in Definitorio Provinciæ renunciare, ac per epistolas pleno Definitorio directas rationem Domorum Regularium, quas renunciarent, ac Conventualium in eis degentium, necnon pecuniarum, & bonorum ad easdem spectantium reddere deberent, & in potestate Definitorii Provinciæ hujusmodi esset admittere ejusmodi resignationes, vel illas recusare, sicuti ipsi Definitorio pro Dei, & Religionis servitio expedire videretur.

§.1. Et in eadem expositione subjuncto, quod hæc Constitutio in quatuor Congregationibus generalibus successive habitis approbata fuerat, ejusque Procurator Generalis probe conscius utilitatis, quæ ex illa prædictæ Congregationi provenerat, & proveniebat, illam, ac omnia, quæ in illius observationem facta fuerant, & in posterum fierent, auctoritate Apostolica confirmari plurimum desiderabat: emanavit e Congregatione prædictorum Cardinalium decretum tenoris, qui sequitur videlicet.

Sacr. Congr. Decretum.

§.2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & pro meliori gubernio Religionis hujusmodi censuit prædictam Constitutionem, seu Statutum, juxta petita approbandam, & confirmandam esse, prout præsentium vigore approbat, & confirmat, eique Apostolicæ auctoritatis robur adiicit, suumque effectum sortiri decernit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 24. Novembris 1662.

M. Cardinalis Ginettus.

§.3. Cum autem, sicut prædictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliis-

aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus (salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Decretum præinsertum confirmat.

Clausulæ.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Congregationis Fratrum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Dec. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Dec. 1662. Pontificatus nostri anno VIII.

CDXVII.

Confirmatio Statutorum, ac Decretorum Capituli Generalis Hoscensis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Vide aliam Confirmationem Statutorum ad Constit. 437. *Urbani VIII. Tom.*6. *Par.*1. Injuncti Nobis, *pro Fratribus Discalceatis hujus Ordinis.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam evecti, illa, quæ pro felici, prosperoque Religiosorum virorum, qui e fluctibus seculi in regularis vitæ portum confugerunt, assumptoque suavi Christi jugo, Altissimi obsequiis sese devoverunt, ac uberes bonorum operum fructus per Dei gratiam proferre jugiter satagunt, regimine, & gubernio prudenter, & salubriter constituta esse noscuntur, libenter, cum id a Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio roboramus.

Sequuntur decreta.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de la Rosa Vicarius Generalis Italiæ, & Siciliæ, ac Procurator Generalis totius Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis in Conventu Hoscensi die 15. Octobris 1658. celebrato pro felici ejusdem Ordinis directione editæ fuerunt nonnullæ Constitutiones, quæ a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in nonnullis emendatæ sunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Primo. Ad pleniorem observationem Motus proprii Sanctissimi felic. recor. Urbani VIII. de expulsione Regularium delinquentium, juxta id, quod similiter decretum est in Capitulo Generali Barbastrensi, & Murciensi proxime celebratis, prædictum Generale Definitorum decrevit designare, ac designavit in singulis Provinciis totius predicti Ordinis sex Consultores, quatuor scilicet Provinciæ Definitores, & duos Definitores Generales: de quorum sex consilio Reverendissimus Magister Generalis possit in criminosos, & incorrigibiles expulsionis ferre sententiam.

Similiter autem decrevit, quod ex cujuslibet prædictorum sex Consultorum defectu illius loco duo Electores Generales pro tali Provincia succedant, habita attentione, quod dignior prius designatus minus digno intelligatur.

Secundo. Item decrevit prædictum Generale Definitorium, quod in omnibus Provinciis Patres Definitores earum, necnon Definitores, & Electores Generales, dum prædictis Officiis funguntur, omnibus exemptionibus, gratiis, & privilegiis Magistrorum de numero gaudeant.

Tertio. Item habita consideratione laborum, quos Patres Vocales ad Capitulum Generale Barbastrense, & Murciense proxime celebratum concurrentes, hyemalibus molestiis glacierum, nivium, fluminumque inundantium in itineribus sunt passi, quin & Vocales ad Capitulum Generale Barchinonense preteritum convocatos canicularibus ferventis solis caloribus summopere vexatos fuisse, idemq; semper imminere periculum, & alia maxima incommoda, ut si contingat in majori hebdomada celebrari, provide, prudenterque timeri, si Capitula Generalia futura (juxta Decretum Capituli Generalis Toletani a Sanctissimo Domino Nostro Urbano VIII. con-

confirmatum) Magiſtratu Ordinis quovis modo vacante, quatuor ſolum menſibus expletis, quocumque anni tempore accidat, celebrentur: prædictum Generale Definitorium tot calamitatibus occurrere ſatagens, earumque preſſuram evadere cupiens ſeria, & matura attentione decrevit, ut in poſterum Capit. Gen. Magiſtratu Ordinis quovis modo vacante, ſi per quatuor menſes ante feſtum Pentecoſtes id evenerit, in Vigilia dicti Feſti celebretur; Si autem ſucceſſerit mors Magiſtri Generalis, vel alia, ut prefertur, vacatio intra tempus quatuor menſium ante dictum Feſtum, tunc ad Sabbatum Dominicæ tertiæ Octobris ejuſdem anni celebratio Capituli Generalis differatur; & ſimiliter ſi Magiſtratus vacatio prædicta per quatuor menſes ante dictum Sabbatum Dominicæ tertiæ Octobris acciderit, in tali Sabbato dictæ Dominicæ celebretur; Si autem intra tempus quatuor menſium ante dictam Dominicam tertiam Octobris contigerit, tunc ad Sabbatum, ſeu Vigiliam Pentecoſtes anni immediate futuri transferatur: inſuperque decrevit prædictum Generale Definitorium propriis inhærendo Conſtitutionibus celebrationem Capitulorum Generalium ſemper in Sabbato, & non alia die fieri debere; unde in hunc finem, & pro majori declaratione præfati Decreti ſtatuit, quod ſi quatuor menſes a vacatione Generalatus expleantur ante Sabbatum Pentecoſtes, celebratio Capituli fiat in Sabbato Pentecoſtes, & ſimiliter ſi expleantur ante Dominicam tertiam Octobris, celebratio Capituli fiat in Sabbato ante Dominicam prædictam 3. Octobris; ſi vero quatuor menſes a vacatione Generalatus expleantur poſt Feſtum Pentecoſtes, intra Octavam tamen dicti Feſti, celebratio Capituli Generalis fiat in Sabbato ante Dominicam Sanctiſſimæ Trinitatis: & ſimiliter ſi prædicti quatuor menſes dictæ vacationis expleantur poſt dictam Dominicam tertiam intra Octavam tamen illius, celebratio Capituli Generalis fiat in Sabbato primo poſt dictam tertiam Dominicam Octobris, & non ultra, ne ob tam paucos dies electio Magiſtri Generalis in tam longum tempus differatur: interim autem donec Capitulum Generale, novaque electio fiat, Prior Monaſterii Barchinonenſis ſemper ſit Caput, & Vicarius Generalis totius Religionis. Prædictumque Generale Definitorium ſuppliciter, & humiliter exorat Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Papam, ut hujuſmodi Decretum pro ſua benignitate confirmare, & præfatum dicti Capituli Generalis Toletani ad ipſius inſtantiam confirmatum a Sanctiſſimo Urbano Octavo, prout huic contrariatur, derogare dignetur.

Capitulum Gen. quando celebrandum.

4. Item prædictum Generale Definitorium decrevit, ut deinceps in perpetuum celebrentur Capitula Provincialia verno tempore circumcirca Dominicam Cantate, Sabbato ante ipſam: & quod ſi in dicto tempore Magiſtratus Ordinis vacaverit, Capituli, vel Capitulorum Provincialium celebratio uſque ad aliam Dominicam Cantate, immediate futuram prorogetur; ut ſic fiat conformius Conſtitutionibus Religionis, juxta caput quartum ſecundæ diſtinctionis; ubi ſic: Religio (vacante ſcilicet quovis modo Magiſtratu Ordinis) in eodem prorſus ſtatu perſeveret, ſicut fuerat ante vacationem Magiſtratus; & in cap. 6. ejuſdem diſtinctionis de Capitulo Provinciali ſic: Celebretur tamen prædictum Capitulum in Dominica Cantate, in qua futuris temporibus in toto Ordine celebranda ſunt inviolabiliter Capitula Provincialia.

Provincialia Cap. quando celebranda.

5. Item prædictum Generale Definitorium utilitati Provinciarum Novæ Hiſpaniæ, & del Perù in Regnis Indiarum Occidentalium, earumque levamini conſulens, ne ſuperfluis ſumptibus, & contributionibus nimis graventur, decrevit, ut de cætero contributiones pro Veſtuariis Magiſtri Generalis in illis Provinciis fieri ſolitæ, minime fiant, ſed pro Veſtuariis Magiſtri Generalis, & ſumptibus Procuratoris Generalis Curiæ Rom., & negotiis, ſeu litibus in ea concurrentibus, deſignavit prædictum Generale Definitorium medietatem contributionum, quæ in illis Provinciis pro Veſtuariis ſuorum Vicariorum Generalium fiunt, juxta ea, quæ fieri conſueverunt, itaut tales contributiones in duas æquales partes dividantur, quarum una Magiſtro Generali in Hiſpaniam mittatur, altera vero ipſis Vicariis Generalibus pro ſui officii ſumptibus deſignetur.

Contributiones in 2. partes dividendæ.

6. Item cum dubitatum fuiſſet in prædicto Definitorio ad quem facultas exponendi ad Religionis gradus attineat? Poſt diſertam jurium inquiſitionem declaratum fuit, pertinere ad quodlibet Definitorium cujuslibet Provinciæ, non ſolum approbationem lecturæ, vel prædicationis ad prædictos gradus, ſed facultatem exponendi ad illos. Qui tamen expoſitio ad futuram vacantem ex Decreto Sanctiſſimi Pauli Quinti eſt prohibita, ſimiliter declaravit prædictum Generale Definitorium (ne gradus ſuſpenſi per longum tempus maneant, ex quo plura prævidentur bono regimini imminentia damna, & ne Religioſi, alias idonei, & approbati illis orbentur uſque ad Capitulum futurum) poſſe Definitorium Provinciale prædictam facultatem exponendi, quæ jure noſtrarum Conſtitutionum Definitorio Provinciali privative competit, concedere Reverendiſſ. Patri Magiſtro Generali, ut quoties graduum vacatio contigerit, poſſit exponere ad talem determinatam vacantem quemlibet ex approbatis a Definitorio Provinciali.

In vacantia graduum Definitorii provideat.

Inſuper decrevit prædictum Generale Definitorium, ita, & juxta hoc Decretum diſponendum fore caput vigeſimumquintum noſtrarum Conſtitutionum de Magiſtris, & præſentatis.

7. Item confirmavit prædictum generale definitorium, quod jam decretum eſt in Capitulis generalibus Hobrenſi, Barba-

bastrensi, & Murciensi proxime celebratis circa facultatem, & potestatem Reverendi P. Prioris Barchinonensis Magistratu vacante, tanquam Supremi Religionis Capitis: & Vicarii Generalis totius Ordinis de,& super confirmatione graduum vacantium tempore sui regiminis: & prædictum Definitorium Generale, nemine discrepante, declaravit R. P. Priorem Barchinonensem ratione sui Officii prædicti habere sufficientem facultatem, & auctoritatem ad confirmationem graduum conferendam jure nostrarum Constitutionum dist. 1. cap. 4. his verbis: Vicesque, & potestatem Magistri Generalis in omnibus, prout in his Constitutionibus sancitur, habeat.

8. Item desiderans prædictum generale Definitorium inter Patres Principatus Catalauniæ, & Aragoniæ jurgia sedare, & pacem stabilire, decrevit, ut de cætero in Capitulis Provincialibus Provinciæ Aragoniæ eligatur ad minus unus ex Patribus Principatus Cataloniæ in Definitorem Provincialem.

9. Item decrevit prædictum generale Definitorium ad perpetuam rei memoriam, quod tam Reverendissimus Magister Generalis, quam Provinciales, Commendatores, & Vicarii Generales in fine quarumcumque Literarum Patentium, & aliarum Testimonialium Scripturarum, Professionum, &c. hoc utantur stylo, ut post numeratum Domini annum, similiter scribere debeant annum fundationis Ordinis, his verbis: a fundatione nostri Ordinis Anno N.

Missa de B.V. quolibet Sabbato celebranda.

10. Item prædictum Generale Definitorium decrevit, quod in die Sabbati cujuscumque hebdomadæ post primam, secundum antiquam Religionis consuetudinem inviolabiliter celebretur Missa de Beata Virgine in omnibus Conventibus totius Ordinis juxta Ritum Romanum, cui intersint omnes Religiosi cujuscumque gradus, aut qualitatis extiterint, Reverendissimo Magistro Generali non excepto. Similiter eadem die post Completorium ad cantandum Antiphonam, Salve, in Cappella majori Ecclesiæ conveniant.

Missæ pro fratribus defunctis celebrandæ.

11. Item decrevit, quod eadem suffragia, quæ pro quolibet Religioso Professo decedente celebrantur, ac debent celebrari, eadem etiam pro Religioso Novitio defuncto celebrentur: Rursusque Commendator Domus, ubi aliquis Religiosus, tam Professus, quam Novitius obierit, quamprimum poterit, certiores faciat, tam Provincialem, quam Commendatores illius Provinciæ de Fratris morte, nomine, & officio, ut pro illo supra posita suffragia fiant, tenenturque Commendatores, seu Prælati Conventuum nomen defuncti Fratris scribere in tabella ad hunc effectum in Choro, vel in Sacristia destinata, & solito triennio retinenda, & renovanda, quam debeant Visitatores in suis Visitationibus sedulo examinare, & an suffragia pro defunctis sint integre persoluta. Similiterque audita morte Sanctiss. D. N. PP. in singulis Conventibus nostri Ordinis solemnes Exequiæ pro ipso fiant, idemque pro Eminentissimo D. Cardinali nostræ Religionis Protectore, & pro Rege, & Regina Catholicis, totius Religionis Patronis,& Fundatoribus fiat. Qualibet feria secunda (tempore Paschali excepto) post primam cantetur Missa quotidiana Defunctorum, qua finita fiat Processio secundum antiquam consuetudinem Religionis: quod si dicta feria secunda aliquo festo solemni impedita fuerit, in tertiam, vel in quartam feriam transferatur, ut in Cœremoniali nostri Ordinis notatur.

Oratio post Primam, & Completoriū facienda.

12. Item cum ex nostris Constitutionibus quotidie bis mentaliter orare teneamur, decrevit præd. Generale Definitorium tempus primæ orationi toto anni tempore dimidiam saltem horam immediatam ante primam destinare, taliter quod primo mane omnes Fratres in Choro conveniant, ubi genibus flexis, invocato Spiritu Sancto Antiphona, Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Sub tuum præsidium confungimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta. ℣. Emitte Spiritum tuum, &c. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix, &c. Salvos fac servos tuos, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium, &c. Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui Nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Defende quæsumus Domine B. Maria semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Secundo etiam conveniant post Completorium, factoque saltem post dimidiam Orationis horam signo a Prælato, Hebdomadarius incipiat Antiphonam: Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit universo mundo, ex te enim ortus est Sol Justitiæ Christus Deus Noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam: prout in Rituali Ordinis notatur: cum hoc ita decretum sit in aliis Capitulis Generalibus, nempe Bilbilitano, Hobtensi, & Burtinensi, juxta ipsum ordinanda est Constitutio ubi designat tempus Orationis immediate post Nonam, vel Matutinas.

Disciplina facienda.

13. Item præter disciplinas a Constitutione assignatas, & eas, quæ fiunt quarta, & sexta feria per totum quadragesimale tempus decrevit prædictum Generale Definitorium, quod omnibus feriis sextis per totum Adventum servari a Religione stabilitū Vespere omnes Fratres conveniant in Choro, vel Ecclesia, & ibi com-

communem faciant disciplinam, similiterque alias communes disciplinas, quibus in pluribus Conventibus nostri Ordinis magno proventu, ac ædificatione Religiosi se exercent, prædictum Generale Definitorium laudavit, & approbavit.

Jejunia.

14. Item statuit, quod præter jejunia in nostris Constitutionibus statuta, teneantur jejunare omnes Fratres (ut est laudabilis, & antiqua consuetudo Religionis) in omnibus Vigiliis Festivitatum Beatæ Mariæ Virginis, Dominæ, ac Patronæ nostræ, & in Vigilia S. nostri Petri Nolasci.

15. Item decrevit, quod Commendatores, seu Prælati Conventuum nunquam a Refectorio absint, nullumque Religiosum, tam ex Magistris, quam ex Præsentatis abesse permittant: quod si Commendator, seu Prælatus Conventus crebro, & sæpius a Refectorio absuerit, Officio, & commenda privetur.

Vestiarium.

16. Item decrevit, quod PP. Commendatores provideant Religiosis omnia necessaria ad vestitum, & ille, qui habitum integrum in triennio, & calceamenta toties, quoties opus, & requisitus fuerit, suis subditis non dederit, puniatur in Capitulo Provinciali ad arbitrium Definitorii, & sit inabilis ad cæteras Prælaturas.

Pœna delinquentium.

Præterea pro notitia cap. 16. primæ distinctionis nostrarum Constitutionum, & sequentium, ubi de levi culpa, de gravi, graviori, & gravissima culpa agitur, declaravit predictum Generale Definitorium, notari debere materiam ejusdem delicti puniendam pœnis gravis, vel levis culpæ, quod debet intelligi [ne videatur inconsequentia, vel opposito Constitutionum] juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, quæ in moralibus aggravant, vel diminuunt culpam. Et insuper decrevit debere prædictis Capitibus addi pœnas, quæ per varia capita nostrarum Constitutionum sunt dispersæ, unicuique propria adaptando, & insimul colligendo cum relatione ad proprias, & congruas Constitutiones, ut facilius in promptu habeantur, ut statutum fuit in Capitulo Generali Murciensi.

Ad triremes.

17. Item decrevit, quod Religiosus, qui ea delicta commiserit, quibus pœna in Constitutionibus declarata debetur, si triremium, de sententia juridica Generalis Magistri, aut Provincialis cum duobus Definitoribus, vel Prælatis, ad triremes mittatur, tempore pro qualitate criminis debito, non per expulsionem a Religione, sed per exspoliationem Habitus: transacto vero tempore pœnitentiæ redire tenetur ad Religionem, & se suis Prælatis præsentare, ut de ejus Conventualitate provideant, & tunc inter reliquos Fratres Habitu eodem indutus commoretur.

Redditus prohibiti.

18. Præterea decrevit, quod nemo Religiosorum possit habere redditus annuales, seu census, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, juxta Constitutionem Sanctissimi Domini Urbani VIII.: quod si secus fiat, qui habuerit, ipsis statim privetur, & applicentur Conventibus, seu Monasteriis, quibus ex vi Constitutionis pertinent.

Receptio Novitiorum.

19. Item, quia capite vigesimotertio primæ distinctionis de recipiendis ad Ordinem habetur, quod nullus recipiatur in Ordine, nisi de consensu majoris, vel sanioris partis Conventus, decrevit prædictum Generale Definitorium, quod illa clausula, vel sanioris partis, deleatur, semper enim debet recipi, qui recipiendus fuerit de consensu majoris partis.

Super transitu Religiosorum.

20. Item decrevit, quod nullus Religiosus alienæ Professionis, cujuscumque qualitatis, aut conditionis extiterit (exceptis Nobilibus Militaribus) possit ad nostram Religionem admitti, super quo taxatur Magistro Generali potestas: similiter Magistro Generali, & Procuratori Generali in Romana Curia taxatur potestas suum præbendi consensum super transitu Religiosorum ex Discalceata ad nostram primitivam, seu de Observantia Familiam. Insuper nullus ad habitum nostræ Religionis admittatur, nisi prius de genere, moribus, & vita accurata, & fide digna informatione, & aliis, quæ expresse habentur in nostris Constit. præd. cap. 23. Commendatori, & Communitati plenæ illius Conventus, ubi recipiendus est, clare constet.

Decretum Sixti V. servetur.

21. Præterea observari præcipimus Decretum ex Motu proprio Sanctissimi Domini Sixti V., quo decrevit, quod nullus ex sacrilego, aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum natus ad Habitum admittatur, neque ad Professionem in aliqua Religione: quod si secus fiat, Professionem decernit esse nullam, eosque facit inhabiles ad profitendum, & ad ascendendum ad quoscumque gradus, aut dignitates, reliquosque illegitimos ex alio thoro natos, spurios, vel naturales, etiam alias legitimatos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, & moribus diligenter cognitis, & circumstantiis universis fide dignis testimoniis; ita ut eorum receptio videatur profutura universæ Religionis commodo, & utilitati ejus, super quo in Generali, vel Provinciali Capitulo matura deliberatione habita unanimi consensu Definitorium, & Provincialis, vel Generalis ad habitum Regularem approbentur. Et nihilominus hi sic recepti ad gradus, honores, & dignitates Ordinis perpetuo sint inhabiles, nisi a S. Sede Apost. specialiter dispensetur cum eis.

22. Præterea declaramus Vicarios Conventuum non esse Prælatos cum sufficienti auctoritate, & potestate ad admittendum, vel tradendum habitum Novitiis: poterit tamen, si sit Præsidens in capite, vacante officio Commendatoris, etiamsi per suspensionem ab officio, cæteris, ut supra, concurrentibus.

23. Insuper decrevit prædictum Generale Definitorium, quod in prædicto capite 23. de recipiendis ad Ordinem, ubi dicitur, & tempus probationis assignetur ei [Novitio scilicet] a Prælato, addatur: juxta

juxta Decretum Sacrosancti Concilii Tridentini *sess.* 23., & de jure, quod est integer annus, post quem immediate Novitius est admittendus.

Professio Noviciorum.

24. Item decrevit prædictum Generale Definitorium, quod in capite vigesimoquinto prædictæ primæ distinctionis, ubi agitur de Professione, addantur hæc: & similiter irrita, & nulla sit Professio illorum, qui ex sacrilego, aut incestuoso concubitu, usque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum sunt nati, juxta motum proprium fel. rec. Sixti PP. V. quem Generale Capitulum Murciense in Ordine nostro servari decrevit. Et pariter sit irrita, & nulla professio illorum, qui in alia Regulari Religione fuerint professi, juxta Decretum Capituli Generalis Toletani a SSmo Urbano VIII. confirmatum; si vero tacita veritate, vel expressa falsitate hujusmodi defectus habentes professionem emiserint, quocumque tempore id cognoscatur, ab Ordine nostro penitus tanquam non professi expellantur.

Contra defraudantes bona redemptionis.

25. Item decrevit prædictum Generale Definitorium, quod qui bona Redemptionis in aliquo defraudasse repertus fuerit, non solum voce activa, & passiva in perpetuum privatus existat, sicut inter alias pœnas, cap. 28. primæ distinctionis nostrarum Constitutionum statuitur, sed illum sic delinquentem, nec Provincialis, nec Generalis Magister ad totales voces restituere, & ab ea pœna liberare possit, nisi solum universum Definitorium Generale unanime, & conforme, ac nemine discrepante, & nisi restitutis ablatis: & similiter decrevit, quod bona Redemptionis nequeant a Conventibus pretio comparari, nisi infra vigintiquatuor horarum spatium pretium pro emptione in communi deposito prædictæ Redemptionis reponatur; quod si contrarium per aliquos Prælatos fiat, pœnis in prædicta Constitutione assignatis subjaceant.

Insuperque declaravit prædictum Generale Definitorium, quod pœnæ Constitutionum in bona Religionis defraudantes, non tantum sunt excommunicatio, & privatio vocis activæ, & passivæ, sed etiam privatio Officiorum in tota Religione, & ita sunt in posterum intelligendæ, & infligendæ.

26. Item, quia statutum est a Capitulo Generali Toletano, & a Sanctissimo Urbano VIII. fel. rec. confirmatum, quod si quando Officium Generalatus vacaverit, & fuerit notificata vacatio Conventui Barchinonensi, non sit Prior electus, tenentur Patres Conventuales dicti Conventus intra spatium vigintiquatuor horarum Priorem de more, juxta Constitutiones eligere; Decrevit præd. Generale Definitorium, quod si secus fecerint, in Gubernium Religionis, & Officium Vicarii Gen. succedat Provincialis, aut Vicarius Prov. in Capite illius Provinciæ, ubi erit celebrandum Capitulum Generale immediate futurum. Deficiente vero Provinciali, aut prædicto Vicario Provinciali, succedat Commendator illius domus, in qua celebrandum est prædictum Capitulum. Quod similiter observandum est, si Prior Barchinonensis, tempore, quo Magistratus vacaverit, fuerit legitime impeditus gubernio Religionis, juxta Decretum Capituli Generalis Bilbilitani, a Capitulis Hoscensi, Barbastrensi, & Murciensi confirmatum.

Alternativa Magist. Gen.

27. Item cum servari debeat alternativa in Officio Magistri Generalis, taliter, quod una vice sit ex Corona Aragoniæ, & Galliæ, ac Italiæ, altera ex Corona Castellæ, inclusis Provinciis Vandaliæ, & Indiarum, ex Decreto Sanctissimi Clementis VIII. fel. rec. prædictum Generale Definitorium decrevit, quod si Magister electus objerit ante absolutionem Capituli suæ electionis, non judicetur ejus alternativa expleta, sed secundum eandem debeat de novo fieri electio Magistri Generalis: quæ prædicta alternativa debet intelligi ex filiis cujuslibet Provinciæ in ipsa inclusæ, qui in ea Professionem emiserunt, non tamen adoptati, hujuscemodi enim nullatenus tali alternativa possunt gaudere; consequenterque tempus vacationis, & Officii Vicarii Generalis minime tenetur expectari de novo, casu quo Magistratus, ut dictum est, ante absolutionem Capituli suæ electionis vacaverit.

De vacatione Magistratus.

28. Item, quia in capite secundo secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi agitur de vacatione Magistratus, non exprimitur peculiaris vacatio, quæ potest fieri per renunciationem, declaravit prædictum Generale Definitorium, posse Magistrum Generalem libere renunciare Magistratum, nulla alia causa adhibita, nec desiderata, quæ renunciatio poterit ab ipso, vel per se, vel per Procuratorem suum legitimum fieri, & erit sufficiens, si coram Provinciali, Definitoribus, & Electoribus Generalibus illius Provinciæ, in qua extiterit, fiat: dummodo Secretarius Religionis testimonio fidem faciente eam testificetur, quod testimonium Commendator Domus, vel Secretarius per Nuncium specialem ad Priorem Barchinonensem, vel ad quem Officium Vicarii Generalis spectaverit, mittat, qui statim vacationem Magistratus omnibus Fratribus domus illius, in qua fuerit, in Capitulo congregatis, prædicto testimonio fidem faciente, manifestet, & tunc ab omnibus solemniter obedientiam recipiat coram tali Nuncio de omnibus his testimonia fide digna recipiente, ut de anno, die, & hora possessionis Officii Vicarii Generalis omnibus juridice constet, quamprimumque talis Vicarius Generalis ad omnes Provincias literas suas Patentes, tam obedientiæ, quam convocationis ad Capitulum Generale celebrandum transmittat, & consequenter prædictum Generale Definitorium declaravit, quod in capitibus nostrarum Constitutionum, ubi exprimuntur causæ vacationis Magistratus, ut decessus, &c. addatur, & exprimatur hæc peculiaris, nempe renunciatio.

Insu-

Insuper declaravit prædictum Generale Definitorium (ad omnem ambiguitatem tollendam) quod tempus Gubernii Vicariatus Generalis totius Ordinis non habeat locum, nec habere possit, casu quo expleatur electionis sexennium. Præterea declaravit, quod etsi jure nostrarum Constitutionum omnes Vocales Capituli Generalis convocati judicentur ad Capitulum generale quando expletur sexennium, Magister tamen Generalis tenetur opportuno tempore illos ad celebrationem dicti Capituli convocare.

Electores. 29. Item cum præter Electores Magistri Generalis a Constitutione capite tertio 2. dist. determinatos, duo alii in qualibet Provincia designentur, & canonica electione similiter per secreta suffragia eligantur ex decreto Capituli Generalis Matritensis a subsequentibus, & diuturna consuetudine confirmato, itaut in qualibet Provincia quinque sint Electores suffragium habentes in Capitulo Generali, Provincialis nempe, & quatuor Socii, quorum duo titulo Definitorum, alii vero Electorum Generalium gaudent, decrevit prædictum Generale Definitorium, quod qui titulo Electorum designantur tantum habeant suffragium in qualificatione Vocalium ante electionem, & in electione Magistri, ac Domus Capitularis, non autem in aliis Definitoriis, servando in hoc consuetudinem Religionis a Capitulo Generali Murciensi approbatam, & confirmatam, & similiter, quia dicti Definitores, & Electores Capituli Generalis debent esse gradu Magisterii, vel Præsentaturæ insigniti, vel saltem per viginti annos a professione antiqui, ut in electione Magistri possint habere suffragium, juxta Decretum Capituli Generalis Barchinonensis a subsequentibus confirmatum, & observatum: decrevitque prædictum Generale Definitorium, quod tempus prædictæ antiquitatis viginti annorum per authenticum, & fide dignum transsumptum Professionis constare debet.

Procurator Rom. Curiæ. 30. Item cum quicumque in Romana Curia in Officio Procuratoris Generali strenue, & cum approbatione communi per quinquennium se gesserit, si fuerit Magister, vocem habeat in Capitulo Generali proxime immediate futuro, ex decreto Capituli Generalis Toletani a Sanctissimo Urbano VIII. confirmato, decrevit prædictum Generale Definitorium, quod talis Procurator Generalis non tantum habeat vocem in electionibus Capituli Generalis, verum etiam in omnibus Definitoriis illas subsequentibus usque ad absolutionem Capituli, cum præcedentia loci ad omnes Definitores Generales.

Subrogatio. 31. Item prædictum Generale Definitorium approbavit, ac confirmavit Statutum Capituli Generalis Murciensis, quo decernitur, quod in electione Definitoris, vel Electoris Generalis, loco illius, qui morte, vel impedimento legitimo Capitulo Generali assistere nequit, quæ a Definitoribus Provinciæ simul cum Provinciali fieri debet, vocem habeat Magister Generalis, si præsens fuerit, minime tamen Vicarius Generalis Ordinis, qui loco Magistri succedit.

Vicarius Capituli Generalis. 32. Item approbavit, & confirmavit prædictum Generale Definitorium Statutum Capituli Generalis Murciensis, quo decernitur, quod non possit Vicarius Generalis, aut Provincialis a die vacationis Magistratus usque ad novam Magistri Generalis electionem, aliquem Electorem voce activa privare: quod etiam extendit hoc prædictum Generale Definitorium ad vocem passivam, quod si ratione alicujus delicti, vel ob alias causas sit inhabilis, & suffragandi actione ex jure communi, vel nostrarum Constitutionum careat, a Capitulo Generali ante electionem accuratim scrutetur, ac decidatur.

33. Item cum omnes Vocales Capituli Generalis, ut moris est, die immediate præcedenti ad diem electionis in Conventu designato ad illam conveniant, ibi a Præside Ordinis, & Capituli benigne suscipiantur, & Vicarius Capituli nominetur, qui jurisdictionem ordinariam super omnes Capitulares, & alios Fratres ad Capitulum concurrentes exercebit: talis autem Vicarius est eligendus ex Capitularibus illius Provinciæ, in qua celebratur Capitulum Generale, vir providus, religiosus, pacificus, & virtute præditus: quam consuetudinem approbavit, ac confirmavit Capitulum Generale Murciense, & hoc prædictum Generale Definitorium decrevit servari.

Eadem autem die, qua prædicti Vocales ad electionem in præfato Conventu convenerint, vespertina sessione congregata, & facta commemoratione pro Sanctissimo Domino Nostro Papa, & felici statu Ecclesiæ, & pro Rege, pro Benefactoribus Ordinis, & Captivis Christianis vivis, atque defunctis, prout in capite decimoseptimo de Capitulo quotidiano in nostris Constitutionibus statuitur, Præses electionis brevem & piam orationem habeat, qua Patres Electores de fine conventionis moneat, simulque ad electionem novi Magistri Generalis recte, legitime, & canonice peragendam hortetur, virtutesque, prudentiam, & doctrinam viro eligendo necessarias exponat, qua peracta, ad examen Vocalium procedat, & primo præcipiat, idque secundo, & tertio moneat, ut si quis aliquem Vocalium in Definitorio aliquo impedimento legitimo, vel censura ecclesiastica innodatum (ratione cujus in electione non habeat suffragium) assistere sciverit, continuo manifestet.

De electione Magistri Generalis. Quod si aliquis reperiatur, & sufficienter probetur, tale pati impedimentum, a Definitorio declaretur, & de Capitulo ejiciatur: ita ut in hac sessione omnes Vocales examinentur, & ad futuram die sequenti electionem certo numero statuantur. Et die sequenti primo mane ad auroram omnes Vocales legitima voce ad electionem pridie designati in loco Capitulari conveniant,

niant, ibique celebretur Missa Spiritus Sancti, & Concio literalis Latino idiomate ad Electores habeatur, exhortando eos ad rectam, & bono communi utilem electionem: qua finita omnes flexis genibus: Hymnum, Veni creator Spiritus, cantent, & Præses surgens, dicat: Emitte Spiritum tuum &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus, Deus qui corda fidelium, &c. & sic ad electionem procedatur forma juris juxta nostras Constitutiones servata. Magister Generalis post electionem usquedum a Sancta Sede confirmationem sui Officii obtineat, eo fungatur, non tantum sub titulo Vicarii Generalis, ut in Constitutionibus sancitur, sed etiam Generalis electi, ex consuetudine Religionis ab hoc prædicto Generali Definitorio approbata, & confirmata.

Electio fit per excessum.

34. Circa, quod est observandum, ut omnis ambigendi locus relegetur, quod si numerus suffragiorum sit impar, verbi gratia, si Vocales sint viginti, & novem (qui numerus ex duabus partibus inæqualibus constat, quarum una habet quindecim, alia vero quatuordecim) ille qui habuerit quindecim suffragia, dummodo non sit ex numero eligentium, sit legitime electus, si vero ex numero illorum sit, indigeat alio suffragio ultra quindecim, ut suum ipsius suffragium sibi profuisse non æstimetur: si autem in aliqua schedula, seu suffragio Scrutatores reperiant aliquam subscriptionem, vel signum, aut chirographum, ratione cujus deveniant in cognitionem eligentis, vel si nihil reperiant scriptum, aut si aliquod suffragium in favorem alicujus inepti reperiant, non propterea aliquod præjudicium electioni sequatur; sed talis schedula subscripta, & signata, velut alba, in favorem inepti separetur, & pro suffragio cassato reputetur, & habeatur, ac postea cum cæteris comburatur, quæ omnia servari debent, tam in prædicta electione Magistri, quam in electione Provincialis, ac in omni electione canonice facienda.

35. Item prædictum Generale Definitorium confirmavit, quod Capitulum Generale Murciense erga Officium Magistri Generalis decrevit nempe quod Magister Generalis in toto Ordine Generalem habeat potestatem: illam (inquam) quæ jure Superioribus cujuslibet Religionis est concessa, & in posterum concedenda ad omnia, ad quæ ex nostris Constitutionibus non limitatur, curamque præcipuam totius Ordinis, & administrationem gerat. Unde per se solum eam potestatem in toto Ordine habeat in omnibus, & singulis, quam Provincialis in sua Provincia, & Commendator in sua Commenda. Insuper eam, quæ ad rationem sui Officii ex jure communi, ex privilegio, vel ex nostris Constitutionibus ad eum spectat, verumtamen in inferiorum Prælatorum Ministerio non se immisceat, nisi vel ob eorumdem defectum, vel cum prudentia, & quando ratio id postulaverit semper tamen inferiores illi parere teneantur, & licet capite trigesimoprimo, de modificatione pœnarum primæ distinctionis nostrarum Constitutionum detur facultas Magistro Generali dispensandi, & mitigandi in pœnis a Constitutionibus taxatis, monetur tamen ne libere, & cum facilitate dispenset, nisi transacta jam majori parte pœnitentiæ, prævisisque in pœnitentibus manifestis, & evidentibus signis doloris, & correctionis.

Juramentum a Generali præstandum.

In juramento a Generali electo post electionem juxta nostras Constitutiones præstando, debet addi, & jurare tenetur, se observaturum capita Concordiæ initæ cum familia Discalceata circa Ministerium Redemptionis, prout in ea continetur. Poterit Magister Generalis præsidere in Capitulis Provincialibus per se ipsum, vel per Vicarium suum idoneum, & prudentem ad hoc specialiter deputatum: & primam vocem habebit, tam ipse, quam ejus Vicarius in omnibus electionibus, Ordinationibus, & Definitoriis usque ad absolutionem Capituli.

Tempore electionis poterit Magister Generalis convocare ad celebrationem Capituli Provincialis omnes Vocales illius Provinciæ, literis convocatoriis, eas mittendo immediate Provinciali illius Provinciæ, ut eas continuo manifestet, & notas faciat in Capitulo pleno Conventus, ubi præsens extiterit; deinde eas ad omnes alios suis consuetis Itinerariis mittat. Si autem Magister Generalis, aut ejus Vicarius fuerit in aliquo Conventu illius Provinciæ, ubi tale Capitulum celebrandum sit, prius prædictæ literæ convocatoriæ notæ fiant prædicto Conventui in Capitulo pleno, & postea eas mittat, ut dictum est.

Quod si Magister Generalis hujusmodi literas convocatorias opportuno tempore (duobus inquam mensibus immediatis ante complementum triennii) non miserit, Provincialis, & in ejus defectu Vicarius Provincialis suis literis ad celebrationem dicti Capituli convocare poterit: eadem facultas Vicario Magistri in Præsidem Capituli nominato conceditur. Magister Generalis in concurrentia Capitulorum Provincialium, potest quodlibet eorum per quadraginta dies a complemento triennii quocumque anni tempore anteponere, vel postponere, & uni, & alteri interesse possit ex Decreto Sanctissimi fel. recor. Clementis VIII. & nova declaratione S. C. R. sub die duodecima Decembris, de anno millesimo sexcentesimo quadragesimoquinto, quæ facultas etiam conceditur ab hoc Generali Definitorio, Decretum Capituli Generalis Murciensis confirmando, prædicto Magistro Generali, quamvis non sit concurrentia Capitulorum, sed unicum tantum celebrandum, si alias expedire visum fuerit.

36. Ad Magistrum pertinebit (juxta Constitutiones nostras de instructione Officiorum) in electionibus, si præsens fuerit, Electores dirigere, modeste, charitative, & religiose eos monendo, hortando, & instruendo, imo etiam suaviter suadendo ad eligendam personam digniorem, & magis

& magis idoneam Capituli, ipsius virtutes veras, & regimini necessarias ostendendo, & quando obfuerit, per literas ad Capitulum, & Electores Missas dirigendo.

37. Quamvis jure nostrarum Constitutionum capite quinto distinctionis secundæ Magister Generalis possit dispensare cum Fratribus in nonnullis rebus aliquas gratias, & exemptiones (absque tamen aliorum præjudicio) Religiosis concedere, nihilominus tamen, ut cessent multa inconvenientia, quę experientia magna esse comprobavit, Magistro Generali imposterum illas concedere, vel cum fratribus dispensare minime licebit: Exposuit tamen prædictum Generale Definitorium, quod poterit Generalis Magister declarare, aliquos frui exemptionibus (quas reales appellat prædictum Generale Definitorium illis scilicet, quibus ratione Officii, gradus, & antiquitatis quadraginta annorum in Religione gaudere possunt, tam juxta Constitutiones nostras, quam Sanctæ Sedis Decreta, necnon & aliorum Capitulorum Generalium.

38. Item decrevit, quod jus eligendi Provincialem devolvatur in Magistrum Generalem, casu quo Electores in Capitulo Congregati infra tres dies a primo Electionis inclusive de persona eligenda non convenerint, vel electio non fuerit facta juxta Sacros Canones, Constitutiones, & Decreta Ordinis, jureque cassanda venerit; tunc namque Magister eliget Provincialem. In cæteris vero electionibus forma nostrarum Constitutionum observari debet.

39. Item decrevit, quod qui fuerunt MagistriGenerales habeant immediationem Magistro Successori, & locum immediatum Prælatis, & in omnibus Congregationibus, tam Generalibus, quam Provincialibus cujuscumque Provinciæ, in qua tempore convocationis interfuerint, Vocem, & Votum electivum; & decisivum habeant, sicut quilibet ex Definitoribus, & Electoribus dictæ Congregationis, similiterque locum immediatum Præsidi.

40. Item confirmavit, & approbavit prædictum Generale Definitorium, quod Capitulum Generale Toletanum statuit erga Vicarios Generales Indiarum, nempe quod prædicti Vicarii Generales Indiarum justis de causis possunt a Magistro Ordinis ab Officio amoveri, eorumque regimen debet esse juxta nostrarum Constitutionum tenorem, qui nequeunt nominare Commissarios Generales in eorum absentia, præcipue in illis Provinciis, in quibus saltem ad unum Conventum pervenerint; sed liberum relinquant regimen Patribus Provincialibus, nisi ob casum, & gravem causam ad Visitationes moventem, quam per propriam personam facere nequeant. Quod si secus fiant prædictæ nominationes, nullius valoris, aut roboris esse declaramus. Et quamvis tales Vicarii Generales possint confirmare, & annullare Capitula Provincialia, & Provincialium electiones, minime tamen poterunt eas annullare, similiterque nec suspendere, vel privare Provinciales valebunt, nisi prius legitima causa juridice acta, & conclusa. Et in casu quo pœna suspensionis debeat imponi, prius duos Prælatos, seu Definitores consulere tenentur, ad privationem vero quatuor. Hac forma sententia producta a Vicario Generali, & quatuor Definitoribus, habeat effectum exequutivum qualibet appellatione interposita: & cum eisdem Definitoribus, quorum consensu Provincialem privaverit, vel suspenderit, Vicarium eligat Provincialem, ne Provincia maneat orbata gubernio.

41. Præterea prædictum Generale Definitorium approbavit, & confirmavit, quod Capitulum Generale Murciense decrevit erga prædictos Vicarios Generales Indiarum, nempe quod deficiente Provinciali absque nominatione Vicarii Provincialis, non poterunt hujusmodi Vicarii Generales Indiarum nominare Vicarium Provincialem, sed succedere debet in officio Commendator domus, ubi celebrandum est Provinciale Capitulum immediate futurum, & suo Ordine Definitores. Tamen prædicti Vicarii Generales Indiarum ratione sui officii habent jus convocandi ad celebrationem Capituli Provincialis, in eoque præsidendi. Habent similiter suffragium in omnibus electionibus, & Definitoriis intra Capitulum. Vicarii Gen. Indiarum.

42. Insuper prædictum Generale Definitorium approbavit, & confirmavit Decreta Capituli Generalis Toletani, quo decernitur, quod prædicti Vicarii Generales Indiarum non possunt vocare Religiosos Doctrinarios ad visitationem extra suam doctrinam, nec ipsi ita vocati tenentur adire, sed in eisdem doctrinis debent Vicarii Generales, vel eorum Visitatores ab ipsis rationem petere. Nec extra prædictam Visitationem possunt Doctrinarios privare, sed hoc fiat præcedente causa legitima, qua juxta nostras Constitutiones privantur Commendatores suis Commendis. Et nunquam Doctrinarii a sua doctrina decedant, usque dum successor advenerit. Doctrinarii.

43. Præterea cum ex nostris Constitutionibus capite decimotertio secundæ distinctionis electio Procuratoris Generalis Ordinis in CuriaRomana pertineat ad Magistrum Generalem, & Generale Capitulum, hoc prædictum Generale Definitorium confirmavit, quod Generale Capitulum Murciense decrevit, nempe, quod si post factam nominationem prædictam tale Officium Procuratoris Generalis Ordinis in Curia Romana vacaverit per mortem, renunciationem, privationem, vel per aliam legitimam causam, jus nominandi de novo penes prædictum Magistrum Generalem maneat.

44. Insuper confirmat prædictum Generale Definitorium, quod Capitulum Generale Murciense decrevit; videlicet, Præcedentia Pcocuratoris Generalis.

quod

quod talis Procurator Generalis, qui ad Magisterium ascenderit ex præsentatura juxta Decretum Capituli Generalis Toletani confirmatum a Sanctissimo D. Urbano VIII. opinionem habeat loci inter Magistros suæ Provinciæ cum præcedentia ad omnes, qui in ea ad talem gradum fuerint promoti post ipsum, si alias habet conditiones, & requisita juxta Constitutiones, & decreta Apostolica ad Magisterium de justitia obtinendum: quod si prædictis qualitatibus fuerit destitutus, locum habeat immediatum omnibus Magistris del numero. Denique si fuerit Magister, & juxta superius dicta suffragatus fuerit in Capitulo Generali, gratiis, & exemptionibus eorum, qui fuerunt Provinciales, gaudebit, absque optione tamen præcedentiæ ad eos, qui postea fuerint Provinciales.

45. Preterea prædictum Generale Definitorium statuit, quod eadem forma, ac prædictus Procurator Generalis in Curia Regia ad negotia, quæ in ipsa sese obtulerint, peragenda, approbans in hoc, & confirmans antiquam Religionis consuetudinem.

46. Insuper approbavit, & confirmavit, quod statutum fuit in Capitulo Generali Murciensi, nempe, quod triennium Officii Provincialis computari debet secundum annos Ecclesiasticos, non juxta Solares, itaut regulariter celebretur Capitulum, & electio novi Provincialis Sabbato ante Dominicam, in qua per triennium ante fuerat celebratum Capitulum. Et similiter confirmavit decretum Capituli Generalis Murciensis, quo statuitur, quod si per duos menses ante complementum triennii non fuerint literæ convocatoriæ Magistri Generalis notificatæ Provinciali Provinciæ, in qua celebrandum est Capitulum, poterit Provincialis literas suas convocatorias expedire, secus tamen si a Magistro fuerint expeditæ. Quod si nullæ fuerint notoriæ factæ Vocalibus, sciant se esse convocatos ad celebrationem Capituli, die quo juxta dicta supra expletur triennium. In Capitulo autem Provinciali primam vocem habeat Magister Generalis, vel ille, qui ejus loco præsidet. Præter assignatos a Constitutione etiam habent vocem in Capitulo Definitores Provinciæ, dummodo sint per triginta annos a Professione antiqui, & Procuratores Generales cujuslibet Provinciæ, juxta Decreta plurimorum Capitulorum Generalium, quæ a Capitulo Generali Murciensi, & ab hoc approbata, & firmata sunt.

47. Præterea approbavit, & confirmavit prædictum Generale Definitorium declarationem Capituli Generalis Murciensis erga caput sextum secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi agitur de nominatione Vicarii Capituli Provincialis: decernit igitur, quod ubi dicitur, Provincialis nominet in Vicarium Capituli, ponatur: Præses Capituli; sub hoc enim titulo declaratur jus Præsidentis Capituli, modo Magister Generalis sit, ejusque Vicarius, aut Provincialis, seu quicumque præfuerit dicto Capitulo: idemque servandum est in aliis Capitibus, & ubicumque agitur de Provinciali tamquam Præside, ut omnino tollatur æquivocatio.

48. Insuper decrevit prædictum Generale Definitorium approbans, & confirmans statuta Capituli Generalis Murciensis, quod ad electionem Capituli Provincialis omnes Vocales conveniant in Domo assignata celebrationi Capituli in Vigilia Dominicæ Cantate, vel alterius Dominicæ a convocatione Capituli designatæ (semper enim electiones in Sabbatho fieri debent) nullusque locum Capitularem ingrediatur usquedum ad sonitum Campanæ omnes vocentur. Et eodem die, ut consuetudinis est in Religione nostra, vespertina sessione omnes congregentur, & a Præside Capituli aliqua brevi, & eleganti Oratione finis, ad quem convenerint, proponatur, simulque eos ad electionem novi Provincialis exhortetur. Deinde referat omnes Fratres per triennium defunctos in illa Provincia: & statim surgat, & dicatur De profundis, &c. ut habetur in Constitutionibus. Deinde ad qualificationem, seu examen eorum, qui in tali electione vocem, & suffragium habent, procedatur, fiatque legitima, & canonica regulatio omnium juxta formam Constitutionum. Die sequenti ad auroram omnes Vocales simul ingrediantur Capitulum, & servetur forma Electionis, prout in Constitutionibus. Et Electores Capituli Provincialis teneantur intra triduum convenire in persona eligenda, & legitime, ac canonice eligere Provincialem, alias devolvitur jus ad Magistrum Generalem. In aliis vero Electionibus omnes præstent suffragia juxta formam nostrarum Constitutionum. Et si persona electa in Provincialem fuerit absens a Provincia, poterit Magister Generalis de consilio Definitorum nominare Vicarium Provincialem ad regimen Provinciæ cum omnimoda facultate a nostris Constitutionibus Vicariis Provincialibus concessa, quem Provincialis electus revocare non poterit, nec de novo alterum nominare, usquedum suam Provinciam ingrediatur. Post electionem vero Provincialis, & juramentum ab ipso præstitum omnes e Capitulo processionaliter egrediantur, & ad Ecclesiam procedant, cantando Hymnum: *Te Deum &c.* ubi prostratus Provincialis electus accipiat Benedictionem a Præside, ut ex antiqua Religionis consuetudine fit juxta formam in capite quarto secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum de electione Magistri contentam: Magister autem Generalis tenetur confirmare electionem Provincialis canonice, & juxta formam nostrarum Constitutionum factam: quod si renuerit illam confirmare, causas, & defectus canonicos erga electionem, vel personam electam manifestare debet. Provincia autem Galliæ, & Italiæ infra tempus quatuor mensium tenentur præsentare coram Magistro Gene-

Electio Capituli Prov.

Generali electionem sui Provincialis: quod si infra dictum tempus eam non præsentaverint, electio sit irrita, & nulla.

49. Insuper decrevit prædictum Generale Definitorium, approbans, & confirmans, quod statutum fuit in prædicto Capitulo Generali Murciensi, nempe quod Provincialis per tempus duorum mensium ante celebrationem Capituli Provincialis non potest privare Commendatores sua Commenda, licet possit eos ab Officio suspendere usque ad celebrationem Capituli, in quo votum, & suffragium habebunt. Et quamvis Provincialis jure Constitutionum in aliquibus casibus possit nominare Vicarium Provincialem; in hoc tamen jure, & facultate non succedit Vicarius Provincialis, etiamsi sit in capite; sed casu quo morte, vel alio titulo defecerit, in Officio Vicarii Provincialis succedent, qui jure nostrarum Constitutionum sunt vocati, Provincialatu vacante, absque substitutione Vicarii Provincialis, usquedum Magister Generalis, si fieri potest, erga hoc provideat: Et si Provincialem mori contingat absque eo, quod nominet Vicarium Provincialem in sui Officii Successorem, tunc temporis sit in libera potestate Magistri Generalis confirmare in Vicarium Provincialem talis Provinciæ Commendatorem Domus futuri Capituli Provincialis: vel si maluerit, alium ex Patribus ad dictum Officium ab ipsis Constitutionibus vocatis, vel quemvis alium ex tota ipsa Provincia pro suo arbitrio, prout melius judicaverit. Et in hoc sensu sunt legitime intelligenda verba Constitutionis capite septimo secundæ distinctionis, ubi sic: Vel in eo casu Magister provideat in illa Provincia quisquis debeat esse Vicarius Provincialis: hujuscemodi autem declaravit prædicta verba Capitulum Generale Bilbilitanum; in hac autem facultate nominandi Vicarium Provincialem minime succedit Vicarius Generalis totius Religionis, cum illi non liceat Electores mutare, aut novos eligere ad Capitulum Generale.

Quod si tempore sui Gubernii Provincialem mori contingat absque nominatione Vicarii Provincialis, sit ejus successor Commendator domus ubi celebrandum est Capitulum Provinciale immediate futurum, & suo ordine Definitores, juxta nostras Constitutiones.

50. Præterea decrevit prædictum Generale Definitorium, similiter confirmans statuta prædicti Capituli Generalis Murciensis, quod si Provincialatus vacaverit per renunciationem, non poterit Provincialis renuncians successorem Vicarium Provincialem nominare, sed succedant in tali Officio a Constitutione nominati eo ordine, quo Decreto antecedenti est exposita, & declarata Constitutio. Si autem Provincialis fuerit impeditus bello, peste, vel alio titulo, taliter quod per se, neque majorem partem Provinciæ gubernet, neque pro illa Vicarium Provincialem instituerit, qui ejus loco moderamini Provinciæ invigilet, poterit Magister Vicarium Provincialem nominare cum omnimoda facultate, juxta nostras Constitutiones, usquedum Provincialis gubernio sit expeditus, vel Vicarium suum instituat. Et quamvis Provincialis infirmitate, absentia, vel alio titulo impeditus Vicarium Provincialem juxta facultatem nostrarum Constitutionum instituerit, non intelligatur talem Vicarium morte succedere in Officio, nisi id specialiter in literis patentibus declaretur; sed tunc temporis succedant nominati a Constitutionibus, veluti si nullum Vicarium, & Successorem nominasset.

51. Insuper decrevit prædictum Generale Definitorium, quod Provinciali, vel Vicario Provinciali in capite omnino impedito, tempore quoad Capituli Generalis celebrationem instante, ejus loco vocem habebit in electione Magistri Generalis (ne sua Provincia hoc suffragio orbetur) qui jure nostrarum Constitutionum ad Officium Vicarii Provincialis est vocatus, nempe Commendator Domus, ubi celebrandum est Capitulum Provinciale proxime futurum, vel Definitores Provinciæ, servato ordine antiquitatis.

52. Præterea cum ex antiqua Ordinis consuetudine a pluribus Capitulis Generalibus approbata, & stabilita fiat electio quatuor sociorum Provincialis ad suffragandum in Capitulo Generali, duorum nempe Definitorum Generalium, & duorum Electorum, prædictum Generale Definitorium decrevit confirmare Decretum Capituli Generalis Murciensis, quod in Capite octavo secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi dicitur: Fiat electio duorum sociorum ipsius Provincialis, dicatur: quatuor sociorum, quæ electio fieri non poterit ex eis, qui fuerunt electi ad tale munus in Capitulo Provinciali proxime antecedenti, nempe sub eodem titulo: Quapropter qui fuerunt Definitores, poterunt eligi in Electores, & e contra.

53. Præterea prædictum Generale Definitorium confirmans similiter statuta præfati Capituli Generalis Murciensis, decrevit, quod si quis Definitor, aut Elector Generalis infirmari contigerit, aut si aliqua causa impeditus instante tempore celebrationis Capituli Generalis, poterit Provincialis simul cum Definitoribus Provinciæ alterum illius loco eligere, & substituere, etiamsi legitime impeditus titulum suum renunciare noluerit, absque præjudicio tamen juris ejus, si forte impedimentum cessaverit, & Capitulo interfuerit; tunc enim jure suo gaudebit, ac electioni suffragabitur, etiamsi alter ejus loco electus fuerit, & si Definitor Provinciæ ab illa abfuerit, & Definitorium pro emergentibus casibus sit congregandum, poterit Provincialis simul cum aliis Definitoribus loco absentis alium eligere, qui vocem in Definitoriis habeat.

54. Insuper prædictum Generale Definitorium simul confirmans statuta Capituli

pituli

pituli Generalis Murciensis decrevit, quod in Definitorio Capituli Provincialis faciendo post electionem Provincialis, conveniant Præsidens Capituli Provincialis electus, & Provincialis, vel Vicarius Provincialis absolutus, & quatuor Definitores Provinciæ, qui omnes suffragium decisivum habent, tam in electionibus commendatorum, quam in decretis, quæ pro bono regimine, & Provinciæ reformatione statuuntur, & Provincialis absolutus, vel Vicarius Provincialis, habebit locum immediatum a dextris Præsidentis in omnibus Congregationibus, usque ad absolutionem Capituli Provincialis: Absolutus, vel ejus Vicarius, seu Visitator manifestare debet Definitorio, quæ ex suis Visitationibus reformatione digna repererit, & notaverit, ut præserventur, vel corrigantur, prout convenientius visum fuerit: Causasque omnes, Informationes, & Processus in suo triennio formatos teneantur Successori tradere, minimeque comburantur, nisi eorum fratrum, qui e vita jam decesserint: Quapropter in capite nono secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum consequenter delenda sunt verba illa, nempe: Provincialis de Consilio Definitorum, &c., & ponenda sunt hæc: Præsidens Capituli de Consilio Provincialis electi, & absoluti, ac Definitorum, &c.: & similiter in capite decimo ejusdem secundæ distinctionis delenda sunt verba illa: Postea solus Provincialis, &c., & ponenda hæc: postea solus Præsidens Capituli cum Provinciali electo, Provinciali absoluto, & Definitoribus, &c.

55. Insuper decrevit prædictum Generale Definitorium, quod si in his, quæ a Definitorio Provinciali decernuntur, suffragia sint divisa in partes æquales, prævalebit pars, cum qua concordaverit Præses: quod etiam est observandum, quoties in decursu triennii ad aliquid decernendũ Definitores convenerint. In electionibus vero jus nostrarum Constitutionum, ut rite, & canonice fiant, servari debet. Si tamen Definitores congregati infra tres dies (a prima electionis inclusive) de persona eligenda non convenerit, devolvitur in Magistrum Generalem jus eligendi, sicut in electione Provincialis.

56. Insuper decrevit prædictum Generale Definitorium, quod in capite undecimo secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi dicitur: quarta die conveniant omnes in Capitulo, addantur sequentia: Ibique a Præside Capituli fiat oratio brevis spiritualis, & devota, qua Prælatos electos in munere sui Officii exequendo instruat, dirigat, & moneat. Deinde a Secretario Capituli coram omnibus legantur Decreta, & Statuta a Definitorio pro majori reformatione ejusdem Provinciæ. Ulterius etiam legatur Edictum S. Inquisitionis, ut est laudata, & antiqua consuetudo nostræ Religionis: quibus præpositis, debet continuari prædictum caput, prout in dictis nostris Constitutionibus continetur.

57. Præterea cum in Provincia Aragoniæ circa electionem Provincialis servetur alternativa, ita, & taliter, quod una vice Provincialis sit ex Catalonia, vel Sardinia, & alia vice Regni Aragoniæ, & Navarræ, dummodo reperiatur persona habilis, & requisita habens ad Officium Provincialis exercendum, & prædicta alternativa debeat pensari non penes originem, & filiationem naturalem, sed juxta Professionem in Religione, taliter, quod qui Professionem emiserit in Conventibus Aragoniæ, vel Navarræ, poterit esse Provincialis in ejus alternativa, etiamsi natione sit Catalanus, & e contra, ut quælibet occasio præjudicii cuicumque parti penitus evellatur, prædictum Generale Definitorium decrevit, ac declaravit, quod nemini faveat adoptio in Conventibus alicujus partis, ut illius alternativa gaudere possit, sed semper debet pensari penes filiationem ex reali professione emissa.

58. Insuper prædictum Generale Capitulum decrevit, quod Patres Redemptores Provinciarum Aragoniæ, & Valentiæ, dum ad redimendos captivos proficiscuntur, simul eant, neque aliqua inter eos sit Superioritas, sed unusquisque suum librum deferat, ubi adnotabit omnia ad Redemptionis munus pertinentia, sicut Redemptores Castellæ, & Vandaliæ faciunt.

59. Præterea approbavit, & confirmavit, quod statutum est in Capitulo Generali Murciensi, nempe, quod in qualibet Provincia expensis ipsius Carceres designentur, in quibus Religiosi pro qualitate criminum detineantur, & purgentur, & juxta decretum Sanctissimi Urbani VIII. eorum incorrigibilitas tentetur: pro expensis vero tam ad formationem Carcerum, quam ad sustentationem delinquentium Conventus Provinciæ juxta dispositionem Provincialis contribuant, & in qualibet Provincia depositum instituatur, in quo Processus, & causæ Religiosorum serventur, simulque formetur liber, in quo notentur causæ, seu Processus, itaut registrati maneant, quæ omnia Provinciales Successoribus suis fideliter conferre tenentur.

60. Præterea prædictum Generale Definitorium approbavit, & confirmavit declarationem factam a Capitulo Generali Murciensi erga Consiliarios Conventuum, de quo agitur capite decimotertio secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, videlicet: quod in quolibet Conventu Ordinis omnes Patres graduati debent esse Consiliarii, & ut tales teneri, & ubi non fuerint tres graduati, Vicarius Conventus, Prædicator Conventualis, & Magister Novitiorum sunt in Consilium vocandi: semper tamen supponendum est, quod si aliquis graduatus ibi degerit, vocandus sit, & juxta hunc tenorem prædictum caput ordinari debet.

61. Præterea approbavit, & confir-

firmavit prædictum Generale Definitorium, quod statutum est a Capitulo Generali Murciensi erga dispositionem capitis quintidecimi secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, consequenter ad alia statuta supra posita, nempe quod prædictum caput tenore hujuscemodi incipiat: Commendatores domorum Ordinis nostri a Præsidenti Capituli, ac Provinciali electo, & Provinciali absoluto, simulque cum quatuor Definitoribus Provinciæ designentur, & provideantur.

Vestiarium. 62. Insuper approbavit, & confirmavit Decretum Capituli Gen. Murciensis, quo statuitur, quod Commendatores intra triennium Religiosis omnibus Conventualibus Vestiarium præstare tenentur sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in Capitulo proxime futuro, etiamsi alias Magistri, vel Præsentati extiterint. Commendatores autem observare tenentur motum proprium Sanctissimi Urb. VIII. circa bona Ecclesiæ non alienanda, & juxta hoc debet disponi tenor clausulæ prædictæ alienationis, firmo, ac servato supradicto capite decimoquinto.

63. Præterea cum ex Decreto Sanctissimi Domini Clementis VIII. nullus in Priorem domus Barchinonensis possit eligi, nisi fuerit Magisterii, vel ad minus Præsentaturæ Gradu insignitus, & electio aliter facta irrita sit, & nullius valoris; Capitulum Generale Murciense de anno millesimo sexcentesimo trigesimosexto declaravit, ac decrevit debere esse talem præsentaturam de lectura, & de numero Provinciæ: quod statutum hoc prædictum Generale Definitorium approbavit, & confirmavit.

64. Præterea cum in Capitulo Generali Toletano decretum sit, quod Prior Barchinonensis (qui ex jure nostrarum Constitutionum vacante Generalatu ante expletum sexennium in officio Vicarii Generalis cum plena jurisdictione succedit) si quando dictum Vicariatum adierit, sit solum Præsentatus, ipso facto Magister, ob Officii gravitatem, & regimen totius Religionis habeatur, nominetur, & sit: quod Decretum confirmatum fuit a Sanctissimo Domino Urbano VIII. nunc prædictum Generale Definitorium declarat, quod ut talis Magister teneatur, & inter Magistros suæ Provinciæ locum habeat, si per undecim annos in lectura Artium, & Sac. Theologiæ cum approbatione Definitorii dictæ Provinciæ se exercuerit; locus autem antiquitatis computari debet a die, qua Vicariatu Generali functus fuit: decernitque prædictum Generale Definitorium, quod si Magister de numero suæ Provinciæ fuerit, cum fungi aggreditur dicto Vicariatu Generali, exemptionibus Provincialis (sicut si prædicto munere functus fuisset) gaudeat, cum præcedentia ad cæteros Magistros suæ Provinciæ, & loco immediato omnibus, qui fuerunt Provinciales, & erunt.

65. Præterea decrevit prædictum Generale Definitorium, quod Visitator diligenter in Visitationibus suis curet de bonis, & eleemosinis pro Redemptione Captivorum, provideatque, ut in omnibus Conventibus Procuratores, sive Commissarii Redemptionis pro ipsis eleemosinis colligendis sint destinati Religiosi, zelo, & charitate ferventes, & eos, quos negligentes in tali munere repererit, suis officiis privet, & pœnis pro suo arbitrio puniat, aliosque loco ipsorum substituat. Similiter diligenti cura provideat de aliis officiis, de Vicario, Procuratore, Magistro Novitiorum, Depositariis, & Sacrista: Insuper Visitatores in suis visitationibus summopere inquirant, si Commendatores a suis subditis munera aliqua accipiant. Quod si (proh dolor) eorum aliquos munerum amatores invenerint, eos propriis Commendis privent, eandemque similiter faciat inquisitionem Magister Generalis per totum Ordinem, tam circa ipsos Commendatores, quam circa Provinciales: quod si donorum receptores invenerit (præcipue ab illis, quibus Officium, vel Commendam contulerint) hos omnes, & singulos, tam Commendatores, quam Provinciales propriis officiis privet, ipsos etiam publicis pœnitentiis, & castigationibus omni, & summo cum rigore adstringendo, ut illis in correctionem, reliquis vero fratribus sit in exemplum.

66. Insuper decrevit prædictum Generale Definitorium sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per decennium, & reclusionis per biennium, ac gravioris culpæ, quod nullus ex nostris Religiosis possit recusare in suis causis Prælatos legitimos, & ordinarios, nec recusatio sit valida, si illam faciat, donec per duos ex Patribus Commendatoribus propinquioribus, vel per duos Patres Definitores videantur infra terminos, & tempus a Sacris Canonibus, & Conciliis præfixum, & statutum causæ recusationis, an fuerint sufficientes: interim autem, donec infra terminos, & tempus a Sacris Canonibus, & Conciliis præfixum, & statutum causæ recusationis discutiuntur, Prælati recusati suspendere debent excusationem causarum, ac similiter statuit sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, & inhabilitatis perpetuæ ad obtinendum quodlibet officium, ne literæ deprecatoriæ impetrentur a Religiosis per se, vel interpositam personam directe, vel indirecte ob obtinendum aliquod Officium, vel munus nostri Ordinis, neque ad id favoribus personalibus utantur.

67. Præterea approbavit, & confirmavit prædictum Generale Definitorium Decretum Capituli Generalis Murciensis, nempe, quod qui semel professionem emiserunt, & ad sæculum qualibet ex causa regressi sunt, ulterius non possint admitti de novo ad Religionem, nisi de licentia Magistri Generalis, vel nisi in articulo mortis humiliter Habitum, & Professionem petierint, non tamen, ut inter nos iterum commorentur.

Insu-

68. Insuper statutum fuit, quod Religiosi Sacerdotes iter agentes, ubicumque occasionem Sacrum celebrandi repererint, non prætermittant, nullique Religioso causa infirmitatis detur licentia de Monasterio exeundi ad Domos seculares, super quo conscientiæ Prælatorum onerantur, ut decrevit Generale Capitulum Murciense.

69. Præterea approbavit, ac confirmavit præd. Generale Definitorium, quod decretum fuit a prædicto Capitulo generali Murciensi, nempe quod nullus Religiosus audeat ingredi Curiam Regiam, nisi immediate post duodecim horas Commendatori Conventus Matricensis se præsentaverit. Quod si aliquis contrarium fecerit, a Commendatore incarceretur, donec a Provinciali veniam recipiat.

70. Præterea approbavit, & confirmavit prædictum Generale Definitorium decretum Capituli Generalis Toletani a Capitulo Generali Murciensi similiter approbatum, & confirmatum, videlicet, ut nullum negotium ad bona temporalia Conventuum pertinens, quod Patribus in Capitulo proponi necessum sit, eodem die, quo proponitur, resolvatur, sed in diem sequentem ejus resolutio differatur. Præcipiturque Patribus Commendatoribus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum, ne in contrarium hujus Decreti quidquam agant, idque observetur quotiescumque re gravi, cujuscumque materiæ illa sit, proposita Conventui, aliquis ex fratribus affirmet, se ad illius resolutionem consultatione, & studio indigere, & sub eisdem pœnis præcipitur Commendatoribus, ne supplicas, & petitiones, quæ pro negotiis Conventuum mittuntur ad Superiores subscriptis nominibus Religiosorum, subscribere compellant, quin prius in Capitulo pleno legantur, ibique publice ab omnibus subscribantur, & sub pœna gravioris culpæ per duos menses præcipitur Religiosis, ne aliter prædictas petitiones subscribere audeant, vel præsumant, ut decretum fuit in prædicto Capitulo Generali Murciensi.

71. Cum ex Decreto Sanctissimi Domini Clementis VIII. nemo ad Præsentaturam exponi possit, qui non legerit (ultra tres annos Logicæ, & Philosophiæ) duos alios Theologiam Scholasticam, assistendo conferentiis, & aliis actibus pro Magistris designandis: similiter nullus ad Magisterium assumi, qui non legerit quotidie unam lectionem Theologiæ Scholasticæ per spatium sex annorum, supra illos quinque ad Præsentaturam requisitos, & qua de sero semper adfuerit conferentiis, aut præsidendo, aut replicando, & unoquoque anno præsederit alicui actui publico, seu publicis disputationibus, prædictum Generale Definitorium decrevit, & declarat; quod si Lectores in Cathedra alicujus Universitatis (de licentia tamen Superiorum) fuerint occupati, sive in lectione continua Artium, sive Sacræ Theologiæ per spatium quinque, vel undecim annorum, ad Præsentaturam, vel Magisterium assumi possunt.

72. Præterea cum juxta Decretum Capituli Generalis Toletani a Sanctissimo Urbano VIII. confirmatum, nullus ad Lecturam Artium, vel Sacræ Theologiæ promoveatur, nisi facta oppositione, in qua per unam horam de materia sortita per vigintiquatuor horas antecedentes publice legat, & per spatium alterius horæ argumentis oppositorum satisfaciat, quo examine acto, tanquam sufficiens approbetur: prædictum Generale Definitorium declaravit, quod si prædicta approbatione omissa in Lectura aliqua se exercuerit, nullius esse valoris ad prædictos gradus obtinendos, obtentioque eorum nulla, & irrita sit: prædictum autem examen decrevit Capitulum Generale Murciense, quod fieri debet in materia Lecturæ, ad quam promovetur, nec sufficit approbatio ad Lecturam Artium, ut pro Theologia approbatus quis judicetur, nec e contra, & anni prædicti Lecturæ ad gradus obtinendos, debent esse completi, taliter quod pro uno anno non possunt admitti duo cursus, sed singuli singulis annis respondere debent, alias irritos, & nullos esse: quæ omnia prædictum Generale Definitorium approbavit, & confirmavit.

73. Præterea decrevit prædictum Generale Definitorium, quod nullus ad gradum Præsentaturæ exponatur, nisi prius ad Baccalaureatus gradum in aliqua Visitatione sit admissus, vel a Magistro Ordinis, aut a Provinciali suæ Provinciæ sit promotus: prædicta autem requisita ad gradus Præsentaturæ, & Magisterii de numero designata minime possunt suppleri per alia merita, exercitia, vel obsequia Religioni exhibita, cujusvis qualitatis extiterint: quod si imposterum aliqui tales gradus absque prædictis requisitis, & conditionibus receperint, ex nunc tanquam irriti, & nullius valoris esse declaravit Capitulum Generale Murciense, in memoriam revocans, & observari præcipiens Bullam Sanctissimi Domini Pauli V. ad hunc effectum specialiter expeditam, salva semper auctoritate apostolica in prędictis dispensandi.

74. Cum ex Decreto Capituli Generalis Toletani a Sanctissimo Domino Urbano VIII. confirmato, probationes, seu informationes annorum Lecturæ fieri debeant immediate ab ipsis Provincialibus, vel suis Visitatoribus specialiter in scrutinio secreto Visitationum, & publice per testimonia sanioris partis Conventus, itaut ad hunc effectum commissionem nulli possit tribuere, nisi tempus celebrationis Capituli instet, & ad tales Conventus Provincialis non possit pervenire, prædictum Generale Definitorium decernit, & declarat, quod probationes, & informationes Lecturarum supradicto modo factæ præsentari tenentur in Capitulo Provinciali coram Definitorio, & ibidem examinari, & approbari, quæ approbatione dignæ repertæ fue-

fuerint. In quo examine habeant jus se opponendi Lectores quilibet, qui rationes aliquas in contrarium proponendas habuerint. Præterea hujusmodi approbationes hoc rigoroso examine a Definitorio factæ, non judicantur sufficientes ad confirmationem, sive Præsentaturæ, sive Magisterii; sed ulterius requiritur, ut a Definitorio intra Capitulum, penes quod est jus, & facultas (cum alias commode fieri non possit) ad tales gradus exponatur. Et cum nullus exponi possit, nisi in vacante determinata, ex Decreto Sanctissimi Domini Pauli V. nec confirmari, nisi prius sit expositus, poterit Definitorium Provinciale (ne gradus suspensi per longum tempus maneant, ex quo plura prævidentur bono regimini imminentia damna) Magistro Generali facultatem concedere, ut exponat unum ex approbatis, quem maluerit, quocumque tempore vacatio gradus accidat. Insuperque dictus Magister Generalis extra Capitulum Generale loco, & vice talis Capituli, potest confirmare in gradibus Præsentaturæ, & Magisterii quotiescumque aliquem vacare contigerit, quemlibet ex admissis rite, & ut fas est, a Definitorio Provinciali, juxta Decretum Sanctissimi Domini Pauli V., & hac eadem auctoritate gaudet Prior Barchinonensis, & quilibet alius, dum Officio Vicarii Generalis totius Religionis fungitur, juxta Decreta nostrarum Constitutionum.

75. Præterea decrevit, & declaravit prædictum Generale Definitorium, quod in cap. 25. distinct. secundæ nostrarum Constitutionum, ubi dicitur, quod solum sunt admittendi ad Magisterium, qui fuerint in conclusionibus publicis in Capitulo Generali, vel Provinciali approbati, addendum est: Aut saltem in aliquo nostri Ordinis Collegio, sive Conventu studiorum.

76. Insuper prædictum Generale Definitorium statuit, ac ordinavit, quod Magister Generalis in confirmatione gradus Magisterii designet aliquem Magistrum confirmatum in Promotorem ad talem gradum forma nostrarum Constitutionum conferendum, a quo promovendus solenniter gradum recipiat intra duos menses post confirmationem: aliter autem maneat ipso facto tali gradu privatus.

77. Præterea hoc prædictum Generale Definitorium decrevit juxta Decretum Capituli Generalis Toletani a Sanctissimo Domino Urbano VIII. confirmatum, & similiter juxta Decreta Capituli Generalis Murciensis, quod ut omnino deinceps litigia circa ordinem sedendi evitentur inter Magistros, & Præsentatos, servetur ordo juxta gradus, non vero professionis antiquitatem. Definitores Provinciæ, & Definitores, ac Electores Generales, si sint Magistri, præcedat omnes alios Magistros, si vero Magistri non fuerint, sint Magistris immediati, etiam si non sint præsentati, inter ipsos tamen ordo antiquitatis servetur: Hæc ita sunt extra Capitulum, intra Capitulum vero, si sit Provinciale, & Definitores Provinciæ antecedunt omnes, excepto Præsidente, & Provincialibus, electo, & absoluto. In Capitulo vero Generali, Provinciales sint immediati Præsidenti juxta Provinciarum antiquitates, deinde Prior Barchionensis, si non præsideat, postea Procurator Generalis in Curia Romana, postea Definitores Generales juxta antiquitatem suarum Provinciarum, & denique eodem ordine succedant omnes Electores Generales. Prior vero Barchinonensis, qui Vicarius Generalis totius Ordinis fuerit intra Provinciam Aragoniæ, si fuerit Magister, omnes alios Magistros præcedat; si autem Præsentatus, omnes illos antecedat Præsentatos. Patres autem Provinciales servent inter se Provincialatus sui antiquitatem, etiamsi alio fungantur officio. Socii Magistri Generalis locum habeant immediatum Patribus Provinciæ, in qua extiterint, itaut omnes Magistros præcedant. Patres Graduati aliarum Provinciarum in quacumque Provincia de licentia Superiorum extiterint, sint immediati Graduatis talis Provinciæ, itaut si fuerit Magister immediatus, omnibus Magistris, & si Præsentatus, omnibus Præsentatis.

78. Cum ex Decreto Sanctissimi Domini Clementis VIII. bona stabilia, & ad legitimam fratris e vita decedentis pertinentia, quæ juxta Constitutionem spectabant ad Domum ubi Professionem emisit, sint conferenda, & veniant in jus Monasterii, ubi talis Religiosus Habitum Religionis suscepit: prædictum Generale Definitorium inhærendo Statutis Capitulorum Generalium Hobtensis, Burtinensis, & Murciensis, statuit, & decernit, quod bona mobilia sic distribuantur: Habitus, & vestes inter Religiosos magis indigentes: Libri vero a Magistro, vel Provinciali Conventibus studiorum (prout melius expedierit) impertiantur: alia tamen bona (si quæ fuerint) solutis ante omnia debitis defuncti, in quatuor partes æquales dividantur, quarum prima Conventui, in quo Habitum suscepit, tribuatur; altera Provinciali pro expensis Provinciæ conceditur, alia in Custodia Religiosi a Magistro Generali designati, pro sumptibus ejus, ubicumque extiterit, reponatur: Ultima denique ad Magistrum pro expensis sui Officii, & Negotiis Curiæ Romanæ mittatur.

79. Denique propositum fuit prædicto Generali Definitorio, quod alias in Capitulo Generali Barbastrensi ad instantiam Eminentissimi Domini Cardinalis de Lugo nostræ Religionis Protectoris, fuerat decretum, videlicet, ut ad unguem matura inquisitione nostræ Constitutiones examinentur, & judicii trutina perquirantur; nam multa cum in illis reperiantur obstrusa, aliaque omissa notentur, quæ sæpius in variis Capitulis Generalibus ad validius Regularis Observantię fulcrum sunt notata indigent additione, & explicatione: Quapropter præfatis omnibus diversis sessionibus

bus mature in hoc prædicto Generali Definitorio collectis, & unanimi omnium consensu decretis, & confirmatis, prædictum Generale Definitorium auctoritatem suam & facultatem, qua ex vi nostrarum Constitutionum cap. secundo secundæ distinctionis gaudet, ea meliori forma, via, & modo, quo poterat, & necessarium esset, substituit, & substituere dixit in auctoritatem nostri Reverendissimi Generalis electi, ut nomine totius Generalis Definitorii, & Religionis suppliciter oraret Sanctissimum pro confirmatione horum Decretorum, ut efficacius perpetuam observantiam assequantur: Eaque, & alia Decreta a S. Sede approbata, & confirmata, omniaque illa, quæ per tria Capitula Generalia sunt, & fuerunt approbata, quæ omnia jure nostrarum Constitutionum, ut in earum procemio continetur, vim Constitutionis in toto Ordine habent, & habere debent, recollecta singulis Capitibus prædictarum nostrarum Constitutionum adaptentur, & inserantur, & juxta ea prædicta capita disponantur, & corrigantur, omni inconsequentia, & contradictione accuratim attenta, & regalata, sicque disposita noster Reverendissimus Generalis electus typis mandet, ut quamprimum possit ad omnes Provincias (pro eorum observantia) remittat.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Franciscus Procurator Generalis, Constitutiones hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Francisci Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, præinsertas Constitutiones per novissimum Ordinis hujusmodi Capitulum Generale compilatas, ac a præfatis Cardinalibus visas, & mature, ac diligenter examinatas, atque in nonnullis emendatas, & in antescriptam formam, ac tenorem redactas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac dictas Constitutiones exinde subsequuta earum publicatione per omnes, & singulos dicti Ordinis Religiosos, tam Superiores, quam subditos respective in usum recipi, & perpetuo observari mandamus, & præcipimus.

Præinsertas Constit. confirmat.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas, & Constitutiones præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausulæ.*

§.4. Non obstantibus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædicti Ordinis, ejusque Provinciarum, ac Conventuum, & locorum Regularium quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumq; *Derogatio contrariorum*

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Transumptorum fides.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Dec. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII. *Dat. die 20. Dec. 1662. An. VIII.*

CDXVIII.

Constitutio super regimine Superiorum Societatis Jesu.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitum Pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, exigit, ut paternam dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum Regularium Societatis Jesu, quæ ab ipsis fundationis suæ primordiis in re Christianæ Religionis juvanda, promovendaque Infidelium, & Hæreticorum conversione, & horum pertinacia retundenda, ac juventute literis, & probis moribus informanda, Christique fidelibus in viam mandatorum Dei dirigendis (adjuvante Domino) sedulo semper, & fructuose laboravit, ac etiam nunc strenue laborat, curam peculiari studio gerentes, illa quæ prospero, felicique ipsius Societatis regimi- *Prooemium.*

AN. C
1663.

gimini, & progressui impedimentum adferre noscuntur, e medio tollamus, & abrogemus, sicut magistra rerum experientia suadet, & nos matura consultatione adhibita ad Omnipotentis Dei Gloriam salubriter expedire arbitramur.

Motiva. §.1. Dudum siquidem postquam a Congregatione quinta generali dictæ Societatis petitum fuerat, ut ipsius Congregationis auctoritate statueretur, ne Superiorum localium ejusdem Societatis officia ultra triennium continuarentur, dicta vero Congregatio decreverat nullum tempus esse præfigendum, sed servandum esse decretum 87. Congregationis secundæ generalis ipsius Societatis, fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster, certo sciens totum sanctæ hujus, & nunquam satis laudatæ Religionis stabilimentum in viridi Instituti ipsius, & decretorum super hoc in generalibus Congregationibus ejusdem Societatis editorum observantia consistere, illamque ab impugnationibus, molestiis, & calumniis vindicare, & in sui Instituti integritate, puritate, quiete, & pace conservare cupiens, per suas sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1606. pridie nonas Septembris, super Instituti dictæ Societatis confirmatione emanatas literas, supradicta, & alia quæcumque decreta, statuta, & ordinationes, quæ Institutum, & Societatem hujusmodi, illiusque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in generalibus Congregationibus edita confirmavit, ac Præpositum Generalem, cæterosque Superiores Societatis præfatæ tunc, & pro tempore existentes paterne hortatus est, & monuit, ut observationi dictorum decretorum serio invigilarent, ac eos, qui novitati studentes aliquid contra liberam, & sine ulla triennii, aut certi temporis præfixione Superiorum localium gubernationem per se, vel alios quoscumque quavis auctoritate, & dignitate fulgentes quomodolibet machinari ausi fuissent, tanquam perturbatores sui Ordinis, & rerum novarum molitores, præter pœnas in supradictis decretis contentas, ipsius Præpositi pro tempore existentis arbitrio coercerent corrigerent, & punirent, & alias prout in eisdem Pauli Prædecessoris literis uberius continetur.

§.2. Postmodum vero recol. mem. Innocentius Papa X. etiam Prædecessor noster per suas in forma Brevis literas die prima Januarii 1646. expeditas inter alia statuit, mandavit, præcepit, & ordinavit, ut omnes, & singuli dictæ Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales, & alii Officiales Jurisdictionem, seu Superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris Novitiorum, in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis prædictis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare deberent, iique elapso triennio hujusmodi eo ipso vacarent, & vacare censerentur, ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia prædicta quomodolibet nuncupata, etiam Vice-Provincialis, seu Vice-Præpositi, vel Vice-Rectores nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio, saltem a fine dicti triennii computandum a prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis cessassent: Decernes præmissa omnia, & singula in perpetuum inviolabiliter sub excommunicationis latæ sententiæ, ac suspensionis a divinis, privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum quorumlibet, inhabilitatisque ad illa, & quævis alia in posterum obtinenda pœnis ipso facto absque alia declaratione, tam per mandantes, procurantes, eligentes, & deputantes, quam recipientes, & exequentes, irremissibiliter incurrendis observari debere, neque adversus illa, seu illorum aliquod, ipsiusque Innocentii Prædecessoris Constitutionem hujusmodi per Præpositum Generalem pro tempore existentem, aut quamcumque Congregationem etiam Generalem, vel quemlibet alium Superiorem, & Officialem dictæ Societatis, aut ejusdem Innocentii, & pro tempore existentis Romani Pontificis, Sedisque Apostolicæ Nuncios, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque potestate fungentes unquam dispensari, disponi, vel derogari posse, & quamcumque dispensationem, dispositionem, & derogationem adversus præmissa, seu eorum aliquod, eandemque Innocentii Prædecessoris Constitutionem per præfatos, seu ipsorum aliquem pro tempore quomodolibet factam, sive concessam, nullam prorsus, ac nulliter, & subreptitie, obreptitieque extortam fore, & esse, ac censeri, & haberi, neminique ullatenus suffragari debere, & alias cum diversis ordinationibus, decretis, clausulis, & derogationibus in eisdem Innocentii Prædecessoris literis plenius contentis, & expressis.

§.3. Verum subinde pro parte dilecti filii Gosvvini Nickel Præpositi Generalis dictæ Societatis Nobis exposito, quod vacatio munerum, superioritatum, ministeriorum, & officiorum prædictorum post lapsum triennii, necnon eorum, qui illis functi fuissent, ab illis per annum cum dimidio cessatio, sicut præmittitur, præscripta, maxima bono Societatis prædictæ regimini adferrent incommoda, & tunc quia ob calamitates, & contagii suspiciones, quibus nonnullæ Provinciæ laborabant, commercium reperiebatur interdictum, difficilior redderetur vacationis, & cessationis hujusmodi observatio: Nos supplicationibus ejusdem Gosvvini Præpositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra expressum Innocentii Prædecessoris statutum, mandatum, præceptum, & ordinationem hujusmodi ad sesquiannum tunc proximum suspendimus, & successive dictum sesquiannum ad alium sesqui-

ſeſquiannum; ac iterum ad triennium reſpective extendimus, & prorogavimus. Præterea cum dictus Goſvvinus Præpoſitus Generalis Nobis iterum exponi feciſſet, quod Provinciæ Indiæ Societatis prædictæ literarum noſtrarum in forma Brevis ſuper ſuſpenſione hujuſmodi primo loco ad ſeſquiannum, ut præfertur, facta emanatarum beneficio maxime indigebant, illoque frui vix poterant, quia priuſquam de eiſdem literis nuncius ad illas partes præferretur, aut jam elapſus, aut prope finem futurus erat dictus ſeſquiannus: Nos ipſius Goſvvini Præpoſiti Generalis precibus benigne annuentes, ſimilem ſuſpenſionem ſtatuti, mandati, præcepti, & ordinationis memorati Innocentii Prædeceſſoris, quantum quidem ad Provincias, Domos, Collegia, & Loca quæcumque dictæ Societatis in Indiis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, & alibi extra Europam dumtaxat conſiſtentes, & conſiſtentia attinebat, ad ſeptem annos a die 14. Nov. 1656. computandos fecimus.

Moderatio præfati ſtatuti

Alia moderatio.

§.4. Ac demum cum nomine dilectorum filiorum Congregationis Generalis, quæ fuit undecima ejuſdem Societatis, Nobis expoſitum fuiſſet, quod ex jamdictis ſuſpenſionibus maximum toti Societati beneficium, atque emolumentum provenerat; quia vero præfixum in literis noſtris deſuper emanatis tempus tunc incipiebat fluere verſus finem, eadem Congregatio communibus votis, ac nemine penitus diſcrepante denuo opportune in præmiſſis a Nobis provideri plurimum deſiderabat. Nos humilibus ipſius Congregationis generalis precibus inclinati prædictum Innocentii Prædeceſſoris ſtatutum, mandatum, præceptum, & ordinationem, ut munera, ſuperioritates, adminiſtrationes, miniſteria, & officia hujuſmodi elapſo triennio vacent, & illis functi, niſi poſtquam ab eis per ſeſquiannum ceſſaverint, ad alia quævis munera, ſuperioritates, miniſteria, adminiſtrationes, & officia nullatenus eligi, ſeu aſſumi, vel deputari valeant, quantum quidem ad Provincias, Domos, Collegia, & Loca in Europa ad aliud quadriennium; quantum vero ad Provincias, Domos, Collegia, & Loca quæcumque ejuſdem Societatis in Indiis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, & alibi extra Europam conſiſtentes, & conſiſtentia ſpectat, reſpective ad alios octo annos denuo ſuſpendimus, & alias prout in quinis noſtris in ſimili forma Brevis literis, primis quidem die 24. Julii 1656. & aliàs die 14. Novem. ejuſdem anni, & die 7. Julii 1657., & die 28. Auguſti 1658., & noviſſimis die 7. Decem. 1661. deſuper expeditis plenius continetur.

§.5. Cum autem, ſicut accepimus, S. Ignatius dictæ Societatis Fundator in Conſtitutionibus ipſius Societatis ſtatuerit, ut penes Præpoſitum Generalem eſſet, tam electio omnium Rectorum, quam amotio ab eo munere, nullo præfixo temporis ſpatio, ſed ſolum prout ei convenientius in Domino videretur. Et licet idem Sanctus Pater alibi in eiſdem Conſtitutionibus dixiſſe reperiatur, Provinciales ad triennium, ut plurimum conſtituendos eſſe, ſtatim tamen ſubjunxerit etiam id temporis ſpatium contrahi, & prorogari poſſe, quando ad majorem Dei, & Domini noſtri gloriam id fore judicaretur: At vero pro Rectoribus, vel Superioribus localibus neque triennium, ut plurimum præſcribendum cenſuerit, ſed totam durationem regiminis illorum pendere voluerit ab arbitrio Præpoſiti Generalis, prout ad majorem Dei gloriam expedire duceret. De ceſſatione autem Superiorum ad ſeſquiannum, vel aliud tempus nullibi meminerit, nec aliquid ſuper ea re ſtatuendum cenſuerit, ſed Præpoſiti Generalis judicio, ſicut alia multa, id in genere reliquerit, & ipſemet quamdiu vixit, in praxi abſque tali ceſſatione Societatem gubernaverit: Hæcque gubernandi ratio a piæ mem. Paulo III., Julio III., & Gregorio XIII., ac Gregor. XIV. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus pariter noſtris, qui Gregorius XIV. per ſuas ſub plumbo, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. 4. Kal. Julii expeditas literas, quarum initium eſt, *Eccleſiæ Catholicæ, &c.* expreſſe ſtatuit, ut electio Superiorum quorumcumque eſſet tota penes Præpoſitum Generalem, juxta Conſtitutiones cum poteſtate illorum facultatem revocandi, reſtringendi, vel augendi, & denique eoſdem ab officio removendi, prout in Domino judicaret expedire, approbata, & confirmata, & poſt obitum memorati Sancti Ignatii in eadem Societate cum ingenti illius bono ſervata fuerit.

§.6. Et licet anno 1594. ſimilis record. Clemens Papa VIII. etiam Prædeceſſor noſter vivæ vocis oraculo per bon. memor. Franciſcum, dum vixit, S. R. E. Cardinalem Toletum nuncupatum Congregationi quintæ generali memoratæ Societatis ſignificato mandaverit, ut tam Provinciales, quam Rectores dictæ Societatis non durarent ultra triennium: nihilominus tamen ipſe Clemens Prædeceſſor motus precibus ejuſdem Societatis mitigaverit variis modis illud ſuum mandatum, quod poſtea præfatus Paulus V. Prædeceſſor per ſuas literas ſupradictas, Decretum Congregationis quintæ generalis ſupra expreſſum ſpecifice confirmans, & præfixionem termini in gubernatione Superiorum localium graviter improbans, ac machinatores contra id decretum tanquam perturbatores Societatis graviſſimis pœnis plecti jubens, omnino abrogavit.

§.7. Cumque dicta Societas ſubſequenti tempore uſque ad dictam præfatam Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem præfatum gubernandi modum magno cum fructu, ipſiuſque Societatis tranquillitate ſervaverit: Edita vero eadem Conſtutione plurimis, graviſſimiſque affecta fuerit incommodis, multoque plura, & graviora pericula, & inconvenientia ſubitura extiterit, niſi Nos per ſuſpenſiones præfatas illis occu-

occurrissemus: Et ex his nostris suspensionibus, seu dispositionibus per septem fere annos magnæ, & multiplices dictæ Societati utilitates obvenerint, nec quidpiam alicujus momenti in contrarium nobis exhibitum fuerat, ut proinde e re ejusdem Societatis maximopere futurum videatur, si ejusdem Innocentii Prædecessoris ordinatio supradicta penitus abrogetur.

§.8. Hinc est, quod nos dictæ Societatis felici directioni, religiosisque progressibus, & incrementis, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, necnon præfatarum nostrarum, ac Greg. XIV. Pauli V., & Innocentii X. aliarumve quarumlibet eorumdem, & aliorum Prædecessorum nostrorum præfatorum literarum Societatem præfatam concernentium, ac ipsius Societatis Constitutionum, & decretorum Generalium illius Congregationum tenores, & datas, aliaque etiam speciali, & individua mentione digna præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, eorumdemque Pauli III., Julii III., Gregor. XIII., Gregor. XIV., & Pauli V. Prædecessorum, qui omnes dictas Constitutiones S. Ignatii, & rationem gubernandi in eis expressam laudarunt, approbarunt, & confirmarunt, vestigiis inhærentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, & Apostolicæ potestatis plenitudine memorati Innocentii Prædecessoris statutum, mandatum, præceptum, & ordinationem, ut omnes, & singuli ejusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales, & alii Officiales jurisdictionem, seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati (exceptis Magistris Novitiorum) in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis prædictis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare debeant, eaque elapso triennio hujusmodi eo ipso vacent, & vacare censeantur, ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia præfata quomodolibet nuncupata, etiam Vice-Provincialis, seu Vice-Præpositi, vel Vice-Rectoris nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valeant, nisi per annum cum dimidio saltem a fine dicti triennii computandum, a prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis cessaverint, pluries a nobis suspensa, ut præfertur, & quatenus illa concernunt predictas ejusdem Innocentii Prædecessoris literas (firma tamen, & illæsa, ac in suo robore in reliquis omnibus & singulis remanente earumdem Innocentii Prædecessoris literarum dispositione,) tenore præsentium perpetuo revocamus, abrogamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus.

Abrogat statutum Innocent. X.

Clausulæ.

§.9. Decernentes easdem præsentes literas, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad illa vocati, citati, & auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex alia quacumque causa, occasione, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali, & individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, rescindi, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse: sed ipsas præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.10. Non obstantibus dicti Innocentii Prædecessoris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memorati Gregor. XIV. ac Paulus V., & Innocentius Prædecessores voluerunt in suis, & Nos voluimus in nostris respective literis præfatis non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.11. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi, vel Vicarii Generalis ejusdem Societatis, aut alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 1. Jan. 1663. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 1. Jan. 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

Pro-

CDXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Prohibitio Ecclesiasticis Civitatis Barchinonen., & Principatus Cathaloniæ ne excomissas super sortitione Officialium faciant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Pastoralis Officii, quod Auctore Deo gerimus, solicitudo Nos admonet, ut gregem Dominicum curæ nostræ creditum ab omni offensione securum præstare, ac in viam salutis aspirante superni favoris auxilio dirigere, & abusus quoscumque, præsertim illos, quos cæca cumulandæ per fas, & nefas pecuniæ cupiditas, omnium malorum secundum Apostolum radix, in boni publici perniciem invexit, opportunis sanctionibus, quantum in Nobis est tollere studeamus.

Supplicatio. §.1. Nomine siquidem Christianissimi in Christo filii nostri Philippi hujus nominis Quarti Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper exposuit dilectus filius noster Paschalis S. R. E. Diaconus Cardinalis de Aragonia nuncupatus, quod alias cum in Civitate Barchinonen., & Principatu Cathaloniæ, ubi vetus viget consuetudo quosdam Officiales Civitatis, & Principatus hujusmodi annis singulis per sortem eligendi, seu deputandi, perniciosus quidam abusus in grave publicæ utilitatis detrimentum a multis annis introductus reperiretur, ut multæ personæ Catalogos, seu Listas nominum sortitionis Officialium hujusmodi causa in urna ponendorum, seu positorum haberent, ac super futuro eventu aliquorum extractionis, & electionis, seu deputationis ad officia sic sortito faciendæ sponsiones, seu promissiones, quas excommissas vocant, inter se sub magnis pecuniarum summis facerent, & hac occasione superstitionibus, aliisque modis illicitis conscientias graviter lædentibus, ac Dei servitio, bonoque publico adversantibus uterentur; claræ memoriæ Philippus III., dum vixit, earumdem Hispaniarum Rex Catholicus, ut his malis remedium adhiberet, peculiarem pro præfatis Civitate Barchinonen., & Principatu Cathaloniæ Constitutionem edidit, qua pœnam triremium illis imposuit, qui Catalogis, seu listis nominum hujusmodi ad effectum dictarum sponsionum, seu excommissarum uterentur, illosque retinerent, ac ejusmodi sponsiones, seu excommissas facerent; eaque pœna in reos pro tempore severe animadverti jussit. Quoniam vero, sicut eadem expositio subjungebat, ejusmodi abusus penitus evelli nequit, nisi præfatorum Catalogorum, seu listarum usus, ac sponsiones hujusmodi etiam ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus districta sanctione interdicantur; cum etiam inter eos [quod maxime dolendum est] idem abusus irreperit, & sub illorum clypeo laici, qui pœnæ præfatæ metu vetita per dictam Constitutionem palam, & per se ipsos perpetrare non auderent, secretis machinationibus ipsius Constitutionis vim eludere, illique fraudem facere moliantur. Nobis propterea præfatus Paschalis Cardinalis memorati Philippi IV. Regis nomine humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Philippi Regis desideriis quantum Nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere, ac publicæ utilitati consulere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis Civitatis Barchinonen., & Principatus Cathaloniæ præfatorum personis ecclesiasticis tam secularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Militiæ Societatis, vel Instituti regularibus, cujuscumque status, gradus, qualitatis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existant, ne Catalogos, seu Listas nominum sortitionis Officialium Civitatis, & Principatus hujusmodi causa in urna, sicut præmittitur, ponendorum, seu pro tempore positorum ad effectum faciendi sponsiones, sive promissiones, seu excommissas hujusmodi penes se habere, vel per interpositam personam retinere, aut illis quovis modo uti, nec dictas sponsiones, seu excommissas directe, vel indirecte, aut alias quomodocumque, & qualitercumque facere, vel inire, aut illis intervenire audeant quomodolibet, vel præsumant, sub privationis Canonicatuum, & Præbendarum, ac dignitatum, etiam post pontificales majorum in Cathedralibus, & Principalium Collegiatis Ecclesiis, personatuum, administrationum, officiorum, aliorumve quorumlibet cum cura, & sine cura beneficiorum ecclesiasticorum quovis modo qualificatorum per eas in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias quomodolibet nunc, & pro tempore obtentorum quoad seculares, & privationis vocis activæ, & passivæ, quoad regulares, necnon excommunicationis latæ sententiæ quoad utrosque, a qua nemo a quoquam, nisi a Nobis, seu pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, per contraventores ipso facto incurrendis pœnis, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Prohibitio, ut in rubric.

Contravenientium pœnæ.

§.2. Præterea Venerabilibus Fratribus Episcopo Barchinonen., cæterisque memorati Principatus Cathaloniæ Episcopis, & Archiepiscopis, nunc, & pro tempore existentibus per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut ipsi, & eorum quilibet, uti nostri, & hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ ad hoc specialiter delegati, etiam sine ullis Adjunctis, in tuis quisque Civitatibus, & Diœcesibus contra quoscumque Ecclesiasticos tam seculares, quam regulares præfatos, etiam quibusvis privilegiis, libertatibus, & exemptionibus suffultos, & ab ordinaria jurisdictione exemptos, ac Nobis, & dictæ Sedi immediate subjectos, qui

qui præsentem Constitutionem transgressi fuerint, & declarationem incursus pœnarum hujusmodi auctoritate nostra procedant, illasque irremissibiliter exequantur invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis: Nos enim eidem Barchinonen., cæterisque Episcopis, & Archiepiscopis præfatis quamcumque necessariam, & opportunam ad id facultatem, & potestatem harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impertimur.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, necnon apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ecclesiarum, Ordinum, Militiarum, Congregationum, Societatum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & Locorum Regularium quorumcumque, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, exemptionibus, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Ordinibus, Militiis, Congregationibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Collegiis, & Locis Regularibus, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet etiam circa Adjunctos, & alias quovis modo, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Januarii 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 2. Jan. 1663. An. VIII.

CDXX.

Extensio Statuti Gregorii XV., ut Canonicatus, & Præbendæ pœnitentiarii Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium in Hispaniarum Regnis consisten., etiam Sedi Apostolicæ (non tamen ratione obitus apud eamdem) reservati, prævio concursu per Ordinarios, & Capitula tantum habendo conferri debeant, ad Ecclesiam Majoricen., quæ in futurum gaudere gratiis per Literas d. Gregorii XV. super præmissis emanatas concessis declaratur.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

PRo commissa Nobis divinitus omnium Ecclesiarum sollicitudine in id peculiari studio incumbimus, ut ipsarum Ecclesiarum præsertim Cathedralium Beneficia, quibus fori pœnitentialis cura annexa est personis dignis, & idoneis conferantur, quę injunctum sibi gravissimum munus ad animarum salutem fructuose valeant adimplere.

Expositio.

§.1. Alias siquidem nomine charissimi in Christo filii nostri Philipphi Hispaniarum Regis Catholici Nobis exposito, quod pridem fel. record. Gregorius XV. Prædecessor Noster ad ipsius Philippi Regis instantiam per quasdam suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1662. Idibus Novembris expeditas Literas statuerat, & ordinaverat, ut ex tunc perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli Canonicatus, & prębendæ pœnitentiarii quarumcumque Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum in Regnis Hispaniarum tunc, & pro tempore existentium, tam eatenus instituti, quam deinceps quandocumque pro Decretorum Concilii Tridentini complemento instituendi, quotiescumque illos quibusvis modis, & ex quorumcumque ipsius Gregorii Prædecessoris, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis Cardinalium etiam tunc viventium familiarium continuorum Commentalium

salium, seu Romanæ Curiæ Officialium, aut alias quomodolibet reservationem inducentibus personis, etiam per cessum, etiam permutationis causa in manibus eorum Ordinariorum, vel decessum (non tamen in Curia, aut apud Sedem Apostolicam) seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, aut privationem, extra tamen eamdem Curiam, seu Religionis ingressum, aut matrimonii contractum eos tunc, & pro tempore obtinentium, seu jus in illis, vel ad illos habentium, aut alias quibusvis modis (non tamen per obitum adud Sedem præfatam) ac etiam in aliquibus ex mensibus, in quibus Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio ipsi Gregorio Prædecessori, & Sedi præfatæ etiam per Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas erat, & pro tempore foret reservata, vel etiam Ordinariis Collatoribus per easdem Constitutiones, seu Regulas, vel Literarum alternativarum, aut alia privilegia, & indulta concessa eatenus, & in posterum concedenda simul, vel successive vacare contingeret, etiamsi aliqui eorumdem Canonicatuum, & Præbendarum Pœnitentiariorum, ac tunc, ut præfertur, vel alias quibusvis modis, & ex quorumcumque personis (non tamen per obitum, ut præfertur, apud dictam Sedem) vacarent, & ex eo quod Canonicatus, & Præbendas Pœnitentiarios hujusmodi obtinentes, seu in illis, vel ad alios jus habentes ipsius Gregorii Prædecessoris, & quorumcumque Romanorum Pontificum ejus Prædecessorum, aut S. R. E. Cardinalium etiam viventium, & in dicta Curia præsentium Familiares continui Commensales, seu dictæ Sedis Notarii, Subdiaconi, Acolyti, Cappellani, Literarum Apostolicarum Abbreviatores, Scriptores, Cubicularii, Scutiferi, proventuum, & jurium Cameræ Apostolicæ debitorum Collectores, & Subcollectores, seu quicumque alii Curiæ, & Sedis præfatorum Officiales etiam sub diversis Constitutionibus recol. mem. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris nostri suorum, & pro tempore existentium Romanorum Pontificum Familiarium continuorum Commensalium declaratoriis comprehensi præsentes, & futuri, quocumque nomine nuncupati, seu ex quavis alia causa dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reservati, aut ex generali reservatione Apostolica affecti, seu ad Sedem eamdem devoluti existerent, per Ordinarios Locorum, & Capitula dictarum Ecclesiarum tantum prævio concursu per edictorum affixionem sub certis modo, & forma tunc expressis conferri deberent, cum diversis Ordinationibus, & alias prout in præfatis dicti Gregorii Prædecessoris Literis uberius dicebatur contineri.

Motiva.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto, quod Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiariis Ecclesiæ Barchinonen. per obitum quondam Petri Joannis Atcher, qui illos dum viveret obtinebat, nuper vacantibus, super eorumdem Canonicatus, & Præbendæ provisione, necnon affixione edictorum pro concursu desuper instituendo controversiæ inter Venerabilem Fratrem Episcopum Barchinonen., ac dilectos filios Capitulum, & Canonicos ejusdem Ecclesiæ Barchinonen. fuerant exortæ & ad illos dilectus filius Joseph Gallart., unus ex Oppositoribus electus fuerat; Quia vero prætensum fuerat in antecedenti dictorum Canonicatus, & præbendæ pœnitentiariorum vacatione, in qua dictus Petrus Joannes defunctus de illis provisus extiterat, memoratum statutum dicti Gregorii Prædecessoris Ecclesias Principatus Cathaloniæ minime comprehendere, dictus Philippus Rex Statutum hujusmodi, excepta tamen dicta ultima vacatione, in qua Jus quæsitum parti conservandum erat, ad Ecclesias dicti Principatus a Nobis quatenus opus esset extendi plurimum desiderabat: Nos supplicationibus ipsius Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatum statutum, & ordinationes dicti Gregorii Prædecessoris, ejusque Literas supradictas ad quascumque Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias in dicto Principatu Cathaloniæ nunc, & pro tempore existentes, sine præjudicio tum juris alteri eatenus quæsiti, & alias sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica quatenus opus esset extendimus & ampliavimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis literis die 19. Maii proximi preteriti desuper expeditis uberius continetur.

§. 3. Cum autem, sicut præfatus Philippus Rex Nobis denuo nuper exponi fecit, licet Insula Majoricæ, quippe una ex adjacentibus Insulis dictorum Regnorum Hispaniarum, præfatis Gregorii Prædecessoris Literis comprehendi videatur, nihilominus majoris charitatis gratia, ac ad præcidendas controversiarum, & litium occasiones, ipse Philippus Rex easdem Gregorii Prædecessoris Literas, etiam Cathedralem Ecclesiam Majoricen. comprehendere a Nobis declarari, & quatenus opus sit illas ad Ecclesiam Majoricen. hujusmodi, sine præjudicio tamen litis, quæ inter duos de Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiariis dictæ Ecclesiæ Majoricen. novissime vacantibus a Venerabili Fratre Episcopo, ac a dilectis filiis Capitulo, & Canonicis ipsius Ecclesiæ Majoricen. respective provisos nunc pendet, ac Juris eorumdem provisorum, sed quoad futuras vacationes tantum pariter extendi plurimum cupiat: Nos dicti Philippi Regis desiderio hac quoque in re favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere volentes, necnon præfatarum Gregorii Prædecessoris, & nostrarum Literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, supplicationibus Philippi Regis nomine Nobis iterum super hoc humiliter porrectis inclinati, prenarratum statutum, & Ordinationem memorati Gregorii Prædecessoris, emanatasque desuper ejus Literas præfatas, ac omnia,

Supplicantis votis indulget.

nia, & singula in eis contenta ad præfatam Ecclesiam Majoricen., itaut ex nunc perpetuis futuris temporibus Canonicatus, & Prebendæ Penitentiarii ipsius Ecclesiæ Majoricen., quotiescumque illos, sicut in præfatis Gregorii Prædecessoris Literis expositum est, vacare contigerit, prævio concursu per Ordinarium Loci, & Capitulum dictæ Ecclesiæ Majoricen. tantum per Edictorum affixionem, & alias eisdem modo, & forma, qui in dicti Gregorii Prædecessoris Literis præscribuntur, habendo conferri debeant, & si Canonicatus, & Præbenda Pœnitentiarii, hujusmodi in mense Apostolico vacarent, aut alias ratione personæ, vel loci generaliter, vel specialiter reservati, seu affecti fuerint, ad illos pro tempore assumpti, vel electi intra sex menses a die eorum electionis per Ordinarium, & Capitulum hujusmodi faciendæ Lit. Apostolicas desuper expedire, ac jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita solvere teneantur, & servatis in aliis omnibus, & per omnia earumdem Gregorii Prædecessoris Literarum dispositione, & ordinationibus, pro futuris vacationibus sine præjudicio litis pendentis, & juris alteri cuicumque hactenus quæsiti, auctoritate præfata, tenore præsentium quatenus opus sit extendimus pariter, & ampliamus, dictamque Ecclesiam Majoricen. in futurum gratiis per præfatas Gregorii Prædecessoris Literas Ecclesiis Regnorum Hispaniarum concessis frui, & gaudere debere decernimus, & declaramus.

Clausulas apponit. §.4. Decernentes pariter easdem præsentes literas etiam ex eo, quod causæ, propter quas emanarunt, cor. loci Ordinario etiam tanquam a Sede præfata delegato, vel alias quomodolibet examinatæ, vel justificatæ, purificatæ, aut approbatæ, ipseque Ordinarius, & alii inferiores Collatores, necnon quicumque interesse habentes ad id legitime vocati non fuerint, nec præmissis consenserint, seu etiam enormis, enormissimæ læsionis, vel alio quocumque prætextu, aut ex quavis alia causa, quantumvis legitima, urgenti, & juridica, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus eas quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus a Nobis, & quibuscumque aliis Romanis Pontificibus Successoribus nostris, & dicta Sede, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub data posteriori per Capitulum dictæ Ecclesiæ pro tempore eligenda concessas, validasq; & efficaces fore, & esse, vimque, & robur validi inter dictam Sedem ex una, & Capitulum præfatum ex altera partibus rite & recte initi, stipulati, ac etiam utriusque jurati contractus habere, & perpetuo obtinere, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Ecclesiæ Majoricen., etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Januar. 1663. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 2. Jan. 1663. An. VIII.

CDXXI.

Quod Laici, seu Conversi Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum quartum, ultra tria solita, votum addant de non transeundo ad statum Clericalem, & ad Ord. sacros.

De his Fratribus vide ad Const. 135. *Urb. VIII.* Commissi nobis, *Tom.* 5. *par.* 5. *fol.* 346. *in qua prohibetur transitus ad alios quoscumque Ordines, & ad Const.* 437. Exponi nobis, *Tom.* 6. *par.* 1. *fol.* 359.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, solicitudo Nos admonet, ut paternam Christi fidelium, qui a fluctibus seculi in religiosæ vitæ portum confugerunt, ac in humilitatis spiritu Altissimi obsequiis sese sub suavi arctioris regulæ jugo manciparunt, curam gerentes, felici, prosperoque illorum statui, & quieti, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere studeamus. Procemium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes a conceptione Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redem- Motiva.

demptionis Captivorum, quod cum Fratres dictæ Congregationis ad chorum destinati ex dispositione fel. rec. Pauli PP. V. Prædecessoris nostri quartum votum non ambiendi officia, prælaturas, & dignitates emittant, Capitulum Generale ejusdem Congregationis mense Majo proxime preterito in Civitate Toletana celebratum, ad majorem observantiam, & tranquillitatem dictæ Congregationis decrevit, ut [si ita Nobis placeret] Fratres Laici, seu Conversi Congregationis hujusmodi, qui de cætero profiterentur, ultra tria vota tempore professionis emittenda, aliud votum etiam emitterent, videlicet, se nunquam sacros Ordines recepturos, nec directe, vel indirecte, per se, vel per alios, Ordines hujusmodi prætensuros. Quare dictus Joannes Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præteritis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat ut in rubr. §.2. Nos igitur ipsum Joannem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præcitatum Decretum Capituli Generalis Congregationis hujusmodi viderunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, ut in posterum in dicta Congregatione Fratres Laici, seu Conversi quartum ultra tria solita votum addant, de non transeundo ad statum Clericalem, & ad Ordines Sacros, nec hujusmodi transitum directe, aut indirecte procurando, & ita servari præcipimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ. §.3. Decernentes pariter ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Januarii 1663. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 13. Jan. 1663. An. VIII.

CDXXII.

Quod electiones Guardianorum, Pro-Ministrorum, & Custodum in Familia Ultramontana Ordinis S. Francisci per suffragia secreta, & ballotationes fiant, & in paritate suffragiorum Præsidens votum decisivum habeat.

Vide ad Const. 363. Tom. 6. par. 1. fol. 271. Urbani VIII. Religiosos viros, *in qua agitur de hac electione.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei momoriam.

Creditæ Nobis cœlitus dispensationis ratio exigit, ut paternam Religiosorum virorum, qui abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt, curam gerentes, illorum statui, & felici regimini, quantum Nobis ex alto cenceditur, consulere jugiter studeamus. Exordium.

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius Petrus Roche Commissarius Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, in Provinciis Familiæ Ultramontanæ ejusdem Ordinis introductus sit abusus eligendi Guardianos, & Prominístros, & Custodes viva voce, ac cum publica concertatione suffragantium, in grave libertatis electionum præjudicium, & non sine occasione perturbationum, & litigiorum, quæ exinde inter electores nasci solent, Nobis propterea ipse Petrus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Supplicatio. §.2. Nos igitur dictum Petrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium

Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ut omnes, & singulæ prædictæ electiones in Familia Ultramontana Ordinis hujusmodi deinceps per suffragia secreta, & ballotationes fiant, & in paritate suffragiorum præsidens electionibus supradictis votum, sive suffragium decisivum habeat, juxta dispositionem quarumdam fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis literarum pro Familia Cismontana dicti Ordinis emanatarum, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, & ita servari mandamus, ac præcipimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmat, ut in rub.

Clausulas addit.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Familiæ Ultramontanæ hujusmodi, hujusque Provinciarum quarumlibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Jan. 1663. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

DECRETUM.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis narratis, censuit injungendum, & præcipiendum, prout harum vigore injungit, & præcipit, ut deinceps in singulis præfatis electionibus in familia Ultramontana Ordinis hujusmodi servetur omnino modus, & forma præscripta in Constitutionibus Generalibus familiæ Cismontanæ, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 15. Martii 1663.

M. Card. Ginettus.

Locus ✠ Sigilli.

E. Epis. Camerinensis, Secr.

Modus autem præscriptus in Constitutionibus Generalibus Familiæ Cismontanæ cap. 7. §.36. de Capitulis Provincialibus, num. 7., & sequentibus, talis est.

Antequam Patres ingrediantur Definitorium, fiat inter ipsos discussio super meritis, & qualitatibus promovendorum, & præcipue attendatur justitia distributiva pro pacis conservatione. Deinde Præsidens, seu Provincialis proponat unum pro quolibet Conventu successive, super quo sumantur ab electoribus calculi nigri, vel albi ad hoc præparati, & sic secreto absque alia discussione ponantur in urna. Quod si major pars erit affirmativa, electus intelligatur, si vero erit negativa, proponatur alius a Præside, sive Provinciali, ut supra, donec electio canonice fiat. Quod si vota per tres vices erunt æqualia, Præsides voto decisivo utatur, uti secundum Deum melius videbitur expedire. Alii autem Officiales, videlicet Confessores Monialium, Magistri Novitiorum, Lectores, & alii hujusmodi instituantur a Superiori cum consilio, & consensu Patrum Definitorum, non obstante quacumque consuetudine immemorabili in contrarium, &c.

XDXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio determinationis Capituli Provincialis Provinciæ Portugalliæ tertii Ordinis S. Francisci factæ, ac a Generali, & Cardinali Protectore confirmatæ circa alternativam Officiorum inter Fratres Conventuum Ulixbonen., & de Deira ejusdem Provinciæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Provincialis, ac Custos, Definitores, & Fratres Provinciæ Portugalliæ Tertii Ordinis S. Francisci quod in ultimo Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ unanimi vocalium assensu pro conservatione pacis, & mutuæ dilectionis incremento determinatum fuit, ut in futuris electionibus, & institutionibus Ministri Provincialis, Custodis, Definitorum, ac Lectorum singulis trienniis, sicuti quoque in eventum subrogationis servetur alternativa alias introducta, & ante viginti annos auctoritate quondam Bernardini de Senis, dum vixit, Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum con-

confirmata inter Fratres Conventuum Ulixbonen., & de Deira nuncupat. ejusdem Provinciæ.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat determinatio hujusmodi a dilecto filio Moderno Ministro Generali dicti Ordinis, ac etiam a Venerabili Fratre nostro Francisco Episcopo Portuen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale Barberino nuncupato ejusdem Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore confirmata, & approbata fuerit; firmiora vero sunt illa, quæ Apostolici muniminis præsidio roborantur: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decretum confirmat.

§.3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existunt, ad effectum præsentiũ dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, determinationem præfatam in ultimo Capitulo Provinciali Provinciæ hujusmodi factam, ut præfertur, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ, hujusmodi hujusque Conventuum quorumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datu m Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Januarii 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 26. Jan. 1663. An. VIII.

CDXXIV.

Subsidium centum millium scutorum super redditibus Ecclesiasticis in Dominio Venetorum existen. pro Republica Veneta ad effectum illud in expensas contra Turcas, & non in alios usus expendendi.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§.1. Etsi Nobis pro cura pastoralis officii divina disponente providentia Nobis meritis licet imparibus commissi, nihil magis cordi sit, quam personas Ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque nisi summa necessitas cogat, reipsa animo statuerimus: nihilominus, sicut jam omnibus notum esse debet, cum Turcarum Tyrannus nefarium bellum, quod a septendecim, vel circiter annis dilectis filiis Nobilibus Viris Duci, & Dominio Venetorum intulit, etiamnum ingenti apparatu, maximisque viribus prosequatur, & propterea ipsi Dux, & Dominium majores, quam unquam antea tam maritimas, quam terrestres copias, ut se, suaque tueantur parare, & instituere, ac proinde ingentes expensas facere modo compellantur. Nos considerantes non minus Clericorum, quam Laicorum interesse, ut ea, quæ ad defensionem hujusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo Christiani nominis hostes infensissimi a Christifidelium cervicibus, adjuvante Domino repellantur, cogimur de universi Cleri Dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo, periculosissimoq; casu fiduciam sumere, sperantes, quod ipsi hoc onus urgentissima necessitate, & justissima de causa a Nobis sibi impositum æquo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus, & singulis fructibus, redditibus, & proventibus secundum verum annuum valorem præsentis anni quarumcumque Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Patriarchalium, atque aliarum Ecclesiarum, ac Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac Hospitalium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum (non tamen Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, cujus Fratres pro munienda, & defendenda adversus improbos eorumdem Turcarum conatus Insula Melevitana gravissimos sumptus subire, & magnum æs alienum con-

Imponit solutionem, ut in rubric.

contrahere oportuit) regularium cum cura, & sine cura in dicto Dominio existentium a Ven. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, cæterisque personis Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus quibuscumque tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis, & quantumvis privilegiatis etiam S. R. E. Cardinalibus, necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cistercien., Cluniacen., Præmostraten., Carthusien., Camaldulen., Montis Oliveti, Vallis Umbrosæ Monachorum, Eremitarum S. Hieronymi, & quorumcumque aliorum Ordinum necnon Cassinen. alias S. Justinæ, S. Salvatoris, & Lateranen., aliarumque Congregationum tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantium ex privilegio, & alias bona immobilia, seu certos redditus quoquo modo Ecclesiasticos habentium in Dominio prædicto Ecclesias Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica obtinen., & fructus Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum hujusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, & sub quibusvis obligationibus etiam in forma Cameræ Apostolicæ, & juramento, etiam cum susceptione censurarum, & de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, & concessis non utendo vallatis, & forsan aliis etiam efficacioribus cautelis, & decretis, ac clausulis super iisdem fructibus, & pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in forma Depositi habentibus, & intra præsentem annum habituris cujuscumque præeminentiæ, status, gradus, ordinis, & conditionis etiam religionis, vel militiæ existant, quibus, aut quorum aliquibus ulla privilegia, exemptiones, aut indulta sub quacumque verborum forma, & expressione concessa quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus, fratribus, & personis dicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in totum, & omnino, cæteris vero Hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro ea quantitate tantum, quam in servanda ipsa hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, & dummodo a personis Ordinum Mendicantium non nisi medietas ejus partis, quæ ratione subsidii hujusmodi ab eis solvenda esset, solum exigatur, proportionabiliter, & æqualiter juxta verum valorem prædictum inter prædictas personas Ecclesiasticas secundum æqualem, & discretam partitionem, quam ad Nos quamprimum mitti mandamus per Ven. Fratres Jacobum Archiepiscopum Athenarum Nuncium nostrum, & Patriarcham Venetiarum distribuen., ac in locis, & terminis, modisque, & formis per ipsos Jacobum Archiepiscopum Nuncium, & Patriarcham, quos Collectores Generales subsidii hujusmodi harum serie constituimus, & deputamus, statuen., ordinan., & declaran. omnino de præsenti anno persolven., ac per eos, & eorum subcollectores, qui sint personæ Ecclesiasticæ ad hoc ab ipsis deputandos percipien., exigen., & levan., ac Duci, & Dominio prædictis cum effectu consignan., ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas, & non in alios usus convertere valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium imponimus, impositumque fore, & esse decernimus, & declaramus.

§. 2. Necnon eisdem Collectoribus Generalibus, & ab eis deputandis Subcollectoribus hujusmodi a Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus Electis, Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, Præceptoribus, Præpositis, Prælatis, Capitulo, Conventibus, & aliis personis ecclesiasticis prædictis (præterquam, ut supra exceptis) ratam dicti subsidii eos, & eorum quemlibet, ut præmittitur tangentem petendi, exigendi, & colligendi, eisque, & eorum singulis, ut illam modo præmisso solvant per pœnas quoad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos interdicti, & suspensionis ingressus Ecclesiæ; quoad alios vero privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & alias de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras ecclesiasticas, cæteraque opportuna juris, & facti remedia mandandi, & præcipiendi, contradictores quoslibet, rebelles, & suam ipsius subsidii partem solvere recusantes, seu differentes, & ne illa solvatur persuadentes directe, vel indirecte, per pœnas, censuras, & remedia hujusmodi, appellatione postposita compescendi, brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi, solventes de solutis quietandi, & liberandi a censuris, & pœnis, quas præmissorum occasione quomodolibet incurrerint absolvendi, & generaliter omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna etiamsi mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus sit expressum faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi, & exequendi plenam, & liberam, auctoritate, & tenore prædictis, facultatem concedimus, & potestatem. Volentes tamen, quod personæ Ecclesiasticæ ratione subsidii hujusmodi eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam ratione similium subsidiorum a fel. recor. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro, & Nobis respective concessorum solverunt & nihil amplius, quodque expensæ, quæ circa exactionem subsidii hujusmodi forsan faciendæ fuerint, in centum millibus scutis prædictis minime computari debeant, sed dictæ personæ Ecclesiasticæ expensas ipsas ultra ratam partem, quam ratione ejusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Contravenientium pœnæ.

§. 3. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis universalibus editis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prio-

Derogatio contrariorum

Prioratuum, Ordinum, Congregationum, & Militiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, & immunitatibus etiam in corpore juris clausis, ac Literis Apostolicis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Præceptoriis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, & Militiis, aliisque prædictis in genere, vel in specie sub quacumque forma, & verborum expressione a Nobis, & Sede Apostolica etiam consistorialiter, & motu simili, ac alias quovis modo emanatis, concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse, quod per hujusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censeatur nisi sub certis modo, & forma in eis expressis, tenores hujusmodi acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis, ac modum, & formam ad id servandos pro individuo servatis habentes ad præmissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Commendatariis, cæterisque prædictis, & quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptorum fides. §.5. Volumus autem quod juxta Ordinationem in Concilio Viennen., super hoc editam, calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum Prioratuum, & aliorum Beneficiorum, & piorum locorum sub præsentibus comprehensorum divino cultui dedicata causa pignoris, vel alias occasione solutionis subsidii hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur. Quodque earumdem præsentium literarum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus ex dictis Collectoribus, vel alterius Prælati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra, ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 3. Febr. 1663. An. VII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Februarii 1663. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CDXXV.

Quod Fratribus Laicis Congregationis Gallicanæ Fratrum Reformatorum nuncupatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum non competit jus suffragandi in electionibus, & receptionibus Novitiorum in Capitulis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Gallicanæ Fratrum Reformatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres Conversi, seu Laici dictæ Congregationis se ab eorum Superioribus, & Fratribus Sacerdotibus ejusdem Congregationis voce activa, & jure suffragandi, secundum dispositionem Regulæ dicti Ordinis a fel. rec. Innocentio Papa III. Prædecessore nostro specifice confirmatæ Fratribus Clericis, & Laicis æqualiter competente nulliter, & de facto spoliatos esse prætenderint, eaque super re ad Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositos recursum habuerint, dictus vero Procurator Generalis controversiam hujusmodi a Nobis dirimi summopere desideret. Supplicatio.

§.1. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, & eorumdem Cardinalium, qui rem partibus auditis mature examinarunt, ac discusserunt, consilio, Fratribus Laicis hujusmodi non competere jus suffragandi in electionibus, & receptionibus Novitiorum auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus, ac decernimus, & ita imposterum servari mandamus, & præcipimus. Decretum confirmat.

Clausulæ. §.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus in contrarium allatis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit,

sit, prædictorum Ordinis, & Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Febr 1663. An.VIII. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Febr. 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Decreti circa prohibitionem erectionis novorum Conventuum in Provincia Aragoniæ Ordinis Fratrum S. Francisci de Observantia.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. §.1. Alias pro parte dilecti filii Bernardini Saeton Fratris, ac Procuratoris Provinciæ Aragoniæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum considerato per fel. recordat. Clementem Papam VIII. Predecessorem nostrum in Provincia Carthaginensi dicti Ordinis, licet angusta, triginta tres, & ex illis octo Fratrum Recollectorum Conventus contineri; Provinciam vero Sanctorum Joannis Baptistæ, & Josephi in ejusdem Regionis circuitu septem Conventus habere, aliosque de novo erigere, unde seculares prægravabantur; dicti autem Recollecti eleemosynis quotidianis vivere nequibant, sdd a puritate Regulæ recedere cogebantur, eleemosynas ad sui sustentationem accumulando, quinimmo ob Conventuum multitudinem necesse illis erat Novitios omnis generis recipere, ipse Clemens Prædecessor, ut his, aliisque inconvenientibus occurreret, ordinaverat, ne ex tunc in posterum ędificari posset ullus Conventus prope alios erectos intra spatium quatuor, vel quinque leucarum, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris Literis die 11. Julii 1601. desuper expeditis uberius dicitur contineri.

Et in eadem expositione subjuncto, quod in prefata Provincia Aragonię eadem imo majora nascebantur inconvenientia cum illa intra minoris Regionis spatium viginti septem Conventus, & duo Oratoria contineret, & ex illis quinque Recollectorum regulam in illis pure observantium; necnon septendecim Conventus Fratrum Minorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum in ejusdem Regni ambitu, & quamplures alii diversorum Ordinum mendicantium, Reformatorum, atque Discalceatorum Conventus reperirentur, ex quibus & seculares valde gravabantur, & quamplurimæ ob novarum fundationum prætensiones tam inter seculares, quam inter Clericos, & Regulares oriebantur discordiæ, cum maximo regularis disciplinæ detrimento, ac etiam populorum scandalo. Ideoque per præfatum Bernardinum dictę Congregationi supplicato, ut ordinaret, ne in dicta Provincia, seu Regno ad ullam Conventuum, Domorum, sive Hospitiorum tam Fratrum Cappuccinorum, quam aliorum Regularium erectionem, seu illorum retentionem deveniri posset infra spatium quinque leucarum, prope alios erectos sine illorum consensu, & absque expressa Sedis Apostolic. licentia, prout similiter pro Provincia Burgensi, & Granatensi ordinatum fuisse idem Bernardinus asserebat: emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita; attentis, naratis, censuit, & decrevit servandam esse formam, ac tenorem memorati Brevis san. mem Clementis VIII. etiam in Provincia Aragoniæ Ordinis hujusmodi: ideoque nedum Fratribus Cappuccinis, sed etiam aliis cujuslibet Ordinis Regularibus novorum Conventuum, Hospitiorum, seu Domorum, & sub quovis titulo habitationum erectionem absque Sedis Apostolicæ licentia contra tenorem dicti Brevis in prefata Provincja esse prohibendum, & interdicendum, prout harum serie prohibet, & interdicit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 12. Januarii 1663. Decretum Sacræ Congr.

M. Cardinalis Ginettus

E. Episcopus Camerinen. Secr.

Loco ✠ Sigilli.

§.2. Cum autem, sicut dictus Bernardinus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro illius firmiori subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsum Bernardinum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit,

stit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis, apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmat Decretum.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Febr. 1663. An. VIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die duodecima Februarii 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Jubilæum ad divinam opem implorandam.

ALEXANDER PAPA VII.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

§. 1. Omnipotens Deus, Magnus Dominus Noster, cujus sapientiæ non est numerus, infima Mundi minime spernens nostram infirmitatem, & humilitatem ad summum Apostolatus gradum provehere dignatus est, ut ejus solius virtute confisi, iis, quæ in ejus grege, magno pretio empto, remediis indigent, opportune subveniremus. Quapropter Ecclesiæ suæ Nobis creditæ necessitates animadvertentes, ad remedia Nobis divina illius clementia tradita confugere opus esse existimavimus; ad pœnitentiam scilicet, orationem, jejunia, & eleemosynas; sperantes, quod qui non castigat propter peccata nostra, ad eum conversos benigne respiciet, & communes populi sui supplicantis voces exaudiens, misericordiarum suarum participes reddet. Quamobrem omnes utriusque sexus Christifideles paterne in Domino requirimus, & enixe per Viscera Misericordiæ Dei Nostri hortamur, ut convertantur ad Dominum in toto corde, & per salutarem pœnitentiam se ab omni vitiorum labe expurgent, peccata sua eleemosynis rediment, ac veteris exuentes, justitiam induant, & sanctitatem, itaut omnes spiritu renovati adire possimus cum fiducia Sanctuarium Dei, in humilitate cordis, & contritione, & quibus nunc indigemus, auxilia per Jesum Christum Dominum nostrum consequi mereamur, eaque mala, & incommoda, quibus Christiana Respublica premitur, & pericula, quæ impendent procul ipse avertat, & Ecclesiæ suæ Sanctæ succurrat. Ut autem Christifideles unanimes pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, veræ fidei propagatione, heresumque extirpatione, Principum Christianorum concordia, & unione, cunctisque Ecclesiæ necessitatibus, ac pro nostra, totiusque Christiani populi salute eo libentius Deum precentur, quo uberius spiritualibus gratiis se refertos esse cognoverint de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli ejus Apostolorum auctoritate confisi ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe degentibus, qui Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris ejusdem Urbis Ecclesias, seu Basilicas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac sabbatho alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, vel possibilitas, erogaverint; cæteris vero extra Urbem ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duorum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem nostri Prædecessores concedere consueverunt, tenore præsentium concedimus, & elargimur; navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum sese ad sua Domicilia receperint suprascriptis peractis, & vi-

Jubilæum instituit.

& visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Provinciali loci eorum Domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe prædicta, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in literis die cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque religionis, & castitatis exceptis, in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumq; existen. eorumque Vicariis, & Officialibus, vel aliis deficientibus illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum trãsumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent ne alias ulterius præsentium literarum executio protrahatur. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, & interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere,

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, præsertim, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Rom.Pont.pro tempore existenti reservatur, ut nec etiã similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatũ hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, umquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congreg., sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idẽ importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse, ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Contrariis derogat.*

§.3. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Transumptis danda fides.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimasexta Februar. 1663. Pontificatus nostri Anno VIII. *Dat. die 16. Febr. 1663. An. VIII.*

De-

CDXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Decreti Congreg. Episc., & Regularium, quo statuitur, ne posthac in Provincia Mediolanen. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia ad Fundationes novorum Conventuum, ne dum Fratrum Reformatorum Observantiæ S. Francisci, verum eiam cujusvis alterius Ordinis Mendicantium procedi possit, nisi servata a Conventibus dd. Fratrum Minorum distantia decem Milliarium Mensuræ illarum partium.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, & totius Definitorii Provinciæ Mediolanen. Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet Fratres reformati nuncupati ejusdem Provinciæ Mediolanen. plures Conventus, quam aliæ Provinciæ Reformatæ in Lombardia, Dominio Reipublicæ Januen., Etruria, Marchia Anconitana, ac Umbria, & Regno Neapolitano consistentes habere reperirentur, ipsi Fratres Reformati nihilominus novos sui instituti Conventus in locis, ubi tam Fratres Minores de Observantia, quam Cappuccini eleemosynas pro sustentatione Religiosorum in eorum respective Conventibus degentium querere solent, erigi procurare non cessabant, nunc hos, nunc illos inquirendo; Et in eadem expositione subjuncto, quod si novi Conventus hujusmodi erigerentur, Religiosi in Conventibus jam erectis eo numero, quo ad obeunda divina obsequia requiritur sustentari nequirent; Ideoque ad evitandum tam grave præjudicium per eosdem exponentes præfatæ Cardinalium Congregationi supplicato, ut quemadmodum ipsa Congregatio pro Burgen., Granaten., & Aragoniæ per diversa Decreta, & felic. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster pro Carthaginen., Provinciis Fratrum Minorum de Observantia dicti Ordinis per quasdam suas in simili forma Brevis Literas mense Januar. 1601. expeditas respective in simili casu providisse, seu decrevisse reperiuntur, ita quoque in præmissis, seu alias opportune provideret: emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Sacræ Congreg. Sacr. Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster antescriptas preces remisit ad hoc, ut in posterum Provinciæ hujusmodi tranquillitati, & paci consolatur, & discordiis, litibusque præcludatur aditus, audito Procuratore Generali Ordinis, statuit, & decrevit, ne post hac in dicta Provincia ad fundationem novorum Conventuum nedum Fratrum Reformatorum Observantiæ Sancti Francisci; verum etiam cujusvis alterius Ordinis Mendicantis procedi possit, nisi servata a Conventibus Oratorum distantia decem milliariorum mensuræ illarum partium, Et ita harum vigore decrevit, servarique mandat, ac præcipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 26. Januarii 1663.

M. Card. Ginettus,

E. Episcopus Camerinen. Secret.

Loco ✠ signi,

§.2. Cum autem, sicut præfati Minister Provincialis, & Definitorium Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Decretum præfatum cōfirmat.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulas apponit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die decimasexta Februarii 1663. Pontificatus nostri Anno VIII. Dat. die 16. Febr. 1663. An. VIII.

Con-

CDXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Statuti super uniformitate habitus Congregationis Vallis Umbrosæ, & Silvestrinæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Abbas Generalis Congregationis Vallis Umbrosæ, ac Silvestrinæ Ordinis S. Benedicti, quod cum per nostras in simili forma Brevis Literas, per quas Congregationes Monachorum Vallis Umbrosæ, & Silvestrinorum in unam conjunximus, & univimus, inter alia caveatur expresse, ut Constitutiones ambarum Congregationum, hujusmodi a dicto Abbate Generali, & aliis per easdem Literas deputatis revideantur, & ad congruentem tertiam formam reducantur, ipse Abbas Generalis, & Deputati præfati habitis desuper pluribus congressibus, inter alia Statutum ediderant tenoris, qui sequitur, videlicet.

Statutum. §. 2. Cum nostrum sit omni studio in eam curam incumbere, ut Constitutio super unione Congregationum Vallis Umbrosæ, & Silvestrinæ a Sanctissimo Domino Nostro in commune bonum Religionis non ita pridem edita suum in omnibus sortiatur effectum, & proinde Monachi omnes sub uno capite in unam Congregationem jam redacti in cunctis uniformiter procedant; hæc vero uniformitas propter fulvum, & intermedium colorem, quo huc usque usi sunt, vix servari possit, imo & Monachi Vallis Umbrosæ inter se, & Silvestrini a Silvestrinis sæpe sæpius discrepent: idcirco præcipimus, ut omnes, & singuli nostræ Congregationis Monachi, dimisso habitu memorati coloris, imposterum nigris tantum incedant vestibus, ut sic appareant esse Monachi unius, & ejusdem Congregationis, ac propterea laneum collare album supra vestem gestent, ut reliquos Monasticos Ordines imitentur, atque in Caputii Cucullæ, ac Vestium structura eadem prorsus ab omnibus servetur forma, & in Superiori, & inferiori labio, & mento aliquantulum deferant barbę omni prorsus curiositate, & vanitate rejecta, atque interdicta.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Abbas Generalis Statutum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Abbatis Generalis votis in præmissis favorabiliter annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statutum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus. Statutum præinsertum confirmat.

Decretum irritans. §. 4. Decernentes statutum præinsertum, ac præsentes literas semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in Literis nostris supradictis voluimus non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 20. Febr. 1663. An. VIII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Febr. 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDXXX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio, & quatenus opus sit Innovatio Brevium Pii IV., & in eis relatarum, necnon Pii V. Literarum ad favorem Domus, seu Hospitalis, ac Archiconfraternitatis, & Monasterii Sanctissimæ Annunciationis Neophytorum, & Cathecumenorum de Urbe, cum Decreto, quod Gregorii XV., aliæque super exemptorum privilegiis emanatæ Constitutiones Apostolicæ, quoad impediendum liberum exercitium jurisdictionis tam spiritualis, quam temporalis in Domo, seu Hospitali, ac Monasterio prædictis Cardinali Protectori pro tempore existenti per Brevia prædicta concessum nequaquam locum habeant &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium. ILlius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum vices, licet immeriti, gerentes in terris, ex debito pastoralis officii Nobis commissi circa statum omnium Christifidelium, & præsertim eorum, qui ex Judaica cæcitate ad veri luminis agnitionem, Deo donante, conversi, divinis obsequiis sese sub suavi reli-

religionis jugo devoverunt, ac Christianæ caritatis, & aliis pietatis operibus sedulo incumbunt, propensis studiis intendimus, ac illorum felici regimini, & gubernio salubriter providere satagemus, sicut in Domino cognoscimus expedire.

§.1. Exposuit siquidem Nobis nuper dilectus filius noster Benedictus tituli Sancti Honuphrii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Odeschalcus nuncupatus, modernus Domus, seu Hospitalis ac Archiconfraternitatis, & Monasterii Sanctissimæ Annunciationis Neophytorum & Cathecumenorum de Urbe apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, quod licet dudum postquam felic. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 23. Januar. 1560. expeditas Literas indulta, privilegia, & gratias a diversis Romanis Pontificibus suis, nostrisque Prædecessoribus Domui, seu Hospitali, ac Archiconfraternitati, & Monasterio prædictis concessa Apostolica auctoritate approbaverat, & confirmaverat, emanaverint ab eodem Pio Prædecessore aliæ pariter in forma Brevis Literę tenoris, qui sequitur, videlicet.

Const. Pii IV. Pius Papa Quartus, Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter coeteras Romani Pontificis, qui Christi vices gerit in terris, sollicitudines, illa potissimum ipsius animum urgeat, ut eos, quos Satanæ perfidia a Christi fide alienat, ad Ecclesiæ gremium reducat, decet eum his sępè, quę per Prædecessores suos in Neophytorum commodum provide facta, & concessa dicantur, Apostolici muniminis adiicere firmitatem, ac illa, ut exinde optatum consequantur effectum, indulgentiis, & peccatorum remissionibus Christifideles ad id alliciendo, favoribus prosequi opportunis.

Expositio. §.2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Præpositus, Administrator, Rector, Gubernator, Œconomus, Ministri, & aliæ personæ Archiconfraternitatis Judeorum Hæbreorum, & Infidelium conversorum Almæ Urbis nostræ, quod cum alias felic. record. Paulus Papa III. Prædecessor noster, postquam intellexerat nonnullos Hæbreos, seu Judæos divinitus inspiratos tenebrosam coecitatem qua tunc detinebantur abjecisse, & ad veri luminis cognitionem conversos Sacro Baptismatis Fonte absolutos fuisse, ac ob diversa munera, & gratias ex Sedis Apostolicæ benignitate eis concessa, quam plurimos alios Hæbreos, seu Judæos, simili accensos desiderio eamdem coecitatem abiicere, & ipsum verum Dei lumen agnoscere desiderare. Cumque in dicta Urbe nullus locus existeret, in quo ipsi ex Judaica coecitate ad Christi fidem conversi recipi valerent, idem Paulus Prædecessor supplicationibus sibi tunc pro parte dilecti filii Joannis de Torano Rectoris Parochialis Ecclesiæ Sancti Joannis de Mercato Regionis Campitelli dictæ Urbis desuper porrectis inclinatus, eidem Joanni unum Monasterium pro puellis, & unum Hospitale sub Sancti Josephi, seu alia, de qua eidem Joanni videretur invocatione, pro viris Judæis, & aliis pro tempore ad Christi fidem convertendis, prope Ecclesiam Sancti Joannis præfatam in loco ad tunc designato ex bonis sibi a Deo collatis, & Christifidelium eleemosynis concessis, & concedendis construi faciendi licentiam, & facultatem concesserit, & postquam constructa fuerit in Monasterium, & Hospitale eorumdem Judæorum conversorum sine alicujus præjudicio perpetuo erexerit, illisque pro illorum dote bona quæcumque illis eroganda, & relinquenda perpetuo applicaverit, & appropriaverit; Ac in Monasterio, & Hospitali præfatis unam Archiconfraternitatem, quæ caput omnium aliarum Confraternitatum, & Hospitalium, Monasteriorum, & aliorum locorum conversorum hujusmodi ubilibet pro tempore institutorum, & erectorum instituendo, ipsas eidem Archiconfraternitati immediate subjecerit, & membra ab ea fecerit dependentia, ita quod Confraternitates, Monasteria, Hospitalia, ac loca ad usum hujusmodi, ut præfertur, constructa, ipsam Archiconfraternitatem in aliqua saltem reverentia singulis annis recognoscere tenerentur, necnon Confratribus Monasterio, Hospitali, ac Ecclesiæ prædictis, illorumque Administratoribus, Gubernatoribus, Rectoribus, Œconomis, Ministris, Conversisque, & aliis personis pro tempore, ac existentibus, seu de illis, ac Monasteriis, & Hospitalis prædictorum fabrica curam aliquam habentibus: Nec non tam personis inibi pro tempore decedentibus, seu aliquid de bonis suis prædictis operibus relinquentibus, quod omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis etiam plenariis, ac peccatorum remissionibus, & aliis gratiis spiritualibus imagini Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum, & Charitatis, & Corporis Christi, Sacramenti, & Campi Sancti Confraternitatibus, Archihospitali Sancti Jacobi in Augusta, & Sancti Spiritus in Saxia Hospitali dictæ Urbis, cæterisque Hospitalibus, & Confraternitatibus suis eadem Urbe consistentibus, & Fabricæ Principis Apostolorum dictæ Urbis, illiusque Deputatis, & eorum, ac Beatæ Mariæ de Populo, Consolationis, Sancti Joannis Baptistæ Florentinorum, & ejusdem Campi Sancti, aliisque ejusdem Urbis Ecclesiis, ac illa, & illis visitantibus, vel illorum Benefactoribus, eorumque Administratoribus, & Guardianis, Rectoribus, Œconomis generalibus, & aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac Judæis & conversis quibuscumque etiam per eumdem Paulum, & quoscumque alios Romanos Pontifices etiam Prædecessores suos, ac Sedem eamdem hactenus quomodolibet concessis, & in futurum concedendis; quæ omnia, & Literas desuper confectas præfatus Paulus Prædecessor haberi voluit pro expressis, & quibus illæ, illi, & illa utebantur

bantur potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, Archiconfraternitas, illiusque Confratres, Monasterium, tunc construendum Hospitale, & Ecclesia, illorumque Administratores, Familiares, Ministri, Œconomi, & aliæ personæ similem curam inibi sumentes, & illa visitantes ac eis benefacientes ex tunc, & in perpetuum uti, potiri, & gaudere quomodolibet libere, & licite valerent, in omnibus, & per omnia perinde acsi Monasterio, & Hospitali, ac Ecclesiæ, & Confratribus prædictis, illorumque Rectoribus, Administratoribus, Gubernatoribus, Œconomis, Servitoribus, Familiaribus, Ministris, & Conversis, & illis personis, ac illa visitantibus, & eis benefacientibus pro tempore specialiter & expresse concessa fuissent, & in futurum concederentur: Necnon Presbyteris quibuscumque, qui in Monasterio, seu Hospitali, aut Ecclesia prædictis quocumque tempore celebrarent, & pro quibus iidem Presbyteri inibi celebrarent, & orarent easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ celebrantibus in Scala Cæli, & trium fontium nuncupatorum, Monasteriorum S. Francisci de Observantia, & Cistercien. respective Ordinum extra muros dictæ Urbis, necnon Cappella in Presepe Domini sita in Ecclesia Beatæ Mariæ Majoris de Urbe prædicta, ac animabus, pro quibus iidem Presbyteri celebrarent, & orarent concesserit, & indulserit, ac Indulgentias, privilegia, Indulta, exemptiones, immunitates, libertates, & alias concessiones, remissiones hujusmodi ad illos, illas, & illa extenderit, prorogaverit, & ampliaverit, quodque pro tempore existentes Præpositus, & Administrator, Rector, Gubernator, Œconomus, Ministri, & Conversi, aliæque personæ præfatæ Indulgentias, privilegia, Indulta, exemptiones, immunitates, libertates, aliasque concessiones, & remissiones hujusmodi, & die ac festo, in quibus, & causas, propter quas illa consequi deberent, ad eorum beneplacitum publicari facere, & eleemosynas ipsis per fideles quoslibet illis pro tempore elargiendas recipere, & personas ad hujusmodi eleemosynas colligendas deputare, ac quilibet Confrater, aliaque persona Archiconfraternitatis, Monasterii, & Hospitalis Confratrũ Presbyterorum, & Conversorum hujusmodi quemcumque Presbyterorum secularem in suum possent eligere Confessorem, qui eos, & eorum quemlibet a quibuscumque casibus quantumcumque gravibus, etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicę in dictis Literis expressis, ac etiam Apostolicæ Sedi reservatis absolvere, & Confessionale, & Altare portatile juxta formam, & Literas prædictas habere possent licentiam, & facultatem concesserit. Ejusdemque Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore existentibus vere pœnitentibus, & confessis, seu statutis a jure temporibus confitendi propositum habentibus, qui in ejusdem Sancti Josephi, & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, seu aliis per Præpositum, Administratores, & Gubernatores ad id nominandis festis, seu diebus a primis Vesperis, usque ad occasum solis sequentis diei Monasterium, & Hospitale, ac Ecclesiam hujusmodi devote visitarent, & pro præmissis operibus manus adjutrices juxta eorum arbitrium porrigerent plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, ac Jubileum, & remissionem in Domino misericorditer elargitus est, cum decreti, mandati, derogationis, aliisque clausulis, prout in ipsius Pauli Prædecessoris Literis: quarum ac privilegiorum, exemptionum: Indulgentiarum, & Indultorum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Protectoris, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu alicujus Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi voluit, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, eisdem post viginti annos quoad Indulgentiam plenariam, & remissionem prædictam minime valituris, & aliis in forma motus proprii in Camera Apostolica prædicta recepti, & admissi; Quas Nos, omniaque, & singula privilegia, exemptiones, prærogativas, Indulta, Indulgentias, aliaque in eis contenta præmissorum, & aliorum intuitu ex certa scientia cum decreti, mandati, derogationis, aliisque clausulis confirmavimus, approbavimus, & innovavimus, prout in nostris in simili forma Brevis literis plenius continetur.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat Dilecta in Christo Julia Columna Nobis Mulier Romana terrena in cælestia, & transitoria in æterna, felici commercio commutare cupiens, postquam quamdam domum in dicta Religione Campitelli ejusd. Almæ Urbis nostræ consistentem Confraternitati Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ Virginis super Minervam instituta sub certis modo, & forma, ac inibi expressis conditionibus donaverat, & concesserat ejusdem Confraternitatis Confratres donum hujusmodi Virginibus Neophitis, & ad Orthodoxam Jesu Christi fidem conversis, etiam sub nonnullis conditionibus, ac modo, & forma tunc specificatis etiam donaverit, & concesserit, prout in Instrumentis, seu scripturis desuper confectis latius dicitur contineri, & dictæ Virgines, seu earum aliqua ut Jesu Christo Dei filio earum Sponso, qui est speciosus forma præ filiis hominum magis placere, & Altissimo purius, & sincerius famulari possent in eadem domo unum Monasterium Virginum Neophytarum Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici sub regula Sancti Augustini construi facere, & sub ejusdem Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Invocatione per Nos erigi desiderent; Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut huic honesto eorum desiderio satisfacere, aliasque in præmissis opportune providere de benigni-

benignitate Apostolica dignaremur. Nos attendentes premissa omnia in præfati Pauli Prædecessoris, & nostræ intentionis executionem tendere, eoque firmiori robore, & pleniori gratia gaudere, ac frui debere, quo major, & uberior fructus ex illis provenit pium hujusmodi opus confovere, & eisdem Virginibus in sancto eorum desiderio paterno affectu providere, ac eas spirituali gratiæ favore prosequi volentes, ac dictæ Confraternitatis hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: Necnon Literarum ipsius Pauli Prędecessoris, ac Instrumentorum, & Scripturarum hujusmodi uberiores tenores præsentibus pro expressis habentes ejusd. Archiconfraternitatis Confratribus, ut in eadem Domo unum Ordinis prædicti Monasterium cum Ecclesia, Campanilis, Cymbalis, Campanis, Cœmeterio, Dormitorio, Refectorio, Claustro, Hortis, hortalitiis, & Officinis, aliisque necessariis Superioris dicti Ordinis, vel cujusvis alterius licentia minime requisita constitui, & ædificari facere libere, & licite possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium indulgemus; Et postquam convenienti clausura munitum fuerit Monasterium illud sub invocatione ejusdem Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis pro perpetuis usu, & habitatione Priorissæ, & Monialium, seu Virginum Neophytarum Ordinem præfatum profiteri volentium, ad electionem dilecti filii nostri Joannis Michaelis tit. Sanctæ Anastasiæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Saraceni nuncupati moderni, & pro tempore existentis Societatis Cathecumenorum, & Neophytorum, & ad fidem Christi conversorum Protectoris perpetuo introducendarum, & juxta regularia dicti Ordinis instituta recipiendarum, quæ inibi sub regulari observantia, & perpetua clausura, & sub cura, visitatione, correctione, administratione, superioritate, ac jurisdictione tam in spiritualibus, quam in temporalibus ejusdem moderni, & pro tempore existentis Protectoris Altissimo famulentur, perpetuo erigimus, & instituimus, ac illi sic erecto pro ejus dote omnia, & singula bona, oblationes, & eleemosynas, aliaque pia subsidia, per quoscumque Christifideles elargienda, & donanda perpetuo applicamus, & appropriamus, præfatasque Virgines, quæ in dicta domo nunc existunt, & quæ habitum Monachalem suscipere possunt, ac volunt, aliasque pro tempore in prædicto Monasterio introducendas per Protectorem prædictum, aut alium ab eo ad id suo arbitrio deputandum velari, & habitum prædictum, sicut præmittitur, illis imponi posse volumus, & concedimus; dictumque Monasterium, ac illius Priorissam, & Moniales, seu Virgines, & illius personas, ac bona quæcumque nunc, & pro tempore existentia ab omni cujuscumque alterius jurisdictione, superioritate, cura, correctione, visitatione, dominio, potestate; necnon a solutione quarumcumque decimarum, ac cujuscumque subsidii, Gabellæ, & cujusvis alterius ordinis, tam ordinarii, quam extraordinarii ex quacumque causa, etiam urgentissima, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem, & Cameram præfatam, & quoscumque alios quomodolibet impositis, & imponendis eadem auctoritate penitus eximimus, & liberamus. Nobisque, & eidem Sedi, ac Joanni Michaeli Cardinali, & pro tempore existenti Protectori præfato immediate subiicimus, ipsumque Joannem Michaelem Cardinalem, & pro tempore existentem domus Cathecumenorum, & Neophytarum prædictarum Protectorem in ejusdem Monasterii sic erecti Protectorem eligimus, & deputamus; sibique, & per se, seu quemcumque Catholicum Antistitem Priorissam, & Moniales Monasterii præfati benedicere, & velare, ac quæcumque Statuta, Ordinationes, & Capitula felix regimen, & prosperum statum Monasterii, & illius personarum hujusmodi concernentia, licita, & honesta, ac Sacris Canonibus non contraria condere, illaque, si opus fuerit mutare, alterare, cassare, ac alia de novo edere, quæ postquam edita fuerint dicta auctoritate apostolica confirmata esse censeantur, ac eidem Monasterio, ac illius Priorissæ, & Monialibus, & Virginibus, personisque pro tempore existen. quod omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, & gratiis, aliisque cæteris dicti Ordinis Monasteriis quomodolibet in genere, vel in specie, ac communitative concessis, & quibus Monasteria, & loca, ac personæ hujusmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, etiam atque principaliter perinde acsi eidem Monasterio, ac illius personis originaliter concessa essent, & concedentur uti, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus; Et insuper de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, seu confitendi a jure temporibus propositum habentibus, qui Monasterii prædicti Ecclesiam in ejusdem Annunciationis, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Assumptionis, aliisque ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, necnon Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis ejusdem Salvatoris, & omnium Sanctorum respective festivitatum, ac commemorationis defunctorum diebus a primis vesperis, usque ad occasum solis

solis festivitatum, & dierum hujusmodi annis singulis in perpetuum visitaverint, & pro ejusdem Monasterii fabrica, ac illius Priorissæ, & Monialium substentatione, & manutentione, ac paramentis divino cultui necessariis, manus adjutrices porrexerint, inibique pias ad Deum preces juxta eorum devotionem effuderint, quoties id fecerint, toties plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præterea eisdem Christifidelibus, qui singulis quadragesimalibus diebus, usque ad octavam Resurrectionis ejusdem Domini Ecclesiam prædictam, etiam annis singulis in perpetuum visitaverint centum annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Utque ipsi Christifideles hujusmodi indulgentiarum facilius participes effici possint eisdem Christifidelibus, ut aliquos Presbyteros seculares, aut quarumvis Ordinum regulares, qui confessionibus diligenter auditis ipsos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum peccatis criminibus, excessibus, & delictis etiam in sigulis casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis non tamen contentis in literis in die Cœnæ Domini legi consuetis absolvere, & eis pro præmissis pœnitentiam salutarem injungere; necnon vota quæcumque per eos emissa (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Sancti Jacobi in Compostella, necnon Religionis, & Castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possint, facultatem concedimus, & indulgentias hujusmodi, necnon præsentes literas sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, derogationibus similium, vel dissimilium indulgentiarum per Nos,& Sedem Apostolicam, etiam in favorem Basilicæ Principis Apostolorum, ac Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, aut expeditionis contra Infideles, vel alias quomodolibet, & sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore factis, & concessis, nullatenus comprehensas; sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de novo concessas esse, & censeri, & eisdem Christifidelibus suffragari debere decernimur. Indulgentias quoque Jubilæi, & remissionem peccatorum, sicut præmittitur, per dictum Paulum Prædecessorem concessas, quas post viginti annos valere minime voluit, ad alios viginti annos prorogamus, & extēdimus,&quatenus opus sit de novo concedimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Januarii millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, Pontificatus nostri Anno tertio.

§.4. Nihilominus inter præfatum Benedictum Cardinalem Protectorem ex una, & dilectum pariter filium nostrum in dicta Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, præfatas Pii IV. Prædecessoris, & in eis relatas literas quoad privilegia, & exemptiones domui, seu Hospitali, ac Monasterio supradictis concessa locum sibi in Monasterio Annunciationis hujusmodi præsertim stantibus Constitutione rec. mem. Gregorii Papæ XV. Prædecessoris pariter nostri quæ incipit: *Inscrutabili Dei providentia &c.* ac declarationibus Congregationis tunc existentium S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum desuper emanatis, nec non Decreto a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curię Prelatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & Locorum Piorum dictæ Urbis a Nobis institutæ deputatorum die 29. Septem. 1660. edito de, & super exemptorum privilegiis, vindicare non posse, neque debere prætendentem ex altera partibus nonnullæ controversiæ, seu dissentiones super exercitio jurisdictionis, & exemptionis in Monasterio præfato, quod etiam alias a piæ mem. Pio Papa V. Prædecessore nostro e loco apud Ecclesiam S. Joannis de Mercato Regionis Campitellorum Urbis præfatæ, ubi erectum, & institutum fuerat, ad Ecclesiam, & vetusta ædificia Præceptoriæ, seu Commendæ S. Basilii in Regione Montium ejusdem Urbis consisten. Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani (in Ecclesia, & Ædificiis hujusmodi unum Monasterium sub invocatione Beatæ Mariæ Annunciatæ Ordinis S. Dominici perpetuo erigendo) translatum extitit, exortæ fuerunt, in non modicum spiritualis disciplinæ, & divini cultus in domo, seu Hospitali, ac Monasterio præfatis detrimentum. Nos igitur quibus totius Gregis Dominici, sed potissimum omnium, quæ perierant, & de manu lupi rapacis redemptæ sunt, cura cordi est, quique pro eisdem, ut remotis quibuscumque diverticulis, & impedimentis, vocem sui pastoris audire, illiusque cœlesti pabulo recreari valeant opem, & operam nostram sedulo adhibemus, ut in domo, seu Hospitali, ac Monasterio prædictis, quæ circa illorum regimen, & administrationem, ac directionem, seu jurisdictionem a memoratis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris per præfatas literas provide sancita fuerunt, suum in omnibus, & per omnia sortiantur effectum, ac illæsa, & illibata persistant providere volentes, motu proprio, non ad alicujus instantiam, sed ex certa scientia, meraque liberalitate nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine primodictas, ac præinsertas Pii IV., & in eis relatas, necnon Pii V. Prædecessorum literas hujusmodi,& in eis contenta quæcumque tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus opus sit, de novo edimus.

Clausulæ. §.5. Decernentes præfatas Gregorii Prædecessoris, aliasque desuper forsan emanatas Constitutiones,& Ordinationes Apostoli-

ſtolicas, ſi quæ ſint, quas hic pro expreſſis, & inſertis haberi volumus, quoad impediendum liberum exercitium juriſdictionis tam ſpiritualis, quam temporalis in domo, ſeu Hoſpitali, ac Monaſterio prædictis dicto Benedicto Cardinali, & pro tempore exiſtenti domus, ſeu Hoſpitalis, ac Monaſterii hujuſmodi Protectori per eaſdem Pii IV. Prædeceſſoris, & in eis relatas literas conceſſum, & quo minus Benedictus Cardinalis, & pro tempore exiſtentes Protectores prædicti exemptionibus ſibi per eaſdem attributis libere uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, nequaquam locum habere, ſeu obtinere poſſe, ſed eundem Benedictum Cardinalem, & pro tempore domus, ſeu Hoſpitalis, ac Monaſterii hujuſmodi Protectores privilegiis, exemptionibus, prærogativis, aliiſque ſibi per præfatas Pii IV. Prædeceſſoris, & in eis enarratas literas hujuſmodi conceſſis libere, & licite uti, frui, potiri, & gaudere debere in omnibus, & per omnia perinde ac ſi Gregorii XV. Prædeceſſoris Conſtitutio, ac Reſolutiones, & Decreta præfata quoad hoc non emanaſſent; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.6. Non obſtantibus præfata Greg. XV. Prædeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Reſolutionibus, & Decreto prædictis, necnon quatenus opus ſit, quibuſvis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, & de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq; contrariis quibuſcumque.

Dat. die 6. Martii 1663. An. VIII. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Martii 1663. Pontificatus noſtri Anno VIII.

CDXXXI.

Plenipotentia R. P. D. Raſponio ad tractandum, & concluden. cum Miniſtris Regis Chriſtianiſsimi, & aliorum Principum Catholicorum, ipſoque Rege occaſione caſus inter familiam Oratoris dicti Regis, & Cuſtodias Militum Corſorum die 20. Auguſti 1662. in Urbe ſequuti, ac de poſtulatis ſuper Vallibus Comacli, & Ducatu Caſtrenſi. *Ex Regeſt. in Secret. Brev.*

Dilecto filio Magiſtro Cæſari Raſponio in utraque Signatura noſtra Referendario.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

§.1. QUales animi noſtri ſenſus fuerint audito deteſtabili caſu, qui 13. Kalen. Septembris præcedentis anni 1662. accidit inter familiam Nobilis viri apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratoris pro chariſsimo in Chriſto filio noſtro Ludovico Francorum Rege Chriſtianiſsimo, & cuſtodias Corſorum Militum in Urbe exiſtentium, quidve pro facinoris atrocitate, etiam juſtitia mediante vindicanda tunc juſſerimus, reque ipſa exequutum ſit, aliis noſtris literis plene ſignificavimus, ipſaque Urbs omnium Nationum mater, & altrix locuples teſtis exiſtit. Qualia itidem fuerint ſtudia noſtra pro motibus inde exortis Regiæ dignitatis intuitu paterna dilectione compeſcendis, penituſque ſedandis, non ſolum cordium ſcrutatori Deo, ſed univerſis etiam Chriſtifidelibus, & Principibus Catholicis præcipuis Eccleſiæ filiis conteſtata fide notiſsima ſunt. Quæ majori in dies fervore proſequentes, ut gregem noſtræ cuſtodiæ commiſſum in ſumma rerum tranquillitate ſervatum Datori veræ pacis, qui uſque in finem dilexit Nos, illæſum cum fœnore gratię fideliter reſtituamus, libenter accepimus deſuper acta Pariſiis per dilectos filios Principum Catholicorum miniſtros gratia publicā quietem conſervandi, ut omni formidine in Chriſtiana Republica prorſus ſublata, vera pax floreat, noſtraque tempora felici animarum concordia, & tranquillitate fruantur, eorum zelum, ac pietatem in hoc commendantes, viſaque propterea ſubſcriptione ab eiſdem facta, qua in ſe ipſos curam ſuſceperunt, quod hic etiam convenienter ſatisfiet, poſtulatis ſuper Vallibus Comacli, & Ducatu Caſtrenſi, quodque Nos, qui æquum, & juſtum ſemper amavimus, faciles erimus in his concedendis, quæ juſtitia ſuadebit, ac rectæ conſcientiæ norma permittet. Procemium.

§.2. Ideo ſummopere cupientes omnia, & ſingula pro communi bono, ac ſtabili omnium quiete componi, & efficaci chariſsimi filii noſtri Regis Chriſtianiſsimi interpoſitione, quam, ut par eſt magni facimus, quantum in Domino poſſumus, ſatiſ-

tisfacere volentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Te de cujus fide, prudentia, & in rebus agendis dexteritate, plurimum in Domino confidimus, super præmissis, & quibuscumque aliis ad casum præfatum quomodolibet, & qualitercumque spectantibus, eorumque occasione proponendis, tractandis, debitoque fine, ut præmisimus concludendis in nostrum, & Sedis Apostolicæ Plenipotentiarium nominamus, & deputamus, ac ut nostro, dictæque Sedis nomine cum præfatis Regis Christianissimi, ac Principum Catholicorum Ministris, ipsoque Rege, & aliis quibuscumque de præmissis omnibus, & singulis agere, eademque tractare, & concludere, ac perpetuam, & inviolabilem conclusorum observationem ex nostra, dictæque Sedis parte spondere, & polliceri, omniaque pariter, & singula de, & super præmissis facere, perficere, & absolvere, etiamsi talia forent, quæ specialem, & individuam mentionem requirerent, nihil omnino excipiendo.

Plenipotentia conceditur, ut in rubr.

§.3. Nosque, & Sedem prædictam ad illa adimplenda, & formiter observanda omni meliori, & validiori modo obligare, desuperque omnes scripturas necessarias, & quomodolibet opportunas conficere, & confici facere, & subscribere libere, ac licite posis, & valeas plenam, & amplam facultatem, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Clausulæ. §.4. Decernentes validum, firmum, & efficax fore, quidquid præsentium hujusmodi vigore Tu egeris, tractaveris, conveneris, concluseris, & subscripseris. Id omne ratum, & gratum habentes. Nosque, & Sedem præfatam ad perpetuam illius observationem teneri, non secus, ac si a Nobismet ipsis personaliter actum, tractatum, pollicitum, conclusum, & subscriptum fuisset; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Nosque ipsos, & Successores nostros, ac Sedem prædictam, & quoscumque alios quavis potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate &, auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.5. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Dat. die 23. Martii 1663. An. VIII. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 23. Martii 1663. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDXXXII.

Ut tres Conventus Custodiæ Sanctissimæ Trinitatis in Provincia majori Turoniæ Ordinis Minorum S. Francisci uniri possint Provinciæ viciniori, aut commodiori Reformatorum, seu Recollectorum &c.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio præpositi felici Religiosorum virorum vota sua Deo reddere jugiter satagentium regimini, & quieti libenter consulimus, sicut in Domino conspicimus, salubriter expedire.

Expositio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Theophilus Carrier Custos, ac omnes Fratres tam Superiores, quam inferiores Custodiæ Sanctissimæ Trinitatis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, & præsertim Joannes Baptista Baudin eorum specialis hac in parte Procurator, quod pro reformatione Provinciæ majoris Turoniæ Fratrum Minorum dicti Ordinis vigore quarumdam felic. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis Literarum die 30. Augusti 1642. ac die 22. Januarii, & die 22. Aprilis 1643., necnon 2. Martii 1644. respective expeditarum dicta Custodia juxta quasdam recol. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri Literas in Capitulo Provinciali ejusdem Provinciæ die 29. Aug. 1643. Rhedonis celebrato per Venerabilem Fratrem Henricum tunc Episcopum Rhedonen. Apostolicum hac in re Commissarium erecta, & confirmata fuit, illique sex Conventus, videlicet Rhedonensis, Venetensis, Corizopitensis, Vastinensis, Inicastrensis, & Castrireginaldensis assignati fuerunt. Verum Fratres dictæ Provinciæ Turoniæ sic erectam, & confirmatam auctoritate Apostolica Custodiam hujusmodi, imo, & ab ipsis receptam, laudatam, & approbatam sub propriis chirographis statim in cunabulis opprimere, & destruere attentarunt, obliti obedientiæ, & reverentiæ Sedis Apostolicæ, quam voverunt, ac propriæ fidei, quam in scriptis solemniter dederant: siquidem Conventus Venetensem, & Corizopitensem Fratribus Reformatis tradere noluerunt, eosque a Conventu Rhedonensi manu violenta, baculis, armis, & aliis instrumentis cum effussione sanguinis, & periculo vitæ multorum Religiosorum ejecerunt, necnon ab aliis tribus Conventibus jam dudum ejecissent, nisi a charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo, ac a Dominis, & Civibus Urbium, in quibus ipsi Conventus constructi sunt, impediti, & repulsi fuissent. Et licet sub excommunicatio-

cationis pœna jussi fuerint usurpatos Conventus Reformatis restituere, non solum minime obtemperarunt; sed etiam ab illo tempore non cessarunt novis, continuis, & inauditis injuriis ipsos Reformatos impetere, ut eos penitus extirparent, timentes ne incepta reformatio latius in Provincia excresceret, eamque tandem in perfectum regularis observantiæ statum reduceret.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nulla jam supersit spes Fratribus Reformatis intentam ab ipsis reformationem in dictam Provinciam introducendi, imo nec pacifice in tribus Conventibus, qui eis supersunt, vivendi, nisi ab illis relaxatis Fratribus omnino separentur, tum propter exiguitatem ipsorum, tum propter penuriam locorum, & injuriam temporum; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de medio opportuno regulam suam ad literam observandi juxta præscriptum prefatarum Clementis Prædecessoris Literarum, quibus omnes, & singuli subscripserunt providere, & quia soli Fratres Recollecti in Gallia sub eisdem Clementis Prædecessoris Literis regulam servant, ipsis exponentibus, ut cum dictis tribus eorum Conventibus viciniori, aut commodiori Provinciæ Recollectorum, seu Reformatorum in Gallia, servato tamen jure uniuscujusque uniri, & incorporari possint permittere, ac plenam potestatem Commissario Generali Visitatori præfatæ Provinciæ hanc unionem perficiendi concedere, de benignitate apostolica dignaremur.

Decretũ confirmat. §.3. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem Cardinales, & consentiente dilecto filio Ministro Generali Ordin. prefati, ut memorati tres Conventus nimirum Vastinensis, Inicastrensis, & Castrireginaldensis, necnon, & Fratres in ipsis degentes uniri, & incorporari possint Provinciæ viciniori, & commodiori Reformatorum, seu Recollectorum auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Ac hujus unionis, & incorporationis peragendæ facultatem dilecto filio Commissario Generali Visitatori ipsius Provinciæ auctoritate, & tenore præfatis tribuimus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, ac Provinciæ, & Conventuum hujusdi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Apr. 1663. Pontificatus nostri anno VIII. Dat die 5. Apr. 1663. An. VIII.

CDXXXIII.

Declaratio mentis super solutione Decimarum per Pensionarios facienda.

Vide ad Constit. 53. *Innocentii X.* Nuper. *Tom.6. Par.3. fol.79. & ad Constitut.* 335. Cum Divina *hujus Pont. fol.* 139. *ut supr.*

ALEXANDER PAPA VII.

M*Otu proprio, &c.* Cum Nos alias pro urgentibus Reipublicæ Christianæ necessitatibus, & præsertim ad reprimendos Infidelium conatus, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu inter alia indixerimus, & imposuerimus sex integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum, redditùum, proventuum, jurium, obventionum, & distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum omnium, & quarumcumque Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum, ac Parochialium, aliarumq; Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam mensarum Patriarchalium Archiepiscopalium, Episcopalium Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præposituarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, cæterorumque beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Jurispatronatus Laicorum, & Regularium locorum in universa Italia, & Insulis adjacentibus consistentium, sub certis tamen exceptionibus, ac modo, & forma Prooemium.

ma tunc expressis, atque etiam omnium,& quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus,juribus, obventionibus, emolumentis, ac distributionibus quotidianis, sive earum loco, fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi (Statu Veneto excepto) in favorem quorumcumque (non tamen Cardinalium prædictorum) reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, aut reservatorum, & assignatorum, vel translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandorum, & assignandorum, seu transferendorum percipiendas, exigendas,& levandas, ac ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & cæteris cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiæ, & conditionis personis, decennio inibi expresso durante prædicta quocumque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, & habituris, necnon œconomis, administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, & pensiones, res, & alia jura quomodolibet habentibus, & habituris, tam Secularibus, quam Regularibus, etiam quorumcumque Ordinum, & certarum Militiarum.

§.1. Ac præterea pensionum hujusmodi Decimas ad rationem decem pro Centenario præstari debere, & secundum ea omnes in solidum cogendos esse, ipsarumque Decimarum Procuratores a quibus libuerit integre exigendi optionem, facultatemq; habere, nec ullas immunitates, & exemptiones, etiam ex causa resignationis, cessionis juris, concordiæ, conventionis,aut quacumque alia gravi, & onerosa occasione quocumque modo,& sub quibuscumque verborum expressionibus, etiam a Decimis, seu quibusvis aliis impositionibus, etiam pro expeditione,tam offensiva,quam defensiva contra Turcas, & alios Infideles, & Hæreticos, seu ex alia quavis, quantumvis legitima, & rationabili, ac necessario, & de necessitate exprimenda causa, etiam in favorem Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, seu aliorum quorumcumque Principum, ac pro eorum, & Sedis Apostolicæ necessitatibus, seu alias canonice, vel de facto impositis, & pro tempore imponendis, etiam per Nos concessas, & interim concedendas integram solutionem hujusmodi imminuere, vel impedire, neque possessores, usufructuarios, aut alias pensiones, seu fructus hujusmodi solvere deberent, etiam ipsi juri, & actioni petendæ, vel detrahendæ, aut retinendæ portionis, & ratæ partis Pensionarios contingentis jurejurando renunciaverint, atque ex forma Cameræ Apostolicæ amplissima caverint modo aliquo obligari,neque ad id pro dicto tempore constringi posse, sed Pensionarios, & fructuum hujusmodi reservatarios ad Decimarum prædictarum onus solvendum omnino teneri.

Pensionarii tenentur ad solutionem decimarum

§.2. Omnes vero confessiones, & quietantias, receptiones Decimarum a Procuratoribus, & Ministris dictæ Cameræ,tam conductoribus censuariis,& locatoribus nomine suorum principalium,quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus solvere debentibus nomine Pensionariorum faciendas perinde valere, atque in judicio,& extra illud, ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent, prout in nostris literis sub Data anno Incarnationis Dominicæ 1660. nono Kalend. Martii, Pontificatus nostri Anno sexto, desuper confectis, quarum tenores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

§.3. Cum autem, sicut accepimus, in aliquibus reservationibus, & impositionibus prædictarum Pensionum ipsimet Titulares, & Administratores ex pacto inter partes inito, vel etiam ex libero consensu, aut alias onus quarumcumque contributionum ratione Pensionū ipsarum,etiam ad instantiam Imperatoris, & pro defensione Fidei Catholicæ faciendarum in se, & Successores suos, etiam sub juramento, & obligatione Camerali assumpserint, ac Pensiones ipsas ab ejusmodi decimis, impositionibus, & aliis quibuscumque gravaminibus quandocumque, vel ex quacumq; causa, etiam necessariissima, & urgentissima,ac etiam specialiter ex præmissis pensiones liberas, immunes, & exemptas, ac integras, & nullatenus diminutas solvere promiserint, quin etiam pensiones ipsæ in eventum necessariæ solutionis, & contributionis faciendæ pro rata pensionis ipsas tangente auctæ, vel augendæ, & forsan etiam aliæ cautelæ cum prægnantissimis verborum expressionibus, in expeditione pensionum hujusmodi conceptæ reperiantur, & propterea nonnulli Pensionarii a contributione, & solutione in prædictis literis contenta se tueri, onusque solutionis ratam pensionis tangentis, in ipsos Titulares, seu Administratores Ecclesiarum, Canonicatuum, Dignitatum, Mensarum, aliorumque beneficiorum,tam secularium, quam regularium prædictorum rejicere, & retorquere contendant, & desuper nonnullæ lites, & controversiæ motæ fuerint, & de præsenti forsan adhuc pendeant indecisæ.

§.4. Nos Ecclesiarum, Mensarum, Canonicatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum hujusmodi indemnitati consulere, & ne fructus illarum, & illorum plus æquo graventur, providere, omnemque dubitationis, & controversiæ materiam nostræ declarationis oraculo terminare volentes, ac omnium, & singularum reservatarum pensionum, pactorum, & conventionum,& in eis contentarum clausularum tenores, ac litium, & causarum super præmissis coram quocumque Judice pendentium statum, & status, & merita, etiamsi

Declaratio mentis.

etiamsi talia forent, quod de illis specialis, & individua mentio fieri deberet, perinde ac si de verbo ad verbum expressi, & expressa essent, præsentibus pro expressis habentes, easdemque lites, & causas in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, a quocumque Judice, & Tribunali, tam hujus Urbis Romæ, quam aliis quibuscumque locis, & tam in Statu nostro Ecclesiastico, quam extra illum, ubicumque agantur, etiamsi in gradu appellationis pendeant, ad Nos avocantes, easque penitus supprimentes, & extinguentes, Motu simili, & ex certa scientia nostra, & de apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, & denuntiamus mentem, & intentionem nostram in prædictis literis fuisse, & esse, ac immutabilem fore, Decimas ipsas super omnibus Pensionibus prædictis ratam cuilibet earum tangentem omni pacto, & conditione remotis, & absque ulla spe relevationis Pensionariorum contra Titulares, & Administratores Mensarum Ecclesiasticarum, & reliquorum Beneficiorum, & locorum piorum in dictis literis expressorum per Nos fuisse, & esse impositas, & propterea omnes, & singulos Pensionarios quacumque auctoritate, dignitate, præeminentia præfulgeant (non tamen personas in prædictis literis exceptas) ad ipsarum Decimarum solutionem pro rata cujuslibet Pensionis teneri, & obligatos esse, neque ullum jus, & actionem, etiam in vim cujuscumque pacti, & conventionis quantumvis ex causa onerosa, vel donationis, juramenti, obligationis Cameralis, augmenti Pensionum, & cujusvis alterius, quantumvis inexcogitatæ cautelæ, & pactionis, etiam a Sede Apostolica in genere, vel in specie, atque individualiter cum illorum, & illarum tenore inserto approbatis, & confirmatis, & forsan pro decennio durante approbandis, & confirmandis aliquid aliquando ab ipsis titularibus repetendi competere: sed ipsos Pensionarios ad decimarum hujusmodi solutionem pro rata suæ cujuslibet pensionis juxta nostrarum literarum prædictarum formam, & tenorem, ac præsentem nostram declarationem, ac si quoad easdem Decimas per Nos impositas nullatenus pacta, conventiones, donationes, juramenta, obligationes, & aliæ cautelæ superius dictæ, & per Sedem Apostolicam approbatæ, vel approbandæ nullatenus emanassent, vel emanaverint; imo illis omnibus quoad solutionem decimarum prędictarum plenarie, expresse, & specifice ad favorem fructuum prædictorum, seu Titularium, & Beneficiatorum, ac Administratorum prædictorum derogatum fuisse, ac iterum Nos tenore præsentis Motus proprii expresse, & plenarie ad exonerationem Titularium, & Beneficiatorum, ac Mensarum, aliorumque locorum prædictorum contra Pensionarios derogamus, & dicto durante decennio, eosdem Pensionarios teneri, ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit, juxta prædictæ impositionis, & hujus nostræ declarationis formam, & tenorem cogi, & compelli posse, seu debere.

§.5. Et pro potiori cautela quascumque sententias in causis prædictis contra ipsos Pensionarios, seu eorum aliquem super præmissis Decimis hactenus latas, promulgatas, & publicatas, ac etiam exequutioni demandatas, uti nullas, & invalidas revocamus, cassamus, annullamus, & viribus evacuamus, cum omnibus inde sequutis, ipsisque Pensionariis perpetuum silentium super præmissis imponimus, & impositum esse declaramus, & hanc mentis nostræ declarationem cum omnibus, & singulis per Nos præsenti Motu proprio ordinatis locum habere, & omnino servari volumus, tam in Pensionibus hactenus impositis, quam in posterum imponendis, quibuscumque pactis, conventionibus, clausulis, & cautelis, ac etiam eidem præsenti nostræ declarationi renunciatione etiam juramento facta non obstantibus, quæ omnia eo ipso irrita, & invalida, ac nullius roboris, & effectus fore, & esse censeantur, & ita declaramus. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, &c. sublata, &c. judicari, & definiri debere, irritumque, &c. decernimus. *Clausulas apponit.*

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicę regula de jure quęsito non tollendo, ac Ecclesiarum in quibus beneficia hujusmodi existunt, seu a quibus Mensæ ipsę dependent, etiam juramento, &c. roboratis, &c. privilegiis, &c: Quibus omnibus, &c. eorum tenores, &c. latissime hac vice dumtaxat specialiter, & expresse Motu pari derog. cæterisq; contrariis quibuscumq; cū clausulis opportunis. *Contraria tollit.*

Fiat Motu proprio F.

Et quod literarum prædictarum tenores etiam veriores, ac Datæ, ac singulorum Pensionariorum prædictorum dignitates, qualitates, & præeminentias, etiam speciali nota dignas, & alias de necessitate exprimendas præsentibus pro individualiter expressis habentes, seu in toto, vel in parte exprimi possint in literis: & de declaratione, denunciatione, avocatione, extinctione, silentii impositione, singulis derogationibus, & decretis, ut supra in literis latissime extendendis: & quod præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationum, qualitatum, aliorumq; necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis, si videbitur, etiam per viam de Curia expediendis: Et cum decreto quod interim etiam ante earumdem literarum expeditionem sola nostri præsentis Motus proprii Signatura sufficiat, & ubique plenam fidem faciat in judicio, & extra, regula quacumque contraria non obstante: Et firmis remanentibus cęteris omnibus, & singulis per Nos in dictis literis impositionis Decimarum dispositis, & ordinatis.

Fiat F.

Dat. Kal. Apr. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Kal. Aprilis, Anno IX.

CDXXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Breve Beatificationis Petri de Arbues Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, primi Inquisitoris in Regno Aragoniæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. FOrtissimos Christi athletas, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni, quorum pretiosa in conspectu Domini morte religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est, sicut post agonem victores corona justitiæ donat in cœlis justus Judex, ita devota convenit fidelium veneratione in terris honorari, ut qui sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte in templo ejus, infirmitatem nostram sua intercessione juvare dignentur.

§.1. Quam in rem pro pastorali nostro munere, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, propensis studiis incumbentes, flagitantia id ipsum Catholicorum Regum, & aliorum Christi fidelium vota libenter exaudimus, prout omnibus maturæ discussionis trutina perpensis ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Christianæ Religionis, Fideique Catholicę robur, & incrementum, Sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio Regis, & Inquisitorum Hispaniarum. §.2. Cum itaque ad preces Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ac dilectorum filiorum Generalis Inquisitoris, & Ministrorum omnium Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum ac Deputatorum præsertim in Regno Aragonum adversus hæreticam pravitatem, necnon Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ, Cleri, Juratorum, & Populi Civitatis Cæsaraugustanæ processus rite, ac recte confecti fuerint super Sanctitate Vitæ, Virtutibus, Martyrio, causa martyrii, prodigio quoque effervescentiæ, & multiplicationis sanguinis, aliisque miraculis a Deo patratis intercessione Servi Dei Petri de Arbues alias Magistri Epilæ nuncupati, dum vixit, Canonici prædictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, & primi Inquisitoris in dicto Regno Aragoniæ auctoritate Apostolica deputati, qui dum munus Inquisitoris hujusmodi fideliter, & summo cum Fidei Catholicæ zelo exercebat, a nefariis quibusdam Sicariis Judaica perfidia infectis, in odium ejusdem Catholicæ Fidei immaniter trucidatus martyrii palmam accepisse asserebatur: iidemque processus in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum accuratissime discussi fuerint, factaque tandem eorum omnium, quæ in causa gesta sunt, coram Nobis plena, & distincta relatione, præfata Cardinalium Congregatio, Nobis annuentibus censuerit, quandocumque tuto deveniri posse ad solennem Canonizationem ejusdem Servi Dei Petri Arbuesii, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sacrorum Canonum dispositionem, attento quod agitur de Martyre cum prodigio, & miraculis mature discussis, & formiter approbatis.

§.3. Hinc est quod Nos piis memoratorum Philippi Regis, Inquisitorum, Capituli, Cleri, Juratorum, & Populi supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu indulgemus, ut memoratus Dei Servus Petrus Arbuesius in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur. Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo sub Ritu duplici recitetur officium, & Missa celebretur de Martyre non Pontifice singulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani die 17. Septembris, qua spiritum Creatori reddidit. Hæc vero in locis dumtaxat infrascriptis, nempe in Cathedrali Ecclesia Cæsaraugustana, ubi Canonicus Martyrii palmam consecutus est, ejusque corpus requiescit, in Ecclesiis Generalis Inquisitionis Hispaniarum ac S. Martini Inquisitionis Regni Aragoniæ, ubi primus Inquisitoris munus obivit, & a qua ex Apostolica auctoritate munus idem accepit: necnon in Matrice Ecclesia Oppidi de Epila, ubi natus est, & quantum ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Beati nomine nuncupandus.

§.4. Præterea, præsenti tamen dumtaxat anno a datis hisce literis inchoando, in supradictis Ecclesiis solemnia Beatificationis ejusdem cum Officio, & Missa sub Ritu duplici majori die ab Ordinario constituta, & intra sex menses promulganda celebrandi facimus facultatem. Romæ vero in Ecclesia Sanctæ Mariæ Montis Serrati, Nationis Regni Aragonum intra bimestre: postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum eadem solemnia celebrata fuerint, pariter celebrari permittimus.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis super non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis danda fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decima- Dat. die 17. Apr. 1663. An. IX.

cimaseptima Aprilis 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Deputatio R.P.D. Rasponi in Nuncium Extraordinarium ad Reges, Respublicas, & Principes Christianos quoscumque, ad quorum Regna, Dominia, Ditiones, & Principatus ipsum declinare contigerit pro gerendis arduis negociis S. Sedis Apostolicæ.

Dilecto filio Magistro Cæsari Raspono in utraque Signatura nostra Referendario, ad Reges Respublicas, & Principes Christianos quoscumque nostro, & Apost. Sedis Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Expositio. §.1. CUM Nos pro gerendis arduis nostris, & Sedis Apostolicæ negotiis de aliquo viro sapientia, & meritis præstante nostro, & ejusdem Sedis Nuncio Extraordinario ad Reges, Respublicas, & Principes Christianos quoscumque destinando mature deliberaremus, tu Nobis occurristi, cui ob spectatam multis rerum experimentis fidem, ac erga Nos, & dictam Sedem devotionem, singularemque dexteritatem, prudentiam, & doctrinam, aliasque eximias animi dotes, & virtutes, quibus te multipliciter insignitum esse novimus, hoc munus potissimum demandaremus.

Decretum confirmat. §.2. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine te apud omnes, & singulos Reges, necnon Respublicas, & Principes Christianos quoscumque, ad quorum Regna, Dominia, Ditiones, & Principatus te declinare contigerit, nostrum, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuncium extraordinarium cum facultatibus ad id quovis modo necessariis, & opportunis, ad nostrum, & ejusdem Sedis Beneplacitum tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

§.3. Cæterum te in Domino hortamur, ut munus jam dictum alacri animo suscipiens, illud ad Dei gloriam, & S.R.E. exaltationem, ac Catholicæ Fidei propagationem sic gerere studeas, ut tu quidem de præclaris gestis tuis non solum apud omnes commendationem, & laudem in terris, sed in primis a bonorum operum Retributore proemium in Coelis consequi merearis. Nos vero te votis, ac de te expectationi nostris respondere letemur.

Dat. die 22. Apr. 1663. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Statutorum pro Conventibus Reformatis Provinciæ Turoniæ Pictanen. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. MIlitantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præpositi, illa, quæ pro felici, prosperoque Christifidelium, qui abnegantes semetipsos, divinis obsequiis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt, regimine, & gubernio provide constituta esse noscuntur, libenter dum a Nobis petitur, apostolici muniminis præsidio roboramus.

Expositio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, & discreti Provinciæ Turoniæ Pictavensis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, seu Reformatorum nuncupatorum, quod nonnulla Statuta pro Conventibus Reformatis dictæ Provinciæ jam olim in Capit. Gen. & Provin. approbata, juxta Decretum dilecti filii Ministri Generalis dicti Ordinis per Fratres Definitorii, necnon per antiquiores Provinciæ hujusmodi Reformatos Definitores, atque per omnes Guardianos Conventuum Reformatorum in Congregatione intermedia Bercozii habita die 23. Aprilis 1662. convocatos in unum collecta fuerunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Ministri Generalis dicti Ordinis. Primo. In Conventibus Reformatis non debent eligi Guardiani, nec alii Officiales scilicet Vicarii, Lectores, Magistri Novitiorum, ac Juvenum, quam illi, qui tunc temporis morantur in Conventibus Reformatis, & per biennium saltem proxime præcedens in eisdem laudabiliter, & reformate vixerint, & hoc sub pœna nullitatis aliter faciendo.

Secundo. Nec in Conventibus Reformatis hujusmodi collocari debeant, nisi Reformati, & illi, qui in victu, & vestitu cæterisque omnibus secundum Institutum Reformatorum vivere velint, & possint, & non aliter.

Tertio. Fratribus petentibus licentiam migrandi ad Fratres Reformatos, teneatur Minister Provincialis concedere; eosque serio exortare ne levitate potius, aut animi inconstantia, quam pietate Reformationem aggrediantur.

Quarto. Emissis votis in Conventibus Reformatis non licebit deinceps ad alios Conventus non Reformatos convolare.

Quinto. Qui ex observantia ad strictiorem statum professus fuerit, & per annum integrum laudabiliter vixerit in reformatione, remeare denuo non poterit, & alios Conventus non Reformatos, ut in eis moretur absque licentia Magistri Generalis a toto Definitorio Provinciæ petenda.

Sexto. Non licebit in posterum Fratribus strictioris Observantiæ dare operam literis in Conventu Parisiensi, sed tantum in Conventibus Reformationis deputatis; cæteri vero Fratres non recipiantur in studiis Reformatorum, nisi velint id genus vitæ amplecti, & non poterunt deinceps ad non Reformatos regredi, nisi per annum in studio permanserint.

Septimo. Nullus a Conventibus Reformatorum amoveri valeat, nisi, ut fiat Guardianus, aut alius Officiarius in Conventu, & in eodem Capitulo Reformationi, si necesse sit deputando.

Octavo. Crescente numero Reformatorum augeatur numerus Conventuum, quos Minister Provincialis, & Definitores in Capitulo Provinciali reformationi aptos assignare tenebuntur.

Nono. Quantum ad Novitiorum receptionem, & educationem, & professionem servabuntur Statuta Provinciæ, excepto quod si ante professionem Novitius exierit reddentur ei, & si voluerit omnia suppellectilia etiam habitus.

Decimo. Inhibitum, est ne continuentur Guardiani ultra triennium juxta Constitututiones Apostolicas, & Statuta Generalia.

Undecimo. Definitores actuales non fieri poterunt Guardiani durante sui Definitoriatus tempore, neque eligi in Superiores, vel Præsides alicujus Conventus ultra tres menses.

Duodecimo. Definitorium non poterit assumere Religiosos Reformatos, illosque instituere in Monialium Confessarios, qui sint ad minus quadragenarii, quibus Socii Reformati assignabuntur, qui quidem Confessarii ultra triennium non continuabuntur, expletoque triennio revertentur ad Reformatos Conventus, in eisque Guardiani fieri poterunt.

Decimotertio. In hac Provincia unus ad minus sit semper Definitor ex Conventibus strictioris observantiæ.

Decimoquarto. In Capitulis, & Congregationibus instituantur Magistri Novitiorum, & Juvenum, qui sint viri graves, probi, devoti, vitæ spiritualis, & Exercitiorum Ordinis periti; Lectores autem eligantur peritiores, & Religiosores.

Sequuntur subscriptiones Patrum Vocalium Capituli Provincialis Provinciæ Turoniæ.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes præinserta Statuta pro firmiori illorum subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui acta Capitularia, seu Statuta memoratę Provinciæ ad prǫinsertum tenorem expressa viderunt, consilio, eadem auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eisque apostolicæ auctoritatis robur adiicimus, & juxta illorum dispositionem in posterum servari mandamus, & præcipimus. *Decretum confirmat.*

§.3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, ac Provinciæ, & Conventuum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Derogatio contrariorum*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Aprilis 1663. Pontificatus nostri Anno IX. *Dat. die 23. Apr. 1663. An. IX.*

CDXXXVII.

Liberatio Plateæ de Rotunda Urbis a Dominio Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Rotunda d. Urbis, excepto loco pro collocandis tabernis mercatoriis designato, cum confirmatione privilegiorum dictis Capitulo, & Canonicis per Romanos Pontifices, præsertim Sixtum V., & Urbanum VIII. concessorum, & approbatorum. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§.1. Dudum per felic. record. Sixtum Papa V. Prædecessorem nostrum accepto, quod etsi Archypresbyter, & Capitulum Ecclesiæ Beatæ Mariæ Rotundæ de Urbe ab immemorabili tempore fuissent, & essent Domini, & Patroni totius Plateæ *Sanctæ Mariæ Rotundæ* nuncupat. ante prędictam

dictam Ecclesiam existentis, & in pacifica possessione eatenus fuissent tenendi bancos, & illos locandi, ac pretium inde proveniens percipiendi, unde nemini nec Judici, nec Magistratui, aut Superiori licuisset, nec liceret Archipresbyterum, & Capitulum prædictos in ipsa eorum possessione, minusque eorum locatarios quominus banchis ex Platea prædictis uti possent, molestare, aut ab ipsis locatariis prætextu dictæ Plateæ aliquid exigere, petere, vel recipere; imo soliti essent tam in dicta Platea, quam extra, & prope eam in viis publicis ab illa ad quinque cannas, vel circiter distantibus fructus, herbas, panem, pisces, & alia tam comestibilia, quam incomestibilia vendere volentibus licentiam desuper concedere, ac quoscumque qui pro ejectione luti, ac immunditiarum dictæ Plateæ ratam partem solvere recusarent, omnesque in hujusmodi Platea, ac locis vicinis dictis Archipresbytero, & Capitulo subjectis vendentes, illis dumtaxat exceptis, qui in locis ordinariis, & per eosdem Archipresbyterum, & Capitulum deputatis de eorum licentia manerent; aut illos in Dominos recognoscerent, illos quoque habitantes, qui ante eorum apothecas bancos ultra debitum, seu Tabulata, & Tabulas, super quibus res vendendæ teneri, & exhiberi solent a pariete apothecæ ultra quatuor palmos distantes haberent, aut sub dictis banchis, & tabulis barilia, tinas, sive ut vulgo dicunt *tinozas*, aliasque res tenerent ad solutionem, & contributionem debitam cogere, & compellere; nihilominus nonnulli vicini domos in circuitu ejusdem Plateæ possidentes, & habitantes (nesciebatur quo jure) absque licentia dictorum Archipresbyteri, & Capituli juxta suos parietes, & ante eos erigere præsumpserant Banchos ad usum Macelli, & pro vendendis piscibus, pro quibus etiam aliquid prædictis Archipresbytero, & Capitulo solvere recusabant in grave eorum damnum, & præjudicium; Ipse Sixtus Prædecessor omnia, & singula privilegia, indulta, jurisdictiones, libertates, immunitates, exemptiones, facultates, & gratias Ecclesiæ, necnon Archipresbytero, & Capitulo prædictis per quoscumque Romanos Pontifices eatenus quomodocumque, & qualitercumque concessa usum Plateæ, & illi adjacentium locorum, illorumque concessionem concernentia, in quorum pacifica possessione, & usu eatenus extiterant, necnon mandata, & sententias de, & super manutentione possessionis dictæ Plateæ per quosvis Palatii Apostolici causarum Auditores, sive eorum Locumtenentes, aut alios quoslibet Romanæ Curiæ Judices eatenus latas, emanatas, & relaxatas, prout rite, & recte gesta erant perpetuo sub certis modo, & forma tunc expressis confirmavit, & approbavit, ac prævia quarumcumque litium, & causarum super Platea, & adjacentibus locis antedictis motarum, seu pendentium avocatione, illarumque suppressione, & extinctione dictam Plateam, ac loca ei circumquaque adjacentia in viis publicis existentia, & ab ea per quinque cannas distantia hujusmodi etiamsi dictam Plateam ullo umquam tempore per quascumque personas, cujuscumque gradus, & conditionis existentes augeri, extendi, & ampliari contingeret, etiam cum augumento ampliationis, & extensionis hujusmodi, quantumcumque foret, quo adveniente etiam loca in viis publicis, & ab ea per quinque cannas distantia hujusmodi computari, & comprehendi voluit cum omnibus, & singulis juribus, & pertinentiis suis, ac etiam omnibus, & quibuscumque illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis, Ecclesiæ, Archipresbytero, & Capitulo prædictis similiter perpetuo, & irrevocabiliter, donavit, concessit, & elargitus est, ac omne illius, & illorum jus, & dominium, etiamsi ad ipsum Sixtum Prædecessorem, & Cameram Apostolicam, aut alios quoscumque particulares spectaret, in Ecclesiam, & Archipresbyterum, & Capitulum hujusmodi transtulit, eosque in suum, & Cameræ, ac particularium prædictorum locum, & jura quoad hæc ex tunc pariter perpetuo substituit, & subrogavit, itaut liceret Archipresbytero, & Capitulo prædictis Plateæ, & adjacentium locorum sic specificatorum, ac jurium, obventionum, & emolumentorum prædictorum per se, vel alium seu alios possessionem per eos captam, ut præfertur, continuare, & quatenus opus esset de novo propria auctoritate libere apprehendere, illamque perpetuo retinere, necnon fructus, redditus, proventusque ex eis provenientes percipere, exigere, & levare, ac in eorum, & dictæ Ecclesiæ usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, ac ex tunc Ecclesiæ, Archipresbytero, & Capitulo præfatis in Platea, & adjacentibus locis hujusmodi plenum jus omnino acquisitum esse, illamque, & illa cum juribus, obventionibus, & emolumentis prædictis ad Ecclesiam, necnon Archipresbyterum, & Capitulum memoratos de jure spectare, & pertinere, ipsisque lapides marmoreos loco banchorum pro majori piscium Venditorum commoditate, ac dictæ Plateæ ornatu mensibus elapsis per eos in ipsa Platea erectos, & appositos libere, & impune erigere, & apponere licuisse declaravit. Præterea Plateam una cum augumento hujusmodi, si illud fieri quandocumque contingeret, necnon loca adjacentia prænominata ab omni jurisdictione, & superioritate tunc, & pro tempore existentium Camerarii, ac dictæ Urbis viarum Magistrorum ex tunc, & in perpetuum, ita & taliter, quod dicti Camerarius, & Magistri, & super Platea, ac locis circumvicinis prædictis, illorumque membris, & pertinentiis nullam omnino haberent, nec habere possent jurisdictionem, & auctoritatem exemit, & liberavit, quodque de cœtero nulli omnino cujuscumque status, gradus, ordi-

ordinis, aut conditionis existerent, etiam quovis privilegio suffulti in Platea prædicta, & prope illam in viis publicis ab ea per quinque cannas distantibus hujusmodi etiã prætextu, quod essent domini liberi, & absoluti, vel habitatores Domorum circum circa in dicta Platea existentium in Domorum prædictarum parietibus, & ante eas aliquod genus banchorum, seu Tabulatorum, vel Tabularum ad effectum quispiam vendendi, aut venale prostituendi de cœtero erigere, nec erigi, seu erectum tenere, vel teneri facere per se, vel alium, seu alios absque expressa, & in scriptis obtenta Archipresbyteri, ac Capituli prædictorum licentia etiam perpetuo statuit, & alias prout in ipsius Sixti Prædecessoris Literis Anno Incarnationis Dominicæ 1586., Idibus Novembris desuper sub plumbo expeditis uberius continetur. Sed subinde quia in prædictis Literis mentis, & intentionis dicti Sixti Prædecessoris non fuerat, neque erat Ecclesiæ præfatæ, ejusque Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo, ad quorum favorem Literæ ipsæ emanaverant, quidquam de novo, & præsertim in præjudicium cujusvis tertii concedere, sed solum confirmare vetera eorum, si quæ, & quæcumque eisdem juxta Sacrorum Canonum statuta, & Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum, aut aliarum personarum quarumcumque ad id auctoritatem habentium concessiones, & indulta, aut ex juris communis dispositione, seu quocumque alio legitimo titulo, jura competerent, & non aliter, neque alio modo, & si forte Literæ supradictæ aliter continere viderentur, id præter, & contra mentem, & intentionem ejus acciderat; Idem Sixtus Prædecessor per alias suas in simili forma Brevis Literas, die 27. Maii 1587. emanatas declaravit, attestatus est, voluit, & decrevit primodictas Literas, & contenta in illis in quantum ultra veteres concessiones, & indulta, aut titulos, seu alia jura hujusmodi quidquam de novo concessisse videretur, pro non editis haberi, concessionesque, & indulta hujusmodi, & omnia in illis contenta revocavit, annullavit, & pro non factis haberi mandavit, eisdem Literis cum omnibus in illis contentis solum, & dumtaxat quoad confirmationem veterum concessionum, & indultorum, ac jurium ejusdem Ecclesiæ Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo juxta Sacrorum Canonum statuta, & supradictorum Prædecessorum, ut supra, aut alias concessiones, & Literas competentium in suo robore, & firmitate manentibus. Postmodum vero accepto per recol. memor. Urbanum Papam VIII. Prædecessorem pariter nostrum, quod licet Archipresbyter, ac Capitulum, & Canonici prædicti ab immemorabili tempore, ac plurium sententiarum, & rerum judicatarum, & tam piæ mem. Innocentii VIII., Sixti IV., & Julii II. Romanorum Pontificum Prædecessorum etiam nostrorum, quam præfatarum Sixti V. Prædecessoris Literarum, necnon variarum inhibitionum, & mandatorum diversis temporibus desuper emanatorum vigore fuissent, & tunc essent universæ Plateæ prædictæ Domini, & Patroni, et ab inde citra se, dictamque eorum Ecclesiam manutenuissent in quasi possessione in universa Platea hujusmodi, etiam privative quoad omnes alios, etiam Domorum eidem Plateæ adjacentium Dominos, erigendi, tenendi, & habendi Banchos, & Tabulata ad effectum inibi fructus, herbas, pisces, & alia comestibilia vendendi, dictosque Banchos, & Tabulata personis sibi benevisis locandi, pensiones ex hujusmodi locationibus provenientes percipiendi, exigendi, & levandi, ac in suos usus, & utilitatem convertendi, & personis prædictis similes Banchos, & Tabulata in Platea hujusmodi erigendi, tenendi, & habendi licentiam concedendi, cæteraque omnia, & singula alia ad liberum ipsius Plateæ Dominium spectantia, & pertinentia faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, nihilominus de Anno 1602. Archipresbyter, & Canonici aliqui (ut credebatur) extra Capitulum, & singulariter contrahentes per eorum assertam scripturam privatam, quæ per Sedem Apostolicam non probatur confirmata, renunciavissent, & ab eorum Ecclesia abdicare tentassent hujusmodi Banchos, & Tabulata, ac Macella apponendi, & alia jura in, et supra dicta Platea Archipresbytero, et Canonicis, ac Capitulo prædictis, ut præfertur, competentia, ad favorem Magistrorum Viarum Urbis, et de Anno 1618., seu alio veriori tempore Adamus Melfius Aromatharius cujusdam Domus eidem Plateæ adjacentis, et ad Crescentium de Crescentiis Romanum, ut asserebatur spectantis inquilinus habitator, prætendens ante apothecam dictæ Domus in quodam situ angulari medio inter eamdem Apothecam, et viam publicam super eadem Platea transeuntem, qua a Domo Regularis Sanctæ Mariæ Magdalenæ Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis ad Domum etiam regularem B. Mariæ super Minervam nuncupat. de eadem Urbe Fr. Ord. Præd. itur, sub prætextu, quod situs hujusmodi in eadem Platea non comprehenderetur, sed locus privatus, & de pertinentiis, dictæ Domus extiteret, bancos hujusmodi erigere, habere, et tenere posse etiã forsan de licentia Magistror. Viarum Urbis seu Viarum Præsidentis duos Banchos similes in eodem situ erexisset, illosque pro piscibus venden. locasset, habito autem per Archipresbyterum, et Capitulum, et Canonicos prædictos ad tunc existentem ipsius Urbani Prædecessoris in eadem Urbe Vicarium in Spiritualibus Generalem recursu, Banchi prædicti amoti, iique postea prætextu cujusdam sententiæ a tunc existente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii Auditore emanatæ denuo appositi fuissent, introducta vero per viam appellationis causa hujusmodi in Camera Apostolica coram certis ejusdem Cameræ Clericis, ibique sub die 26. Junii 1624. prædicto Adamo citato, et iterum sub die 26. Junii 1626. discusso an de bono jure ipsius Ecclesiæ constaret

staret, citatis, et auditis tam prædicto Adamo, quam etiam dicto Crescentio de bono dictæ Ecclesiæ jure constare resolutum fuisset, dictique Archipresbyter, ac Capitulum, et Canonici vigore resolutionis hujusmodi sub die 1. Julii 1626. mandatum de manutenendo in possessione, seu quasi tenendi Banchos in prædicto situ, et Platea hujusmodi contra eosdem Crescentium, et Adamum obtinuissent, et in illius executionem dicti Banchi in angulo prædicto, ut præfertur, appositi, amoti, et sublati fuissent. Verum dicti Crescentius, et Adamus mandatum de manutenendo, illiusque executionem hujusmodi eludere volentes, ut in quamdam parvam apothecam ad eumdem Crescentium (ut asserebatur) pariter spectantem, et situi prædicto contiguam dicti Adami, seu Crescentii, vel aliorum vicinorum conductores se reciperent, ibique pisces venderent, procuraverant, quo factum fuerat, ut Archipresbyter, ac Capitulum, et Canonici prædicti postquam spatio octo annorum litem hujusmodi sustinuerant, aliam tantumdem, et forsan amplius duraturam, non sine gravi ejusdem Ecclesiæ dispendio, magnisque laboribus exortam litem prosequi debere, seque de cætero litibus hujusmodi prosequendis ob assidua expensarum onera jugiter subeunda gravatos fore prospicerent, idem Urbanus Prædecessor primodictas Sixti V. Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis itidem perpetuo approbavit, & confirmavit, ac præviis causæ, seu causarum hujusmodi inter præfatos, aliosque collitigantes motarum pendentium, & instructarum avocatione, ac suppressione, & extinctione, perpetuum prædictis Crescentio, & Adamo desuper silentium imposuit, insuper pro majori Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum prædictorum cautela, juraque juribus addendo Plateam prædictam tunc, & pro tempore existentem eisdem Ecclesiæ, Capitulo, & Canonicis concessit, & perpetuo donavit, relicto domorum, seu Apothecarum eidem Plateæ adjacentium dominis, vel inquilinis trium dumtaxat palmorum extra domos, vel apothecas hujusmodi spatio, quoad usum tantum pro mercibus, seu aliis rebus ipsorum Dominorum, seu Inquilinorum tantum, quæ tamen in ipsis Domibus, vel Apotechis venderentur, & non alias, neque ad alium usum, nisi de licentia expressa ipsorum Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum in scriptis titulo locationis obtinenda. Ulterius Domorum, & Apothecarum hujusmodi Dominis, necnon Magistris Viarum, & aliis Officialibus quocumque nomine nuncupati, ac ejusdem S.R,E. Camerario, cæterisque quibuscumque, ad quos tunc quomodolibet spectabat, & perpetuo in futurum spectaret, ne Archipresbyterum, Canonicos, & Capitulum hujusmodi super universæ Plateæ dominio, & facultatibus prædictis impedire, molestare, vel perturbare, aut in Domibus, Apothecis, aliisque situbus eidem Plateæ adjacentibus circum circa infra centum Cannarum spatium, quoad pisces, tellinas, gambaros, vel squillas dumtaxat, nec etiam in eadem Platea, & Apothecis vicinis super dicta Platea respondentibus carnes cujuscumque generis vivas, vel mortuas, etiam hædos, & agnos, & alias, nec fructus cujuscumque generis, olera, & flores vendere, aut macellum, vel lanienam habere, absque expressa Archipresbyteri, ac Canonicorum, & Capituli prædictorum licentia auderent, seu præsumerent sub indignationis suæ, & Successorum suorum, & aliis arbitrii sui, & Successorum prædictorum pœnis, & in dictis Sixti V. Prædecessoris literis inflictis, & comminatis interdixit, & prohibuit; volens quoque prædictos Archipresbyterum, & Canonicos, & Capitulum ad refectionem silicatæ tam Plateæ usque ad parietes Domorum, & Apothecarum adjacentium, quam viarum in prædicta Platea respondentium pro latitudine, & longitudine tantum teneri, & perpetuo obligatos existere, ac ad illam faciendam cogi posse, & alias prout in ipsius Urb. Prædecessoris literis, die 9. Februarii 1628. in simili forma Brevis expeditis plenius continetur.

§.2. Cum autem nuper mature considerato, quod Ecclesia prædicta, quæ priscis temporibus nobile delubrum erat nomine *Pantheon*, tot clarorum Scriptorum præconiis ab elegantis Symmetria, magnificaque structura celebratum, quod veteris Idolatriæ sordibus expurgatum felici mutatione Sanctus Bonifacius IV. Prædecessor noster vero Deo in honorem Beatissimæ Virginis Deiparæ Mariæ, & Sanctorum Martirum consecravit, ex tot insignibus antiquæ magnificentiæ monimentis, quæ tot Imperatores, tot Consules ad hujus Almæ Urbis ornatum, & nominis Romani gloriam quasi cum æternitate certatura erexerant, fere sola perennasset, & prisci sui decoris plurimum retinuisset, ac maximum hodieque eidem Urbi adferret ornamentum; sed subjacentis fori situ, squaloreve vilescere videretur, & illius adspectus etiam contiguorum nobili ejus porticui ædificiorum, non jure forsan extructorum, objectu interciperetur, & deformaretur, aditusque in Plateam predictam nimium coarctaretur: Nos earumdem Ecclesiæ, & Urbis decori consulendi studio, omnes ædes, & ædificia quæcumque dictæ porticui adjacentes, & adjacentia, ac ad dictos Capitulum, & Canonicos spectantes, & spectantia pœnitus, & funditus dirui, atque demoliri, illorumque rudera, & cæmenta inde asportari, necnon domunculas ligneas, tabernas, scamna, & tabulata quæcumque in dicta Platea existentia inde amoveri, & penitus tolli, certum vero loci spatium in formam hemiicidi aliquantum oblongi, ac labra, & ornamenta fontis, qui in meditullio ejusdem Plateæ situs est, ab ea parte, quæ versus Eccl. S. M. Magdal. protenditur, ambientis pro collocandis illic domunculis, seu tabernis mercatoriis, designari, ibiq; domun-

domunculas, seu tabernas hujusmodi locari, illam autem dictæ Plateæ partem, quæ Ecclesiam, & Fontem prædictos interjacet, necnon vias publicas in ipsa Platea circumquaque existentes ejusmodi impedimentis liberas, & vacuas remanere jusserimus, hæcque omnia re ipsa ab illis, quibus hanc curam dederamus, executioni demandata fuerint, facta etiam per dilectos filios Magistros viarum dictæ Urbis exacta locorum Plateæ prædictæ, tam eorum, quæ libera, & vacua remanere, quam illorum, in quibus domunculæ, seu tabernæ mercatoriæ hujusmodi collocari deberent, delineatione, seu planta, quæ in actis eorumdem Magistrorum viarum die 26. currentis mensis Aprilis exhibita reperitur. Hinc est, quod Nos, ut præmissa omnia, & singula (quæ speciali jussu, & mandato nostro facta fuisse harum serie declaramus) ad Ecclesiæ, & Urbis præfatarum ornatum perpetuis, futuris temporibus inviolabiliter serventur providere, ac memoratorum Capituli, & Canonicorum indemnitati consulere cupientes, necnon prædictorum Sixti, & Urbani Prædecessorum, aliarumque quarumlibet Literarum Apostolicarum tenores, & datas etiam veriores, & alia quæcumque etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine areas ædium, & ædificiorum jussu nostro dirutorum, & demolitorum, ut præfertur, ac universam Plateam prædictam, excepto dumtaxat supradicto loci spatio pro collocandis domunculis, seu tabernis mercatoriis, sicut in præfata delineatione, seu planta videre est designato, a dominio, proprietate, servitute, aliisve juribus quibuscumque tam memoratis Ecclesiæ, ejusque Archipresbytero, ac Capitulo, & Canonicis ex immemorabili præscriptione, usu, seu consuetudine, ac prædictorum Sixti IV., Innocentii VIII., Julii II., ac Sixti V., & Urbani VIII., aliorumque quorumcumque Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum concessionibus, declarationibus, decretis, aliisque dispositionibus quibuslibet, & alias quovis modo, titulo, & causa quam cuicumque alteri super Platea hujusmodi quomodolibet competentibus, & quæ illis quoquo modo competere prætendi possent, itaut nec dictis Archipresbytero, ac Capitulo, & Canonicis, nec aliis personis quibuslibet quacumque dignitate, auctoritate, honore, prærogativa, præeminentia, privilegio, & indulto suffultis, & præditis ullatenus unquam liceat domunculas, tabernas, scamna, tabulata, mensas, banchos, vel alia impedimenta quæcumque in alio quolibet dictæ Plateæ per demolitionem ædium, & ædificiorum prædictorum jussu nostro factam, ut præfertur ampliatæ, loco, quam in spatio pro collocandis domunculis, seu tabernis mercatoriis prædictis designato, & in Platea, seu delineatione supradicta descripto, sub quovis prætextu, causa, colore, vel genio collocare, seu collocari facere, aut collocandi licentiam, vel facultatem tribuere, seu ibidem carnes, pisces, panem, olera, fruges, fructus, aliave cujusvis generis esculenta, ac flores, & alia mercimonia quæcumque venum exponere, aut venalia habere, seu alio quocumque modo ejusdem Plateæ venustati efficere, sed ipsa Platea, excepto dumtaxat jam dicto loci spatio, semper libera, & vacua remanere debeat; salvo tamen illo jure, quod in prædictis Urbani Prædecessoris literis domorum in Platea hujusmodi sitarum Dominis, vel Inquilinis, expresse reservatum reperitur, tenore præsentium penitus, & omnino perpetuo eximimus, & plenarie liberamus. Ac prædictis Capitulo, & Canonicis, ut ipsi perpetuis futuris temporibus spatio loci pro domunculis, seu tabernis mercatoriis jussu nostro, ut præfertur, designato, uti, ibique domunculas, seu tabernas hujusmodi collocatas habere, ac illas personis sibi benevisis locare, pensionesque, & emolumenta quæcumque inde proventura percipere, exigere, levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere, necnon privilegiis, favoribus, gratiis, & indultis quibuscumque ipsis, & dictæ Ecclesiæ per memoratos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & præsertim Sixtum V., & Urbanum VIII., ut præfertur, respective concessis, & approbatis (quæ omnia, & singula quatenus præsentibus literis non adversantur, & non alias, confirmamus, & approbamus; quatenus vero ipsis præsentibus literis sunt contraria revocamus, abrogamus, cassamus, viribusque, & effectu vacuamus) sicut hactenus usi, potiri; & gavisi fuerunt, ita, & in posterum uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant concedimus, & indulgemus.

§.3. Ut autem minus quam fieri possit ex hujusmodi domorum demolitione Capitulum, & Canonici detrimentum patiantur eisdem nunc viventibus tantum, fructus Canonicatus in præsentia in dicta Ecclesia per obitum Pompilii Zuccarini vacantis (cujus interea provisionem, & collationem ad hunc effectum suspendimus) applicamus, & assignamus inter ipsos pro rata distribuendos, cum oneribus, & obligationibus non solum communiter cum aliis, verum etiam particulariter dicto Canonicatui, ac præbendæ annexis, quibus omnibus satisfacere omnino teneantur, prout prædictus Pompilius tenebatur; Et cum decreto, quod hæc fructuum applicatio, & assignatio locum habeat ad favorem Canonicorum dumtaxat nunc viventium (ut dictum est), & alios Canonicatus possidentium, itaut eorum aliquo decedente, vel cedente portio illius non transeat in Successorem, neque cæteris Canonicis accrescat, sed eo ipso, quod singuli eorum decesserint, vel cesserint, portio sic decedentis, vel cedentis nostrę, & Successorum nostrorum

rum dispositioni specialiter reservata sit, ut expresse reservamus in utilitatem ejusdem Ecclesiæ quamdiu hujusmodi applicatione, & assignatione durante, dictus Canonicatus vacaverit convertendam.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod prædicti Capitulum, & Canonici, & alii quilibet cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, & dignitatis, seu alias speciali, & individua mentione digni existant in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, seu causæ, propter quas præsentes emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis, magno formali, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, invalidari, rescindi, in controversiam revocari, vel ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium exemptionum, liberationum, concessionum, indultorum, et assignationum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Romanos Pontifices Successores nostros, sedemque prædictam quandocumque facien. unquam comprehendi, aut comprehensos censeri; sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenariè reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per eos, ad quos, pro tempore spectabit eligenda concessas censeri, et intelligi, semperque firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffr. ac ab illis respective inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiã causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, & alios quoslibet Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros, cæterosve quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac de jure quęsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon quatenus opus sit similis recolend. Symachi, quæ incipit: *Ne liceat*: & Pauli II., aliorumque Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ, ac Cameræ, & Sedis prædictarum non alienandis, ac similis mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas, ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisve Apostolicis, ac in Conciliis etiam universalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque etiam Cameralibus, & consistorialibus, ac Urbis, Cameræ, & Ecclesiæ prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiæ, ac Cameræ, & Urbi, ipsiusque Ecclesiæ Archipresbytero, ac Capitulo, & Canonicis, aliisve personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quęvis alia expressio habenda, aut quęcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus plene, & sufficienter, nihil penitus omisso insertis, expressis, servatis, & specificatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat die 27. Apr. 1663. An. IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Aprilis 1663 Pontificatus nostri Anno IX.

CDXXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Commissio super dimissione Prov. Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ in duas Provincias. &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, & Definitores Provinciæ Sanctorum Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis S. Francisci, quod in negotio Fratrum Aquitanorum Ordinis, & Congregationis hujusmodi coram Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis pro erectione Custodiæ in partibus Aquitaniæ, seu divisione dictæ Provinciæ in duas pluries agitato, eorumdem Cardinalium Congregatio per sua decreta, quæ a Nobis per nostras in simili forma Brevis Literas, præsertim die 11. Februarii 1659. & die 9. Januarii 1660. respective emanatas confirmata fuerunt, declaravit non esse locum erectioni Custodiæ, seu separationi dictæ Provinciæ, proindeque Ministrum Provincialem exercere debere suam Jurisdictionem in tota Provincia, etiam in Conventibus Aquitanis. Verum cum quidam Fratres Aquitani minime subjacere velint jurisdictioni sui Ministri Provincialis, & omnes Aquitani prædictam divisionem Provinciæ unius in duas postulent, tum ob maximam locorum distantiam, cujus ratione non potest facile a Prelatis subveniri incommodis, & difficultatibus hinc inde emergentibus, ob quæ disciplina regularis non levia patitur detrimenta, tum ratione gravium laborum in itinere sufferendorum, quando Religiosi ex una in alteram partem transferendi sunt, vel ad comitia Provincialia proficisci debent, tum etiam ob ingentia dissidia, animosque discordes, & incompatientes; ideo præfati Exponentes plurimum cupiunt Nos charitative annuentes precibus, & petitionibus dictorum Fratrum Aquitanorum sœpius factis, ac etiam in Comitiis Provincialibus Presidi, & Definitorio porrectis pro separatione præfatæ Provinciæ in duas, unam scilicet S. Ludovici pro Lugdunensibus, & aliis, & aliam S. Elzearii pro dictis Fratribus Aquitanis, consensum præbere ad effectum dictæ separationis, servatis tamen, quæ sequuntur, videlicet. Primo ut separatio Provinciæ fiat juxta præscriptum, & concordatum initum inter Fratres Lugdunenses ex una parte, & Fratres Aquitanos ex alia in Capitulo Provinciali celebrato in Conventu Molinengilbertano Sanctissimæ Trinitatis, die 23. Maii 1646., & non alias. Secundo, ut dicti Fratres Aquitani dolentes de commissis in suos Superiores, per scriptum publicum detestentur libellum famosum sub eorum nomine impressum, & dispersum, tanquam injuriis, & calumniis refertum, ac veritati contrarium. Tertio, ut sententia a dilecto filio Episcopi Agennen. Officiali Boussel cognominato in Superiores lata, & alia quæcumque ab eodem Officiali gesta vigore cujusdam Commissionis per dilectum etiam filium Leonem de Peguillan. fratrem dicti Ordinis a Signatura nostra Justitiæ sub die 12. Augusti 1659. exortæ annullentur, & irritentur, & tanquam nulla, & irrita declarentur: cum talis Commissio per Literas nostras revocata fuerit prius quam talis sententia emanaret, quæ revocatio tanquam valida, & legitima obtenta per Decretum præfatæ Congregationis Cardinalium a Nobis per nostras in forma Brevis Literas confirmatum recognita est. Quare iidem Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat ut in rubr. §.2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui rem, auditis partibus mature examinarunt, consilio, attentis narratis, auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus dilecto filio Commissario, seu Præsidenti proximi Capituli dictæ Provinciæ Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Galliæ a dilecto filio Ministro Generali deputando (qui tamen debeat esse ex eadem Congregatione, sed alterius Provinciæ) ut in dicto Capitulo procedat ad divisionem dictæ Provinciæ Sanctorum Ludovici, & Elzearii in duas juxta petita, constito, quod in partibus Aquitaniæ sint saltem sex Conventus, qui componere debent Provinciam de novo erigendam sub titulo S Elzearii, & constituat confinia utriusque Provinciæ, & in eodem Capitulo mandet pro hac vice servatis servandis deveniri ad electionem Provincialis, & aliorum Officialium, & Superiorum dictę Provinciæ de novo erigendæ, atque alia faciat, provideat, ac disponat ad præscriptum Ordinis Constitutionum & Decretorum Apostolicorum.

Clausulæ. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere,

bere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus, & minime attentis Decretis, & clausulis positis per bo: mem. Episcopum, seu Vicarium Agennen. & quibuscumq; aliis in contrarium facientibus etiam speciali mentione dignis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Maii 1663. An. IX.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die 21. Maii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Decrevit ne deinceps in Definitoriis Provinciarum Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Recollectorum Regni Galliæ duo fratres germani locum nec vocem habere possint, et si qui antea habuerint omnino excludantur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. CUM sicut dilectus filius Ephrem Chasteau Agens, et Procurator Generalis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Regno Galliæ degentium Nobis nuper exponi fecit, felic. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas die 23. Novembris 1637. expeditas sub censuris Ecclesiasticis, ac indignationis suæ necnon privationis vocis activæ, et passivæ pœnis ipso facto per contrafacientes incurrendis prohibuerit, ne in Definitoriis Provinciarum Italiæ, et Regnorum Hispaniarum dicti Ordinis duo interesse possent, qui fratres germani essent; idque ut factionibus obviaretur: Et subinde dilectus filius Petrus Roccius Commissarius Generalis Curiæ pro familia Ultramontana Ordinis præfati petierit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita quandam difficultatem occasione dictarum Literarum subortam explicari, Congregatio vero præfata, attentis narratis, reque, auditis partibus, mature considerata censuerit, et decreverit non licuisse, nec licere sub quocumque titulo, prætextu, seu colore, duos fratres germanos in Definitorium ingredi, et si qui tunc in aliquibus Provinciis ingrederentur, unum omnino excludi mandaverit, prout in ipsius Congregationis Decreto die 20. Januarii 1662. desuper emanato uberius dicitur contineri: Quia vero in præfatis Urbani Prædecessoris Literis, et Decreto Congregationis hujusmodi, nulla de Provinciis Galliæ dicti Ordinis mentio facta reperitur et ratio excludendarum factionum, quæ memoratum Urbanum Prædecessorem ad faciendam prohibitionem supradictam adduxit, similem prohibitionem in eisdem Provinciis præsertim Recollectorum Galliæ fieri non minus postulat, plurimum cupiat dictus Ephrem opportune in præmissis a Nobis provideri: Nos dictarum Provinciarum quieti, & fælici directioni salubriter consulere, dictique Ephrem desiderio favorabiliter annuere volentes, ac illum a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Ephrem nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio, attentis narratis, ne deinceps in Definitoriis Provinciarum Ordinis Recollectorum Sancti Francisci Regni Galliæ duo fratres germani locum, nec vocem habere possint, & si qui ante habuerint, alteruter omnino excludatur auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, mandamus, ac præcipimus.

Decretum confirmat.

Clausulas apponit.

§.2. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum Galliæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus

rogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 21. Maii 1663. An IX. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaprima Maii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXL.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Decernit servandam esse in Provincia Majoricen. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. dispositionem Brevis Clementis VIII. super prohibitione erectionis novorum Conventuum pro Provincia Carthaginen. d. Ordinis emanati, & proinde Fratribus cujuslibet Ordinis Mendicantium novorum Conventuum, Hospitiorum, seu Domorum permanentiū erectionem absque Sedis Apostolicæ licentia contra tenorem dict. Brevis, & Apostolicarum Constitutionum in dicta Provincia Majoricen. prohibet, & interdicit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Roccius Commissarius Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupat. pro familia Ultramontana, quod dudum felic. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, considerans in Provincia Carthaginen. dicti Ordinis tam angusta tantam multitudinem Conventuum Regularium diversorum Ordinum reperiri, ut propter prætensiones novarum fundationum plurima orirentur inconvenientia, ordinavit ne in posterum ædificari posset ullus Conventus intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris Literis in simili forma Brevis die 2. Julii 1601. desuper expeditis plenius dicitur contineri.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in Provincia Majoricen. dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. eadem inconvenientia sequantur, attento quod illa intra spatium duodecim leucarum longitudinis, & octo latitudinis continet octo Conventus ejusdem Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, in quibus puritas Regulæ observatur, necnon sex hospitalia pauperum ex eleemosynis viventium, ac decem Monasteria Monialium, præter viginti Conventus diversorum Ordinum, quorum major pars est Mendicantium: Unde, & seculares valde gravantur, & quamplurimæ ob novarum fundationum prætensiones tam inter seculares, quam inter regulares oriuntur discordiæ, cum maximo regularis disciplinæ detrimento, ac etiam Populorum scandalo: Nobis propterea dictus Petrus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsum Petrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, servandam esse formam, ac dispositionem memoratarum Clementis Prædecessoris Literarum etiam in Provincia Majoricen. Ordinis hujusmodi; atque ita Fratribus cujuslibet Ordinis Mendicantis novorum Conventuum, Hospitiorum, seu Domorum, & sub quovis titulo habitationum permanentium erectionem absque Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia contra tenorem dictarum Clementis Prædecessoris Literarum, & Apostolicarum Constitutionum in præfata Provincia prohibemus, & interdicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decretum confirmat.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulas addit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, Contraria tollit.

ad

ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariisquibuscumque.

Dat. die 26. Maii 1663. An.IX. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Maii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLI.

Decernit, et declarat, quod Fratres universi, et singuli Ordinis Prædicatorum, ubique terrarum, priusquam ad Sacros Ordines ascendant, ætatem ad hujusmodi Ordines suscipiendos explevisse debeant, juxta Concilii Tridentini Decreta.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Creditæ Nobis cœlitus dispensationis ratio postulat, ut paternam Christifidelium, qui e fluctibus sæculi in religiosæ vitæ portum confugerunt curam gerentes, illa, quæ felici eorum directioni, & regulari disciplinæ officere noscuntur, de medio tollere studeamus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Exordium. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod in plerisque dicti Ordinis Provinciis Indiarum non sine notabili regularis disciplinæ, studiorum, & communis quietis, pacisque detrimento Fratres ejusdem Ordinis passim ante legitimam ætatem a Concilio Tridentino præscriptam mittuntur, & admittuntur ad majores Ordines suscipiendos, eo quod prætendant adesse illic privilegium speciale desuper Ordini prædicto, aut alteri Religioni, cum qua Ordo ipse in privilegiis communicat a Sede Apostolica indultum circa prima dictarum Provinciarum, & Conversionum initia, sive quod ibidem Episcopi, & Archiepiscopi ex novissima quadam concessione Apostolica ob penuriam operariorum habeant, aut habere putentur amplam ea in re facultatem.

§.2. Ac insuper in eisdem Provinciis passim irrepsit abusus intollerabilis, quo Fratres Conversi, seu Laici arte, ac solertia Clericalem Religionis habitum, Sacrosque Ordines absque legitima Superiorum dicti Ordinis permissione suscipere non verentur, dum videlicet de una in aliam Provinciam commeantes sese mox Clericos professos fingunt, ac falsificatis dimissorialibus literis se offerunt Episcopis initiandos tametsi in prædicto Ordine Prædicatorum omnis Conversorum transitus ad habitum Clericalem sit legibus quamseverissimis interdictus.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Magister Generalis agnoscat, ac deprehendat fore plurimum e re divini obsequii, cultusque, ac decentiæ, necnon claustralis observantiæ, & arctioris educationis, si validum adversus hujusmodi præmaturas ordinationes remedium admoveatur; & proinde qualicumque hujusmodi privilegio, si quod in illis partibus, vel prædicto ejus Ordini immediate concessum, vel per communicationem ab alio quocumque Ordine participatum habetur, in manibus nostris renunciet, cupiatque opportune a Nobis in præmissis provideri, & ut infra indulgeri.

§.4. Nos ipsum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dictamque privilegii renunciationem ab eodem Magistro Generali factam, ut præfertur, harum serie admittentes, & acceptantes, quod de cætero non minus in supradictis Provinciis Indiarum, quam in Europa, prædicti Ordinis Prædicatorum regulares universi, ac singuli, priusquam ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines ascendant, ætatem, ad tales Ordines suscipiendos per Decreta Concilii Tridentini prædicti respective requisitam, omnino explevisse debeant, nisi cum aliquibus nominatim, & in casu singulari per literas Apostolicas in simili forma Brevis toties quoties interpretandas, & ordinatori exhibendas super hujusmodi ætatis defectu canonice dispensatum fuerit, quemadmodum fit in Europa: quodque facultates, si quæ jam datæ sint, sive in posterum dentur illarum Regionum Episcopis, & Archiepiscopis conferendi majores Ordines hujusmodi ante legitimam ætatem, ad Fratres dicti Ordinis Prædicatorum nequaquam extendi censeantur, neque his ibi, aut ullibi suffragari possit ad ullum præmaturæ ordinationis effectum quæcumque communicatio privilegiorum cuicumque Religioni concessorum, aut concedendorum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, & declaramus. Decretum confirmat.

§.5. Præterea quibusvis supradictarum Provinciarum in Indiis consistentium Ordinis prædicti Fratribus Laicis, seu Conversis, ne sine legitima Superiorum ejusdem Ordinis permissione e statu Conversorum ad statum, et habitum Fratrum Clericorum dicti Ordinis transire, aut etiam ultra ad sacros ordines sese intrudere audeant quovis modo, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per Contraventores eo ipso absque alia declaratione incurrenda, auctoritate, et tenore prædictis prohibemus, et interdicimus. Decretum irritans.

§.6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocum-

documque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios,& delegatos,etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane,si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, & Provinciarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris,ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.8. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 29. Maii 1663. An.IX. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Maji 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Capitulorum concordiæ pro stabilimento pacis, & regularis disciplinæ in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Civitatis Neapolitan. Ordinis ejusdem Sanctissimę Trinitatis Redemptionis Captivorum, & ad componendas lites, ac differentias inter Fratres Hispanos, & Italos Ord.hujusmodi ejusdem Conventus occasione subortas, diuque agitatas cum deputatione Visitatoris.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. SAlvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui charitas est, & Deus pacis, licet immeriti, vices gerentes in terris,illa, quæ inter Christifideles quoscumque, et præsertim illos, qui abnegantes semetipsos divinis obsequiis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt pacis, et amabablis concordiæ, regularisque disciplinæ restituendæ, et conservandæ studio provide conventa, ei stabilita esse noscuntur, libenter cum a Nobis petitur, apostolici muniminis præsidio roboramus,et alias opportune desuper providemus, sicut matura consultatione adhibita, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Hispani, et Itali Conventus Sanctissimæ Trinitatis Civitatis Neapolitan. Ordinis ejusdem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum quod cum a viginti annis, vel circiter super dominio, & fundatione dicti Conventus inter Fratres Provinciæ Italiæ dicti Ordinis, qui eundem Conventum ex inveterata possessione ab ipso fundationis primordio huc usque continuata sibi, & dictæ Provinciæ asserebant, ex una, & Fratres Hispanos quibusdam patentibus Ministri Generalis ejusdem Ordinis literis innixos ex altera partibus variæ controversiæ penderent, eaque occasione gravissimæ lites inter easdem partes, ac scandala, & dissidia exorta essent, Venerabilis Frater noster Martius Episcopus Albanen. S.R.E. Cardinalis Ginnettus nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector his malis, & scandalis remedium adhibendi ergo, dilectis pariter filiis Dominico Tafurio in Sacra Theologia Præsentato, ac Ministro Conventus S. Franciscæ de Urbe, & Procuratori dictæ Provinciæ Italiæ, necnon Antonio a Trinitate Procuratori Fratrum Provinciarum Hispaniæ dicti Ordinis in Civitate,& Conventu Neapolitan. prædictis degentium mandavit, ut ipsi lites hujusmodi per amicabilem compositionem terminare, dictaque inconvenientia tollere studerent, ex quibus, seu eorum occasione multi processus formati fuerunt, multæque sententiæ excommunicationum, ac suspensionum a divinis, aliarumque pœnarum emanatarum, prout ex sententia per dilectum filium Nicolaum Claudium Judicem a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita delegatum lata, constare dicitur, & nonnulli, qui executioni sententiæ hujusmodi contravenerunt, in pœnas, & censuras incurrerunt; quinimo propter præmissa factum est, ut præfatus Conventus, ejusque Fratres a viginti annis, & ultra visitati non fuerint; Quapropter iidem Dominicus, & Antonius Procuratores huic mandato prædicti Martii Cardinalis Protectoris prompte obsequentes, post maturam considerationem ad occurrendum tot damnis, litibus, inconvenientibus, & scandalis, imminentique totali dicti Conventus destructioni, ad nonnulla Capitula concordiæ ab utraque partium cum interventu, consensu, & pace omnium firmata inter se devenerunt,tenoris, qui sequitur videlicet: In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Motiva.

Tandem post tot, tantasque dissentiones, emulationes, &c. lites, quas fere viginti annis Fratres Itali, et Hispani Conventus Neapolis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, et Redemptionis Captivorum habuerunt, (disponente Deo, cum intercessione Beatæ,et Immaculatæ,semperque Virginis Remediatricis Mariæ) finem, terminumque suum assequutæ, de expresso præcepto Emi, & Rmi

et Rmi D. Cardinalis Ginetti Sanctissimi Domini nostri Papæ Vicarii, dictique Ordinis Protectoris dignissimi, cui super hoc quotidiana insidet, ut è medio tollantur lites, et pax, et concordia inter Regulares sibi subjectos, ut consonum est Justitiæ semper vigeant, totumq; negocium cum unione ambarum partium omnino firmentur, conditiones, & Capitula a Fratribus facienda inviolabiliter observentur, omnimodamque sortiantur executionem; propterea Frater Dominicus Tafuri Procurator Provinciæ Italiæ, & Minister Conventus de Urbe, & Frater Antonius de Trinitate Procurator Conventus Neapolis, & Fratrum Hispanorum Ord. Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum debito honore, et reverentia mandatis Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Ginetti prompte obedientes die 22. mensis Novembris præsentis anni 1662. uniti, et congregati, matura consideratione, propriæque conscientiæ consulentes sequentia Capitula contexere, videnda, et approbanda ab Eminentissimo Cardinale, et in hac Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum, et Regularium proponenda, et si placuerit confirmanda semper imposterum observanda.

Nonnulla Capitula. Primo. Monasterium Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Civitatis Neapolis incorporetur Provinciæ Italiæ, ejusque Religiosi pareant R. P. D. Provinciali dictæ Provinciæ, ejusque Successoribus in perpetuum, et jurisdictionem in eo habeant, sicuti in cæteris Conventibus dictæ Provinciæ habent juxta decretum Capituli Generalis celebrati ab omnibus Provincialibus, eorumque Sociis Provinciarum Italiæ, et Hispaniæ anno 1658.

Secundo. Quod in dicto Conventu commorentur Religiosi Itali ad arbitrium R. P. Provincialis Italiæ, et præcipue filii ejusdem Conventus, qui privilegium filiationis habeant juxta formam Constitutionum Ordinis. Verum crescente numero Fratrum, si bona Monasterii non sufficiant ad eorum substentationem Fratres Hispani venientes cum legitima licentia ullo prætextu inopiæ non possint non admitti in dicto Conventu, & Fratres Hispani in præsenti in dicto Conventu existentes, & in futurum extituri, isto, nec alio prætextu non possint expelli, nec filii dicti Conventus; licentia vero legitima ea intelligatur, scilicet Remi Patris Generalis, quo deficiente sufficiat locum ejus tenentis, uti præcipiunt Constitutiones noviter æditæ *Cap.35. de potestate, & Officio Ministri Generalis* §.12. *fol.*205., qui cum hujusmodi licentiis venerint debeant acceptari, & recipi in dicto Conventu, & Provincia absque ulla alia licentia Provincialis Italiæ, neque Definitorii, qui autem cum licentia sui Provincialis Hispaniæ tantummodo venerit in Conventu, ut hospes permaneat; Verum non intelligatur Conventualis quousq; obtineat licentiam Provincialis Italiæ, & acceptationem Definitorii Italiæ.

Tertio. Quod Religiosi Hispani nunc in dicto Conventu existentes, aliique Fratres ex Hispania venientes cum legitima licentia, ut supra, reputentur, ut filii tam prædicti Conventus, quam Provinciæ Italiæ, excipiuntur Fratres Itali, & Hispani venientes sine licentia legitima, cum quibus agatur, sicuti præcipiunt Constitutiones, & Sanctiones Pontificiæ, & Sacræ Congregationis Concilii, & Constitutiones Ordinis, & Minister quantocitius nec ultra mensem, ullò modo eis permittat ibi commorari. Quod si Minister pro tempore, super hoc negligens fuerit, ultra pœnas in dictis Constitutionibus inflictas, in pœnam privationis Officii, & vocis activæ, & passive per sexennium incidat.

Quarto. Si contingat quod a Sancta Sede dicto Conventui Novitiatus pro Novitiis recipiendis, & profitendis concedatur Minister quisquis ille sit Italus, aut Hispanus cum suis Fratribus debeat tot Neapolitanos ad habitum recipere, & ad professionem admittere, quot Hispanos; quod si secus factum fuerit, Minister in pœnam privationis Officii, & cujuscumque dignitatis, & vocis activæ, & passivæ in perpetuum incidat.

Quinto. Quod Minister dicti Conventus fiat in Definitorio Capituli Provincialis Provinciæ Italiæ alternative, videlicet una vice Italus, alia vero Hispanus.

Sexto. Quod Provincialis eligat Vicarium Provincialem pro dicto Conventu, cui absente Provinciale tanquam ipsi obediant cum solita, & debita subordinatione ad dictum Patrem Provincialem.

Septimo. Quod quando Minister sit Italus, Vicarius Provincialis sit Hispanus, & quando Minister sit Hispanus, Vicarius Provincialis sit Italus, cum hoc tamen expresso ordine, & præcepto, quod in alternativa, quando ad Italos pertineat electio, seu vox passiva tam Vicarii Provincialis, quam Ministri (quæ electiones, ut dictum est a Definitorio, & R. P. Provinciale faciendæ sunt) Fratres Neapolitani, qui habent conditiones, & requisita pro dictis Officiis, & dignitatibus obtinendis, tam Ministerii, quam Vicariatus Provincialis, uti Constitutiones Ordinis noviter, ut supra præcipiunt, debeant, & teneantur tam Definitorium, quam R.P. Provincialis ipsos Fratres Neapolitanos eligere pro dictis Officiis, & Dignitatibus, quod si secus factum fuerit tanquam non Ministri, & non Vicarii Provincialis habeantur, & ipso facto electiones hujusmodi sint irritæ, & invalidæ, nulliusque roboris, & valoris; quod si Fratres Neapolitani, ut supra dictum est conditiones non habebunt, & in dicto Conventu, & Provincia non extiterint, tam Definitorium, quam R. P. Provincialis ad eorum arbitrium, & solita libertate de Fratribus Italis provideat pro dictis Officiis.

Octavo. Quod dicti Patres Hispani nunc in dicto Conventu existentes, vel pro tempore venientes cum legitima licentia, possint in dicta Provincia Italiæ omnia Officia obti-

obtinere, ascendereque ad omnes gradus videlicet Magisterii, Præsentaturæ, & Prædicatoris Generalis, dummodo expleverint in dicto Conventu, vel in eadem Provincia Italiæ omnes conditiones, & requisita a supradictis Constitutionibus Ordinis.

Nono. Si forte evenerit, quod aliqui, vel plures Religiosi Hispani, qui in suis Provinciis fuerint Magistri, Præsentati, vel Prædicatores Generales dictum Conventum, & Provinciam Italiæ petierint cum licentia, ut supra, vel utriusque Provincialis, & in isto casu a Definitorio acceptati, nullo modo possint gaudere, & frui suis Dignitatibus, & gradibus, usquedum a Definitorio dictæ Provinciæ Italiæ eis concedatur, vel in Conventu prædicto, vel Provincia Italiæ iterum expleverint conditiones, & requisita ad gradum obtinendum, solum quod habere possint exemptiones, & privilegia, quæ Ordinis Constitutiones noviter æditæ concedant graduatis hospitibus cum hac tamen expressa declaratione, ut semper dictis Fratribus graduatis, qui ex Hispania venerint, ut supra dictum est, præferantur ad numerum graduatorum explendum Fratres Neapolitani filii dicti Conventus, & Fratres Hispani, qui habitum Religionis in dicto Conventu susceperint, & etiam Fratres Hispani, qui nunc in dicto Conventu existunt, & expleverint requisita ad gradum quemlibet obtinendum, etiam ante dictam Capitulationem, & reincorporationem. Laus Deo, & Deiparæ Mariæ Virgini Immaculatæ.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Exponentes Capitula præinserta Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, ac aliquem Fratrem dicti Ordinis meritis, & idoneitate præditum cum ampla facultate capiendi possessionem memorati Conventus nomine dictæ Provinciæ Italiæ, & obedientiam regularem in illo restituendi, necnon omnes Fratres delinquentes a censuris, & pœnis ecclesiasticis per eos, ut præfertur, incursis absolvendi, eosque ad exercitium Sacrorum Ordinum rehabilitandi, ac omnes, & singulos processus præmissorum occasione a quocumque Judice abinde extra factos, & formatos cassandi, & abolendi, omnesque Fratres præfatos adversus delicta hujusmodi huc usque adducta in pristinum statum reponendi, ac cum facultate Definitorio Capituli Provincialis competente nominandi juxta Constitutiones Ordinis, & Capitula præinserta omnes, & singulos Superiores locales, ac Officialis, & amovendi quoscumque Religiosos a Conventibus dictæ Provinciæ Italiæ ad effectum formandi familiam exemplarem in dicto Conventu Neapolitano, necnon contenta in Capitulis præinsertis pacifice, & quiete intra Claustra stabiliendi, simulque occasionem ulteriorum scandalorum præcidendi, pacemque, & animorum concordiam inter memoratos Fratres Hispanos, & Italos, ut ipsi tuta conscientia in utroque foro Deo, & Religioni servire valeant, reintegrandi, perpetuum super præmissis silentium imponendo, a Nobis deputari summopere desiderent: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialis favore, gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, consilio, petitioni eorumdem Exponentium pro stabilimento pacis, ac regularis disciplinæ in præfato Conventu Neapolitano, & ad componendas lites, ac differentias inter hujusmodi Ordinis Religiosos ejusdem Conventus occasione obortas, diuque agitatas libenter annuentes, Capitula concordiæ inter partes conventa, & in ante scriptum tenorem ab eorumdem Cardinalium Congregatione moderata, & redacta auctoritate apostolica, tenore præsentium benigne approbamus, & confirmamus, & in posterum inviolabiliter observari mandamus, ac præcipimus. Decretũ con. firmat.

§. 4. Præterea ad hunc, omnemque meliorem finem auctoritate, & tenore prædictis deputamus, & instituimus in Visitatorem Apostolic. præfati Conventus cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis, nedum ad omnia, & singula præmissa, prout petitur, sed et quæcumque alia, quæ sibi expedire visa fuerint decernenda, & exequenda, et signanter ad avocandos Religiosos, quos judicaverit, ex omnibus Conventibus totius Provinciæ, et in antedicto Conventu de familia assignandos, remotis, et alibi constitutis aliis, quos pariter judicaverit, supradictum Dominicum Tafur Ministrum Conventus hujus Almæ Urbis, de cujus idoneitate, et sufficientia plene, fuit persuasum, qui insuper ut negotium sibi impositum rite, & recte conficiat, una cum præfato Conventu Conventus etiam S. Mariæ juxta Mare, & Sancti Francisci Petræ Melaræ visitare possit, eique in suo munere omnimoda obedientia, ac reverentia præstari debeat, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari, & illis respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in in præmissis per quoscumque Clausulæ.

que

que Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

.§.6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, ac Provinciarum, & Conventuum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 13. Junii 1663. An.IX.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Junii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio quorumdam Statutorum Provinciæ Brittanniæ Fratrum Recollectorum, ac de Observantia Ordinis Minorum S. Francisci circa electionem Provincialis, & Definitorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Recollecti, & de Observantia nuncupati Provinciæ, ac Nationis, & Linguæ Brittannicæ in Gallia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, quod cum omnes, & singuli Conventus dictæ Provinciæ in Natione Linguæ Brittanicæ consistant, exceptis duobus in Natione Linguæ Gallicę existentibus, ideo dudum ad extinguenda odia, rancores, lites, rixas, & contentiones, quæ inter Fratres utriusque linguæ hujusmodi oriri poterant, per quondam Vincentium Lumellum, dum vixit, Ordinis prędicti Ministrum Generalem, ac Joannem Diridolum ejusdem Provinciæ Ministrum Provincialem, necnon Definitores, & Vocales Capituli Provincialis Provinciæ hujusmodi Cuburis prope Montem Relaxum celebrati die ultima Aug. 1639. edita fuerunt quædam Statuta per modum concordati tenoris, qui sequitur, videlicet.

Nonnulla statuta.

Quod Definitor saltem unus semper ex Gallica lingua, et Natione eligatur, modo fuerit de Corpore Capituli.

Item posthac sex annos Provinciam Minister ex Natione, et Lingua Brittanica gubernabit, tres vero dumtaxat ex Lingua, et Natione Gallica eamdem moderabitur.

Si contingat autem Ministrum intra suum triennium oppetere mortem, alius ex eadem Natione, et lingua, unde desumptus fuerat eligatur, qui æquabit residuum temporis, quod alter non potuit explere sui nempe triennii.

Item quod Custos ad Capitulum Generale nunquam destinari poterit ex eadem lingua, et Natione, ex qua Minister est electus, sed ubi Minister fuerit ex Natione, et Lingua Gallica, Custos eligatur ex lingua Brittanica, et e contra.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Statuta hujusmodi a pluribus Ministris Generalibus dicti Ordinis approbata, ac in Provincia prædicta per centum, & amplius annos, videlicet ab Anno 1539. usque ad Annum 1642. servata fuerint; & nihilominus a viginti tribus annis, vel circiter nonnulli eadem statuta transgrediantur, illaque per non usum annullare moliantur, ex quod per Sedem Apostolicam nunquam fuerunt approbata; unde jam sopiti rancores, discordiæ, & rixæ excitantur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, præinserta Statuta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, atque exequutioni demandari præcipimus, & injungimus, sine præjudicio tamen Religiosorum ex aliena Lingua incorporatorum præfatæ Provinciæ.

Supradicta statuta confirmat.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.§. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit aliis dictæ Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis

quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Junii 1663. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Junii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod servanda sit consuetudo, per quam Magistris Acceptatis cum voce, & loco Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum competit præcedentia super Regentem studii in Conventu S. Mariæ supra Minervam de Urbe, aliosque Magistros exteros Ordinis prædicti.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §. 1. Alias pro parte dilectorum filiorum Acceptatorum cum loco, & voce Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet ipsi juxta antiquam consuetudinem per octo annos continuos dilectum filium Regentem studii in Conventu S. Mariæ supra Minervam de Urbe dicti Ordinis præcessissent, hic nihilominus ante aliquot menses, parte inaudita, decretum oretenus a dilecto filio Magistro Gen. Ordinis prædicti obtinuerat, quod sibi, & quibusdam Magistris exteris competeret præcedentia super dictos Exponentes. qui coram Priore, a quo Decretum hujusmodi mandatur prædicti Magistri Generalis eis intimatum fuit, protestati sunt id justitiæ, consuetudini, & rationi adversari: Seque proinde auctoritate quidem Superioris adactos, obedientiam præstituros; Verum suo tempore eam rem, prout de jure foret decerni curaturos. Cumque subinde venisset novus quidam Baccalaureus Venetus, & pariter Decretum præcedentiæ super eosdem Exponentes obtinuisset, ipsi Exponentes ad Nos pro bona justitia consequenda recursum habuerant, ac a Nobis rescriptum obtinuerant, quo exposita in Libello Nobis ea super re porrecto ad præfatam Congregationem Cardinalium consideranda remittebamus, quo Libello hæc continebantur, quod dictum Decretum a memorato Magistro Generali emanaverat parte inaudita, contra antiquam consuetudinem; necnon quasdam fe. re. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis Literas, per quas stabilitus fuerat numerus viginti Magistrorum tantum, qui in præfata Provincia Romana loco, & voce gaudere debent, isque numerus jam completus reperiebatur; quodque novus Baccalaureus positus fuerat contra expressam voluntatem Testatoris, & Fundatoris dicti Studii, ac illius Statuta, quæ determinabant, illum semper ex Provincia Romana esse debere, cum tamen dictus Baccalaureus ex Provincia Veneta esset: Ideoque pro parte eorumdem Exponentium dictæ Cardinaliũ Congregationi supplicato quatenus juxta justitiæ rationem opportune super præmissis decerneret, ut quemadmodum universaliter in omnibus aliis Provinciis ex antiqua consuetudine Magistri illarum omnes Magistros exteros præcedere solebant, ita quoque manutenerentur, & servaretur consuetudo hujusmodi in Provincia Romana, quæ una ex magis conspicuis præfati Ordinis Provinciis extitit: idque eo magis, quod Regens, ac Baccalaureus, & alii Magistri extranei de Curia dicti Ordlnis pro quibus recurrebatur, institutione, seu susceptione Magisterii majore parte dictorum Exponentium posteriores esse reperiebantur: emanavit a præfata Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, reque auditis partibus Eminentissimo Farnesio referente, mature examinata, censuit, ac decrevit servandam esse consuetudinem ad favorem Magistrorum Oratorum, prout harum vigore decernit, servarique mandat, ac præcipit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 15. Martii 1663. Decretum Sacræ Congreg.

M. Cardinalis Ginettus.

E. Episcopus Camerinen. Secr.

§. 2. Cum autem, sicut præfati Magistri Acceptati Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen in præmissis Decretum confirmat.

sis auctoritate ejusd. Congregationis Cardinalium.

Clausulæ. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Junii 1663. An.IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Junii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Declaratio nullitatis Capitulationum Sede Archiepiscopali Salisburgen. vacante a Capitularibus dictæ Ecclesiæ factarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. §.1. CUM, sicut Nobis innotuit aliàs Ecclesia Salisburgen. per obitum bon. mem. Paridii dum vixit illius Archiepiscopi solatio destituta Pastoris, Capitulares ejusdem Ecclesiæ Successorem electuri, in quasdam (ut vocant) Capitulationes convenerint per futurum Electum, quisquis ille foret, observandas; volentes eumdem Electum ad præstandum juramentum de ejusmodi Capitulationibus observandis obligatum esse, prout Ven. Fratrem Guidobaldum Archiepiscopum Salisburgen. juramentum hujusmodi de facto præstitisse accepimus: In dictis vero Capitulationibus jurisdictio, & potestas, ac jura Archiepiscopalia contra Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositionem nimium circumscribantur, Apostolicæque etiam Sedis jura, & auctoritatem lædi satagatur: Hinc est, quod Nos considerantes, sine dictæ Sedis Apostolicę auctoritate nihil omnino in similibus negotiis pacisci fas esse; ne autem ex Capitulationibus hujusmodi, licet ob licentiæ apostolicæ defectum ipso jure nullis, & invalidis, aliquod cuiquam jus acquisitum, aut Ecclesiæ Salisburgen. prædictæ, illiusque Archiepiscopo, vel Capitulo qualecumque gravamen illatum, jurisdictionique, & libertati ecclesiasticæ quoquo modo præjudicatum, aut ejusdem Apostolicæ Sedis juri quicquam detractum fuisse, esse, vel fore unquam prætendi, dici, vel censeri, neve quovis temporis cursu, aut ex quacumque alia etiam quantumlibet juridica causa fuisse per Nos, & Sedem Apostolicam tacite, aut expresse approbatas allegari, & beneplacitum apostolicum desuper accessisse presumi unquam possit pro Pastorali nostra sollicitudine providere volentes, ac earumdem Capitulationum tenores, etiam veriores, præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Capitulationes præfatas nullas, irritas, ac prorsus invalidas, nulliusque roboris, & momenti, fuisse, esse, & semper fore, adeout nullum omnino sortiri possint, aut debeant effectum, perinde ac si conceptæ, factæ, initæ, aut juratæ nunquam fuissent, tenore præsentium declaramus, illasque pro non factis haberi volumus, approbationemque nostram, & beneplacitum apostolicum, quoad ipsas Capitulationes denegamus. Ac memorato Guidobaldo Archiepiscopo juramentum de servandis Capitulationibus hujusmodi ab ipso, ut præfertur, præstitum, quatenus opus sit, relaxamus. — Capitulationes nullas declarat.

Clausulas apponit. §.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Guidobaldo Archiepiscopo, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Apostolicæq; Sedis prædictæ Nuncios, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus præmissis, necnon apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus foret, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, ac dictæ Ecclesiæ Salisburgen. etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6. Julii 1663. An. IX.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Julii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLVI.

Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Soc. Jesu Festis Sanctorum Ignatii, ac Francisci Xaverii, confessis, ac communione refectis.

Vide ad Constit. 591. *Urbani VIII.* Aliàs fel. *Tom.*6. *Par.*2. *fol.*165., *& ad Const.*152. *Innoc.* X. Alias *Tom.*6. *Par.*3. *fol.*227.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Recenset literas Gregorii XV.

CUM sicut accepimus, alias fel.record. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster volens omnes, & singulas Ecclesias Presbyterorum Societatis Jesu ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu ubique existentem, in S. Ignatii ultima Julii, ac S. Francisci Xaverii 2. Decembris mensium celebrari solitis Festis diebus a primis Vesperis, usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in Domino perpetuo concessit, prout in ejusdem Gregorii Prædecessoris literis in simili forma Brevis, die 8. mensis Junii 1662. desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

§.1. Cum autem, sicut prædicti Presbyteri Societatis Jesu Nobis nuper exponi fecerunt, quod Officium, & Festum prædicti S. Francisci Xaverii a die secunda ad tertiam diem mensis Decembris apostolica auctoritate per Nos translata sint; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt prædicti Presbyteri Societatis Jesu, ut indulgentias, & peccatorum remissiones a prædicto Gregorio Prædecessore Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu hujusmodi die festo ejusdem S.Francisci Xaverii die 2. mensis Decembris, ut præfertur, celebrari solitum contentas ad tertiam diem ejusdem mensis Decembris etiam transferre de benignitate apostolica dignaremur.

Transfert indulg. S Francisci Xaverii in diem tertiam Decem.

§.2. Nos igitur eosdem Presbyteros Societatis Jesu spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentias, & peccatorum remissiones a prædicto Gregorio Prædecessore Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu die festo prædicti S. Francisci Xaverii, die 2. mensis Decembris singulis annis celebrari solito concessas, ad tertiam diem ejusdem mensis Decembris, servata tamen in reliquis omnibus, & singulis dicti Gregorii Prædecessoris literarum hujusmodi forma, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo transferimus, & perpetuis futuris temporibus translatas esse decernimus, ita ut in posterum Christifideles aliquam ex Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu ubique existentium visitantes, Indulgentias, & peccatorum remissiones a prædicto Gregorio Prædecessore alias concessas, & amplius secunda, sed tertia die mensis decembris hujusmodi lucrabuntur.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus ejusdem Gregorii Prædecessoris literis prædictis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Cancellariæ Apostolicæ regulis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.4. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Julii 1663. An. IX.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Julii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLVII.

Prohibet fundationes Conventuum in Familia Ultramontana Ordinis Minorum de Observantia intra spatium quatuor, vel quinque leucarũ a jam erectis, etiam aliorum Regularium.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus constitutionis

ALiàs pro parte dilecti filii Petri Roche Commissarii Generalis Curię pro Familia Ultramontana Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster considerans in Provincia Chartaginensi dicti Ordinis tam angusta, tantam multitudinem Conventuum Regularium diversorum Ordinum reperiri, ibique nihilominus adesse prætensiones novarum fundationum, ex quibus quamplurima oriebantur inconvenientia, ordinaverat, ne in posterum ædificari posset ullus Conventus intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis plenius dicitur contineri: Et in eadem expositione subjuncto,

juncto, quod in Provincia Valentina Fratrum de Obſervantia, & Sancti Joannis Baptiſtæ Fratrum Diſcalceatorum dicti Ordinis S. Franciſci in Regno Valentiæ eadem inconvenientia ſequebantur, cum intra ſpatium quadragintaquatuor leucarum longitudinis, & decem latitudinis, vigintitres Fratrum de Obſervantia, ac viginti Fratrum Diſcalceatorum, & ſexdecimConventus Fratrum Minorum ejuſdem S. Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum, Hoſpitalia quoque quamplurima pauperum ex eleemoſynis viventium, necnon triginta Monaſteria Monialium continentur, preter centum Conventus diverſorum Ordinum, quorum major pars eſt Mendicantium, ex quibus, & ſeculares valde gravantur, & quamplurimæ ob novarum fundationum prætenſiones, præſertim Fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, Diſcalceatorum, & aliorum, tam inter ſeculares, quam inter Regulares oriuntur diſcordiæ, cum maximo regularis diſcipline detrimento, ac etiam Populorum ſcandalo.

§.1. Ideoque Congregationi prædictæ ſupplicato, ut ordinaret, ne in dictis Provinciis, ſeu Regno ullus Conventus, Domus, ſive Hoſpitium Fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, ſive quorumlibet Regularium intra ſpatium quatuor, vel quinque leucarum a jam fundatis erigeretur abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia, prout in Provinciis Burgenſi, Granatenſi, Aragoniæ, & Majoricenſi ſimiliter ordinatum fuit, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Decretum Sacræ Congr. §.2. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentis narratis cenſuit, & decrevit ſervandam eſſe formam, & diſpoſitionem memorati Brevis ſanct. mem. Clementis VIII. etiam in Provinciis Valentiæ Obſervantium, & Sancti Joannis Baptiſtæ Diſcalceatorum Ordinis hujuſmodi: atque ita Fratribus cujuslibet Ordinis Mendicantis, novorum Conventuum, Hoſpitiorum, ſeu Domorum, & ſub quovis titulo habitationum permanentium erectionem abſque Sedis Apoſtolicæ licentia contra tenorem dicti Brevis, & Apoſtolicarum Conſtitutionum in prædictis Provinciis eſſe prohibendam, & interdicendam, prout harum ſerie prohibet, & interdicit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Romæ 22. Junii 1663.

M. Cardinalis Ginettus.

Confirmat præfatum decretum. §.3. Cum autem, ſicut dictus Petrus Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervatione Apoſtolicæ confirmationis noſtrę robore communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Petrum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans. §.4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Auguſt. 1663. Pontificatus noſtri Anno IX. Dat. die 6. Aug. 1663. An. IX.

CDXLVIII.

Facultas D. Cardinali Barberino Camerario S. R. E. abſolvendi Chriſtianum Ducem Mekelburgenſem ab hæreſibus, præmiſſa abjuratione, emiſſaque per eum profeſſione. *Ex Regeſt. in Secret. Brev.*

Ven. Fratri noſtro Epiſcopo Præneſtin. Cardinali Antonio Barberino nuncupat; S. R. E. Camerario.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§.1. CUM ſicut non ſine ſpirituali animi noſtri lætitia Nobis relatum fuit nobilis vir Chriſtianus Dux Mekelburgenſis ex partibus hæreticis procreatus, ac in hæreſi Lutherana educatus divinæ gratiæ lumine illuſtratus, viaq; veritatis agnita Lutheranam, & alias quaſcumque hæreſes abjurare, & omnino deſerere, ac ad gremium S. R. E., benedicente Domino, redi- Motiva.

redire decreverit: Nos, qui pro pastorali munere id unum præcipue curare tenemur, ut si quæ oves a veritatis semita aberrant, in viam salutis revocentur, de tua singulari pietate, prudentia, ac Religionis Catholicæ, ac honoris Domus Dei zelo plurimum in Domino confisi, circumspectioni tuæ, eumdem Christianum Ducem, prævia abjuratione judiciali, vel extrajudiciali Lutheranæ, & aliarum quarumlibet hæresum hujusmodi per eum in manibus tuis facienda, ac recepta ab illo professione Catholicæ fidei juxta articulos dudum a Sede Apostolica propositos, ab eisdem hæresibus, ac quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis per eum propter præmissa quomodolibet incursis, injuncta ei aliqua pœnitentia salutari, aliisque injungendis, prout ejusdem Christiani Ducis animæ saluti expedire cognoveris, in utroque foro auctoritate nostra apostolica absolvendi, ipsumque Christianum Ducem in gremium ejusdem S.R.E. recipiendi, & reconciliandi, adhibitis ad actus præfatos aliquo Notario publico, & Testibus, dicta auctoritate tenore præsentium plenam, liberam, & amplam facultatem tribuimus, & impartimur.

Decretum confirmat.

§.2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Decretis, usu, & stylo Tribunalis Officii Sanctæ, & Universalis Inquisitionis, cæterisque contrariis quibuscumq;

Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Augusti 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 6. Aug. 1663. An. IX.

CDXLIX.

Super electione Provinciarum Indiarum Ordinis Prædicatorum, ac confirmatione eorumdem a Magistro Generali.

Vide ad Const. 608. Tom. 6. par. 2. fol. 189. Urbani VIII. Nuper pro parte, *in qua cavetur Provinciales debere esse biennales.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus solicitudo, quam meritis licet, & viribus longe impares, auctore Deo gerimus, Nos admonet, ut circa statum personarum quarumlibet divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatarum propensis studiis intendentes, illarum felici directioni, & regulari observantiæ salubriter, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere satagamus, sicut rerum, locorum, temporum, & personarum qualitatibus maturę considerationis trutina perpensis, arbitramur in Domino rationi esse consentaneum.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod dudum Provinciis Indiarum dicti Ordinis ob immanem eorum ab hac alma Urbe distantiam, mox ab earumdem institutionis initio provisum fuit de indulto, aut privilegio respective, quo illic Capitulis Provincialibus conceditur primo Definitori, vel Definitorio facultas confirmandi statim Provincialem ibidem electum, vel quod ipsa electio sit simul confirmatio. Et specialiter pro Provincia Sancti Jacobi de Mexico Ordinis hujusmodi quondam Joan. de Fenario dum vixit Magister Generalis ejusdem Ordinis, impetravit a felic. rec. Clemente Papa VII. Prædecessore nostro literas in simili forma Brevis die 11. Julii 1532. expeditas, quarum initium est, *Pastoralis Officii &c.* in quibus disponitur, ut Prior Provincialis ipsius Provinciæ juxta Constitutionum ipsius Ordinis tenorem eligi, & per Definitorium Capituli cassari, aut confirmari, & ad Officium ipsum acceptandum censuris Ecclesiasticis compelli possit: Et si contingat Definitorium in partes æquales dividi, tunc eligatur ab eisdem Definitoribus unus alius Religiosus de dicta Provincia, & ea pars Definitorii, cui talis electus adhæserit, Provincialem casset, & confirmet, prout videbitur expedire.

Expositio.

§.2. Verum ne hujusmodi concessiones, quæ provisionales sunt, cum ingenti Ordinis prejudicio ex sinistra intelligentia traherentur in perniciosum abusum, ac sensum a mente concedentium alienum, intelligendo quod essent solemnes, & definitivæ, Capitulum generale dicti Ordinis Romæ anno 1589. celebratum remedium adhibuit, ac ordinavit, quod Provinciales Provinciarum Indiarum statim post eorum electionem juxta privilegia ipsis Provinciis concessa, munere suo fungerentur: tenerentur tamen saltem intra biennium ad Magistrum General. ejusdem Ordinis mittere decretum suæ electionis pro sui, & totius Ordinis Capitis debita recognitione, & hoc sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda, & inhabilitatis in posterum. Quam quidem ordinationem quondam Thomas Turchus, dum vixit Magister Generalis Ordinis præfati, inter alias, quas pro Provinciis Indiarum ex factis a suis Prædecessoribus, & Capitulis generalibus compilavit Cæsaraugustæ anno 1648., & explicavit, hoc adjecto, ut Magister Generalis electionem vel confirmare, vel cassare posset, prout sibi in Domino videretur. Quæ omnia considerans Capitulum generale dicti Ordinis itidem Romę anno 1656. celebratum innovavit, auxit, & communivit prolixa ordinatione pro Provinciis Indiarum in communi numero 5. tenoris, qui sequitur, videlicet: Cum in Capitulo generali Romæ 1689. sic ordinatum fuerit, Provinciales Provinciarum Indiarum statim post eorum electionem, juxta Privilegia ipsis Provinciis concessa munere suo fungantur, teneantur tamen saltem intra biennium ad Reverendiss. Patrem Generalem

lem mittere decretum suæ electionis pro sui, & totius Ordinis Capitis debita recognitione, ut electionem vel confirmare, vel cassare possit, prout sibi in Domino videbitur expedire, & hoc sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda, & inhabilitatis in posterum: Nos hujusmodi ordinationem, velut sacræ Obedientiæ, & unitati indivisæ nostri Ordinis summe necessariam, extremo, quo possumus, connisu munimus, stabilimus, & insuper ordinando adiicimus, quod Provincialis quisquis electionis suæ scrutinium, seu decretum intra tempus supra expressum, ac præfixum Magistro Ordinis non miserit post suum Provincialatum, in omnibus habeatur, ac si revera Provincialis non fuisset: Proinde in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, necnon sub nullitate cujuscumque actus in contrarium prohibemus: Tum ne talis post suum Provincialatum potiatur, aut potiri permittatur loco illis alias debito, qui quondam Provinciales fuerant: tum etiam ne possit deinceps toto vitæ suæ tempore eligi, vel quoquo modo applicari ad officia Prioris, Visitatoris, Vicarii, Doctrinarii, sive ad alia munia etiam Scholastica, quorum omnium ex nunc simpliciter incapax decernitur, ac declaratur, ita quod tali, neque prætacti loci, neque vocis passivæ jus ullum suffragari possit, donec Magistri Ordinis superveniens confirmatio realiter ipsi Provinciæ illata, ac notificata plene constare fecerit electionem fuisse bonam, & suprema Ordinis auctoritate solemniter, legitimeque agnitam, & approbatam.

Provinciales Indiarum confirmari debent à Mag. Gen.

§.3. Quod si in aliquibus harum Provinciarum adsit, vel adesse prætendatur qualecumque Indultum, Privilegium, Exceptio, Dispensatio, aut qualiscumque nominis exemptio tollens, minuens, atque suspendens, Ordinationem supradictam, ejusve obligationem, aut pœnas appositas: Nos hodie communi, ac publico nomine totius Ordinis Prædicatorum, quem in hoc generali consessu legitime repræsentamus, hujuscemodi privilegio, indulto, exceptioni, dispensationi, ac cujuscumque nominis exemptioni, si qua est, vel putatur esse, tanquam regularis obedientiæ pernicioso detrimento, seu facillimæ schismatum occasioni deliberate, serio, ac expresse renunciamus, ac renunciatum esse denunciamus. Denique obtestamur Reverendissimum Magistrum Ordinis, ut quandocumque contigeret ex aliqua harum Provinciarum non transmitti ad se scrutinium, seu decretum electionis novi Provincialis, vicissim ipse acta illius Capituli Provincialis, (si qua forte seorsim ad manus suas pervenerint) nequaquam approbet, nec ullas graduum postulationes exaudiat, aut ullius promotionis patentes expediri jubeat, neque institutiones Prædicatorum Generalium in hujusmodi actis exponi solitas admittat, vel ratas habeat, nec taliter factæ institutiones ullum sortiantur effectum, quoad usque electus Provincialis fuerit per Magistrum Ordinis confirmatus, hujusque confirmationis patentes in Provincia sint promulgatæ.

§.4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præinsertis ordinationibus non obstantibus præfata Provincia S. Jacobi de Mexico sub moderno Generalatu destiterit sponte, ac desciverit a lege, & obligatione transmittendi, & submittendi dicto Magistro Generali exponenti decreta, seu scrutinia electionum duorum Priorum Provincialium proxime præteritorum pro obtinenda legitima ipsarum confirmatione, vel si in Domino conveniens videretur, cassatione: Nobis propterea ipse Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Magistrum generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, ad quos preces hujusmodi remisimus, visis, & mature consideratis, ac perpensis per eosdem Cardinales memoratis Clementis Prædecessoris nostri in forma Brevis literis, & præinserto Statuto Capituli Gener. celebrati de an. 1656. ipsum statutum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eique inhærendo expresse decernimus in posterum Provinciales, nedum Mexicanæ, sed etiam aliarum Provinciarum Indiarum Ordinis hujusmodi immediate post eorum, seu cujuslibet eorum capitularem electionem munere suo fungi debere; teneri tamen saltem intra biennium ad Magistrum Generalem Ordinis prædicti transmittere decreta, & acta suarum electionum, ut ipse Magister Generalis easdem electiones confirmare, vel cassare possit, prout sibi juris esse videbitur. Aliter in casu contraventionis ipso jure, & ipso facto, & absque ulla declaratione intelligantur privati suo Provincialatu, & habeantur in omnibus, ac si Provinciales non fuissent, sintque pariter privati voce activa, & passiva, & inhabiles in perpetuum nedum ad prædictum officium Provincialatus, verum etiam ad quæcumque alia Prioris, Visitatoris, Vicarii, Doctrinarii, sive alia munia, etiam Scholastica, & subjaceant effective omnibus, & singulis pœnis in præfato Statuto contentis.

Confirmat statutum Capituli Gen.

§.5. Ne autem ex dubio super validitate, vel nullitate electionum hujusmodi erga Provinciales electos obedientia denegetur, vel subsequantur nullitates, auctoritate, & tenore præfatis volumus, & mandamus

Supplet juris defectus.

damus easdem electiones, dummodo sufficienti votorum numero a suffragantibus capitulariter sint factæ, quicquid fore reclametur, aut opponatur, quoadusque expectabitur responsio Magistri Generalis, tanquam canonicas, & legitimas habendas esse, supplendo pro interim ex nunc pro tunc omnes, & singulos juris, & facti defectus, qui in eis forsan intercesserint respective. Salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ. §.6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 7. Quocirca Venerabilibus Fratribus illarum partium Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis locorum Ordinariis, & eorum cuilibet per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties ipsorum aliquis, seu aliqui desuper fuerint requisiti, sive etiam ex officio procedentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab illis, ad quos spectat, & spectabit quovis modo in futurum in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse servari, & exequutioni demandari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni appellatione remota compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. (Et pœnas contra inobedientes adicit.)

§.8. Non obstantibus supradictis Clementis Prædecessoris literis, ac rec. mem. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, præfatorum Ordinis, & Provinciarum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. §.9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 7. Aug. 1663. An.IX. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Augusti 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDL.

Commissio Archiepiscopo S. Dominici in Indiis Occidentalibus super separatione Insulæ Sanctissimæ Trinitatis a Diœcesi de Portorico, & unione Archiepiscopatui Sanctæ Fidei. (Ex Regest. in Secret. Brev.)

Ven. Fratri Archiepiscopo Sancti Dominici in Indiis Occidentalibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Supplicatio. NOmine Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper exposuit dilectus filius noster Paschalis S. R. E. Diaconus Cardinalis de Aragonia nuncupatus, quod cum eidem Philippo Regi relatum fuerit, Insulam Sanctissimæ Trinitatis Guaianam nuncupatam in Indiis Occidentalibus, quæ in Spiritualibus quidem Episcopatui Portus divitis, seu de Portorico hucusque subjecta fuit; In temporalibus vero ad jurisdictionem audientiæ in Insula S. Dominici institutæ pertinebat, ob ingentem ejus ab Insulis de Portorico, ac S. Dominci distantiam, debita cura, & assistentia tam in spiritualibus, quam in temporalibus hujusmodi minime gubernari; Ipse Philippus Rex eamdem Insulam Sanctissimæ Trinitatis ad audientiam Sanctæ Fidei in temporalibus de cætero spectare debere decrevit.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Episcopi Portus divitis, seu de Portorico jam a multis annis propter longitudinem itineris maritimi per eos faciendi, quod ad quingenta, & amplius milliaria protenditur, necnon periculum, quod ab Anglis, & Hollandis, qui Colonias, seu populationes in quibusdam Insulis dictæ Insulæ Sanctissimæ Trinitatis vicinis habent, & navigationem illic infestant, iminet, eamdem Insulam Sanctissimæ Trinitatis non visitaverint, ipsiusque Insulæ Incolis Sacramenta Confirmationis, Extremæ Unctionis ob defectum Sacri Olei jamdiu administrata non fuerint; His vero inconvenientibus remedium adferri, dictæque Insulæ Sanctissimæ Trinitatis Spiritua-

li gubernio opportune consuli possit, si ipsa Insula Archiepiscopatui Sanctę Fidei adjungatur, cum ejusdem Archiepiscopatus Dioecesi vicina sit, & inter continentem, ac Insulam hujusmodi brevis maris trajectus interjaceat. Nobis propterea præfatus Paschalis Cardinalis memorati Philippi Regis nomine humiliter supplicavit, ut eamdem Insulam Sanctissimæ Trinitatis ab Episcopatu, & Dioecesi Portus divitis, seu de Portorico hujusmodi separare, & dismembrare; sicque separatam, & dismembratam præfato Archiepiscopatui, & Dioecesi Sanctæ Fidei unire, annectere, & incorporare de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat ut in rubr.

§.2. Nos igitur pro commissa Nobis coelitus omnium Ecclesiarum sollicitudine Spirituali Christifidelium in dicta Insula Sanctissimæ Trinitatis degentium regimini salubriter quantum cum Domino possumus providere, necnon piis ejusdem Philippi Regis desideriis favorabiliter annuere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium rebus Consistorialibus præpositorum consilio, diligenter perpensis per eosdem Cardinales rationibus quæ pro separatione dictæ Insulæ Sanctissimæ Trinitatis a Dioecesi Portus divitis, seu de Portorico, & unione Archiepiscopatui Sanctæ Fidei offerebantur, cum eæ satis validæ, urgentesque visæ fuerint, nec sine gravi animarum jactura differri posse negotium videatur: Fraternitati tuæ per presentes committimus, & mandamus, ut constito tibi de narratis, & audito Ven. Fratre Episcopo Portus divitis, seu de Portorico, ad separationem, & unionem prædictas respective, servatis servandis, auctoritate nostra apostolica procedas.

Clausulas apponit.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas, illarumque vigore a te faciendas separationem, & unionem hujusmodi semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium separationum, & dismembrationum, ac unionum, & incorporationum etiam effectum nondum sortitarum, seu aliarum quarumvis gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per quascumque literas, & Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis per Nos vel quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, & in crastinum cujuslibet eorum assumptionis ad Summi Apostolatus apicem, ac Sedem Apostolicam etiam motu proprio, & de apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet pro tempore factis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda concessas intelligi, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ prædictæ regula de exprimendo vero valore in unionibus, & dismembrationibus, necnon Lateranen. Concilii novissimi celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum Portus divitis, seu de Portorico, & Sanctæ Fidei, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis etiam eisdem Ecclesiis, illarumque Præsulibus, & Capitulis, Canonicis, & personis, & aliis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augustii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 8. Aug. 1663. An. IX.

CDLI.

Prohibitio ne de cætero perpetuis futuris temporibus ullus Frater cujusvis alterius Conventus Ordinis Fratrum Prædicatorum filius, Conventui Sanctæ Mariæ supra Minervam Urbis Ordinis hujusmodi adfiliari possit absque speciali Sedis Apostolicæ concessione.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, & Fratres Conventus S.Mariæ supra Minervam de Urbe Ordinis Prædicatorum, quod licet dudum in Capitulo generali dicti Ordinis anno 1601. in Urbe præfata celebrato ordinatum fuerit de mandato fel. rec. Clementis Papę VIII. Prædecessoris nostri, ne fierent adfiliationes de uno Conventu in alium ex quacumque causa; sed tantum manerent filii Conventus, qui ibidem professionem emisissent: Hæcque ordinatio subinde videlicet anno 1605. in ejusdem Ordinis Capitulo generali Vallisoletan. confirmata, ac inter Constitutiones ipsius Ordinis relata, & diu inviolabiliter servata fuerit: nihilominus ab aliquot annis illis contraventum fuit, multique variis modis adfiliati fuerunt præfato Conventui S. Mariæ supra Minervam, qui ære alieno gravatos eos sustentare non potest. Quare dicti exponentes ad evitanda in posterum similia incommoda, & ne filiationum hujusmodi diversitas pacem communem perturbet, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum confirmat. §.2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ne de cætero perpetuis futuris temporibus ullus Frater cujusvis alterius Conventus dicti Ordinis filius memorato Conventui S. Mariæ super Minervam absque speciali nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis concessione adfiliari possit, auctoritate apostolica tenore præsentium prohibemus, & interdicimus.

Clausulæ. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Conventus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad pręmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Augusti 1663. Pontificatus nostri Anno IX. Dat. die 9. Aug. 1663. An.IX.

CDLII.

Declaratio nullitatis occupationis Civitatis Avenionen. ejusque Territorii, & Comitatus Venayssini, ac omnium in Curia Parlamenti Aquen., ejusque Deputatis, & aliis quibuscumque gestorum. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii, quod auctore Deo gerimus, cura, animi nostri vires mentisque consilium eo præcipue convertit, & dum S. R. E., Sedisque Apostolicæ jura violata promptæ reparationis, ac defensionis auxilium exposcunt, nihil a Nobis desiderari patiamur, quo illa intacta, & illibata (sicut decet) conserventur, & opportunis subsidiis si opus fuerit muniantur. Proœmium.

§.1. Sane dudum hæc Sancta Sedes Apostolica possessionem Comitatus Venayssini, ac Civitatis, & Territorii Avenionen. nostrorum una cum alto, & supremo in illis dominio ex legitimis, ac notissimis, & antiquissimis titulis nacta, illa subinde plurium sæculorum decursu sub plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, nostroque regimine usque in præsens suo imperio pacifice possedit, ac Civitatem, ejusque Territorium, ac Comitatum hujusmodi, locaque illis subjecta ab invasionibus, & obsidionibus hæreticorum, & Catholici nominis hostium pluries, & armis, & sumptibus ex visceribus reliquæ temporalis ejusdem S. R. E. Ditionis redactis, favente etiam sæpius benigna Regum Christianissimorum assistentia, exemit, & recuperavit. Verum nuper cum ingenti, vehementique (ut par est) animi dolore accepimus, assertum Procuratorem Regium in Curia Parlamenti Aquensis adversus eamdem Sanctam Sedem ausu damnabili egisse, terminosque servasse, ac servari curasse, & quædam asserta jura, scripturas, & instrumenta ad celebrandam violentam invasionem, & manifestam usurpationem coacervasse, & exhibuisse pro assequenda asserta reunione eorumdem Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum ad favorem Coronæ Francorum; Quinimo non minus temere, & nulliter, Motiva.

liter, quam attentate, & injuste Arrestum dicti Parlamenti super asserta reunione hujusmodi extorsisse, ejusque vigore assertum ejusdem Parlamenti Præsidem, seu Regentem, illiusque Ministros, & Officiales Sanctam Sedem Apostolicam prædictam iniquo Judicio pulsatam curasse, quantum in ipsis fuit, Civitate, Territorio, & Comitatu prædictis, ac Supremo in eis Dominio, & Jurisdictione spoliare: Et ne quid deesset improbi operis complemento, dilectum filium in eisdem Civitate, & Comitatu nostrum, & dictæ Sedis Vice-Legatum, cæterosque ejusdem Sedis ibidem existentes Ministros Civitate, & Comitatu prædictis manu militari expulisse, non secus, ac si Deus in brachio Vicarii sui, tanquam in Virga Moysis, ad defensionem Ecclesiæ suæ Sanctæ cum potestate magna non assisteret; ac posthabitis etiam censuris, & pœnis per Sacros Canones, ac Constitutiones, & Literas Apostolicas præsertim a fel. rec. Innocentio VI. decimo Kalen. Junii Pontificatus sui Anno III. Gregorio XI. Idibus Decembris Pontificatus sui Anno IV. Martino V. undecimo Kal. Martii Pontificatus sui Anno VII., Eugenio IV., aliisque Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris editas, ac annis singulis die Cœnæ Domini legi, & publicari solitas contra invadentes, usurpantes, occupantes, vel detinentes in specie prędictos Comitatum Venaysinum, ac Civitatem Avenionem, ac Supremam Jurisdictionem in illis Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpantes, perturbantes, retinentes, & vexantes inflictis, in ejusdem Sanctæ Sedis Apostolicæ notorium contemptum, ac totius Christiani Orbis, hæc improbantis scandalum, atque perniciosissimum exemplum. Et licet omnia desuper gesta, actitata, & innovata ex se ipsis corruant, nullaque prorsus, & irrita sint, tam ex capite patentis, & notoriæ nullitatis, detestabilisque temeritatis ob manifestum Jurisdictionis defectum in Judicibus laicis, qui ad præmissa processerunt adversum Nos Dei in terris Vicarium, & hanc Sanctam Sedem Apostolicam, studiose satagendo notabilem ejus patrocinii partem violenter usurpare, quam est notoria injustitia resultante non solum ex legitimis, ac juridicis dictæ Sedis titulis, verum quoque ex antiquissima, & pacifica, etiam quoad regimen, ac liberum exercitium alti, & Supremi Dominii a multis Sęculis per eamdem Sedem retenta, & nunquam juridice interrepta possessione cum assensu, scientia, & patientia omnium, qui pro tempore fuerunt Francorum Regum Christianissimorum; Ac proinde illa minime necesse sit ulla declaratione detestari, seu aboleri, eisque nullatenus attentis, Nos, & Apostolica Sedes in antiquissima nostra possessione pluribus Sæculis continuata jure persistamus, ac in futurum saltem animo, omnique alio meliori, & efficaciori modo perseveremus, perseverare omnino intendamus. Nihilominus pro abundantiori, & potiori cautela, ac efficaciori præservatione omnium, & quorumcumque jurium S. R. E. prædictæ (habentes prius tenores actorum quorumcumque, ac sententiæ, seu arresti, omniumque desuper gestorum prædictorum; cæterorumque etiam necessario exprimendorum, & inserendorum præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis impugnative tamen, & non alias) Christi nomine semper invocato, ac habita super his in Consistorio nostro secreto cum Ven. Fratribus nostris ejusdem S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem Fratrum Consilio, & assensu, motu proprio, ac ex certa scientia nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ad perpetuam rei memoriam harum serie dicimus, & declaramus, citationes, executiones, petitiones, terminos declinatorios, & peremptorios ipsam sententiam, seu arrestum, omniaque, & singula in eis contenta, ac subsecuta, & subsecutura quæcumque, & præsertim Civitatis Avenionen., ejusque Territorii, & Comitatus Venaysini nostrorum prædictorum, necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum quorumcumque eis subjectorum, seu in eis contentorum invasionem, occupationem, detentionem, usurpationemque, perturbationem, & vexationem hujusmodi regimini, & Alti, & Supremi Dominii, & Jurisdictionis nostrorum, & dictæ Sedis Vice-Legati, aliorumque nostrorum, & Sedis ejusdem Ministrorum ejectiones, seu expulsiones, ac omnia demum, & singula, ac quæcumque desuper acta, gesta, & actitata quomodolibet præjudicialia tam in universum, quam singulariter perpetrata, & attentata per Præsides, Consiliarios, & quoscumque alios a dicta Curia Parlamenti, seu quibuscumque aliis Deputatos, ipsamque Parlamenti Curiam, ac eorum Fautores, Consultores, Tabelliones, Notarios, Graphiarios, Scribas, Ostiarios, seu Uscerios, Apparitores, Milites, Custodes, & Executores quoscumque, & eorum quemlibet, ac forsan per populum, & privatos Civitatis Avenionen., & Comitatus Venaysini nostrorum prædictorum, aliasve quaslibet personas, etiam Regali, Ducali, & alia quacumque dignitate insignitas, ac speciali nomine exprimendas, & ipsorum quemlibet tam directe, quam indirecte, & qualitercumque super præmissis cum omnibus, & singulis inde secutis, ac quomodocumque, & quandocumque secuturis fuisse, & esse, ac semper fore penitus nulla, invalida, irrita, iniqua, injusta, inania, viribusque, & effectu omnino vacua, ac contra Sacras Sanctiones attentata, & ab omnibus Juribus etiam divinis, ac gentium aliena, & abhorrentia, improbata, & reprobata, proque nullis, invalidis, ac irritis habita, & in futurum perpetuo habenda, neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum etiamsi juramento, etiam fidelitatis, & homagii vallata sint, & fuerint observantiam teneri, nec obligatum esse, minusque ex illis ullo unquam tempore, & ad quemcumque ef-

fectum etiam summariissimi possessorii aliquod, vel minimum jus, vel actionem, aut titulum coloratum, vel causam possidendi, insistendi, retinendi, aut præscribendi, etiamsi longissimi, immemorabilis, & cujusvis alterius temporis possessio, seu quasi possessio subsequatur acquisitum, vel acquisitam fuisse, nec esse, neque fore, nec acquiri quoquomodo potuisse, aut posse. Imo Nos prædicta omnia, & singula nullo prorsus excepto, iterum quatenus opus sit de plenitudine potestatis, ac Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, nostraque auctoritate damnamus, cassamus, improbamus, reprobamus, annullamus, & irritamus, nulliusque roboris, vel momenti esse denunciamus, & declaramus.

Confirmat ut in rubr.

§. 2. Præterea pari auctoritate, ac de eorumdem Fratrum nostrorum consilio, & assensu, & itidem quatenus opus sit dicimus pariter, & declaramus, protestamur, & nunciamus Nos, & Sedem prædictam, Cameramque nostrã Apostolicam possedisse, & possidere, ac quasi possedisse, & quasi possidere respective; necnon continuasse, & continuare, ac semper etiam in posterum continuare velle in antiquissima, ac justa nostra possessione Civitatis, & Territorii Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum prædictorum cum Supremo, & Alto Dominio, ac eisdem modo, & forma prout semper eadem Sancta Sedes, ac Rom. Pont. Prædecess. nostri antea possederunt, & quasi possederunt, & perinde ac si omnia, & singula præmissa, & quæcumq; alia subsecuta, & quandocumq;, ac quomodocumque subsecutura, gesta, & facta minime fuissent, nec aliquo modo emanassent.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem præsentes literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod præfati, & quicumque alii etiam speciali, & individua mentione, & expressione digni in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, seu sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu, vel ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, seu quocumque colore, prætextu, causa, & occasione notari, impugnari, invalidari, infringi, limitari, retractari, vel in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci posse, sed ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordin., & deleg. etiam causarum Palatii Apost. Auditores, necnon S.R.E. Camerarium, seu Pro-Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, eorumque Vice-Legatos, ac Cameræ Apostolicæ prædictæ Præsidentes Clericos, cæterosque Sedis, & Cameræ hujusmodi Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quavis auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, semper, & ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum est hactenus, & in futurum quomodolibet contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus intra certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, seu registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, legibus quoque, privilegiis, indultis, concessionibus, & Literis Apostolicis quibuscumque locis, & personis etiam Regali, & alia quavis mundana, vel ecclesiastica dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, etiam sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, factis, editis, confirmatis, approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus iteratis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cæte-

§.5. Cæterum declaramus quoque easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque a Nobis emanasse sine præjudicio omnium, & quorumcumque aliorum jurium, & remediorum Nobis, & dictæ Sedi competentium, Nobisque facultatem reservamus illis quandocumque utendi eo modo, quo Nos Deus illuminabit, & memorati Fratres nostri S.R.E. Cardinales insinuabunt, ac prout vires nostræ divino auxilio innixe suppetent.

Transumptorum fides. §.6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium in judicio, & extra illud habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 13. Aug. 1663. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Augusti 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLIII.

Quod Officium Præpositi Generalis Congregationis Clericorum Regularium Minorum, in Domo S. Laurentii in Lucina de Urbe durare debeat in perpetuum, cum facultate tamen Capitulo Generali eligendi alium si expedire videbitur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Nomine dilectorum Filiorum Vocalium Capituli Generalis Congregationis Clericorum Regularium Minorum, in Domo Regulari S. Laurentii in Lucina de Urbe Congregatorum Nobis nuper expositum fuit, quod cum dicta Congregatio a felic. record. Sixto Papa V. Prædecessore nostro per quasdam suas ea super re expeditas literas instituta fuerit, ea lege inter alia, ut ipsius Congregationis Præpositus Generalis ad vitam durare deberet, sicut re ipsa prima electio Prepositi Generalis hujusmodi ad vitam facta fuit, subinde vero mutato hoc instituto, terminus durationis Præpositorum Generalium ejusdem Congregationis primum quidem ad triennium, & postea ad sexennium præscriptus fuerit, & abinde citra observatum sit præfatam Congregationem continuis, talibusque vexatam fuisse dissensionibus, ut nisi eximia prudentia, & vigilantia Venerabilis Fratris nostri Joannis Baptistæ Episcopi Albanensis S.R.E. Presbyteri Cardinalis Pallotti nuncupati, dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, illis occurrisset, opportunaque remedia adhibuisset, Congregatio ipsa magnum discrimen aditura fuisse videatur.

§.1. Ipsi Exponentes, præmissis mature consideratis, ad evellendam dissensionum hujusmodi radicem, unanimiter, & nemine discrepante, per vota secreta decreverunt, Præpositum Generalem dictæ Congregationis pro tempore eligendum non ad sexennium, sed in perpetuum, & ad vitam eligendi durare debere, ea tamen lege ut de cætero in omnibus, & per omnia serventur Constitutiones, & Ordinationes, ac decreta Capitulorum Generalium, & integrum maneat Capitulis Generalibus ipsius Congregationis in futurum in casu electionis faciendæ in eisdem Capitulis Generalibus, Prepositos Generales eligere etiam ad tempus, si ipsis Capitulis Generalibus pro majori Dei gloria, ac servitio, & bono Religionis ita visum fuerit expedire, & alias prout uberius continetur in ipsorum Exponentium Decreto desuper emanato, & eorum manibus subscripto, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Sessio x. habita die 11. Maji 1663. circa durationem Præpositi Generalis ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Protectore, & Præside. Post maturam, & multiplicatam ponderationem cum quatuor Patribus deputatis, & aliis ex gravioribus Patribus Capituli Generalis circa durationem Præpositi Generalis, ut scilicet reducatur ad durationem perpetuam, & ad vitam ejusdem Præpositi Generalis, juxta primum Institutum hujus Religionis a Venerabilibus Patribus Augustino Adorno, & Francisco Caracciolo Fundatoribus, ut pie credendum est Spiritu Sancto dictante, dispositum, & a Sancta Sede Apostolica, & a fel. rec. Sixto V. approbatum, & in Bulla erectionis specialiter expressum, adductis gravissimis motivis, & rationibus, & exemplis ad rem facientibus, & auditis sententiis omnium Patrum in Capitulo Congregatorum propositum fuit per vota secreta resolvendum, an in futurum Præpositus Generalis pro tempore eligendus durare debeat non ad sexennium, sed in perpetuum & ad vitam eligendorum, ea tamen lege, ut de cætero in omnibus, & per omnia serventur Constitutiones, & Ordinationes, & Decreta Capitulorum generalium, & integrum remaneat Capitulis Generalibus illos eligere etiam ad tempus, si eisdem Capitulis Generalibus pro majori Dei gloria, & servitio, & bono Religionis ita visum fuerit expedire per secreta suffragia, & quatuor ex quinque partibus votorum concurrant, & insuper expressus accedat assensus, & approbatio Sanctissimi Domini Nostri, illiusque pro tempore Successorum in perpetuum, & cum declaratione, quod in quocumque casu desitionis, seu cessationis Præpositorum Generalium, ut supra eligendorum extra tempus Capitulorum Generalium, Generales Præpositi extra Capitulum Generale ad præscriptum Constitutionum, seu Decretorum eligendi usque ad Capitulum Generale post dictam electionem proxime celebrandum tantum perdurent, reservato quatenus opus sit beneplacito Sanctissimi Domini Nostri nomine totius Capituli Generalis impetrando, & a Procuratore Generali procurando. Et per vota secreta omnibus concurrentibus fuit Decretum.

fuit resolutum affirmative. I. B. Cardinalis Pallottus, Protector, & Præses: Philippus Mascambrunus Cler. Min. Franciscus Meliori Cler. Min. Innocentius Lanzalonga Cler. Min. Ludovicus Revelo Cler. Min. Laurentius Bonafidanza Cler. Min. Clemens Gualterius Cler. Min. Franciscus Migliacci Cler. Min. Petrus Ansalonius Cler. Min. Marius Calderinus Cler. Min. Tiberius Maria Almericus Cl. Min. Ludovicus Protospadarius Cler. Min. I. Ximenes Cler. Min. Paulus Ayrolus Cl. Min. Lucas Ximenes de Los Cler. Min. Jacobus Pedicinus Cl. Min. Alfonsus Rivelo Cl. M. Paulus Ayrolus Cl. Min. Secretarius Capituli Generalis.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati exponentes Decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos felici, prosperoque dictæ Congregationis regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, prospicere, ipsorumque exponentium votis favorabiliter annuere cupientes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Decretum præfatum cōfirmat. §.4. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, hac tamen lege, ut casu quo servatis servandis, ut supra, Præpositus Generalis ad tempus electus fuerit, in casu novę electionis non possit denuo ad tempus eligi, nisi iterum per vota secreta quatuor ex quinque votorum partibus concurrant, & expressus assensus, & approbatio nostra, vel Successorum nostrorum in perpetuum accedat, & hoc toties quoties casu electionis advenerit, alioquin Præpositus Generalis ad vitam perduret.

Clausulas addit. §.5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon d. Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariisquibuscumque.

§.7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Aug. 1663. Pontificatus nostri Anno IX. Dat. die 22. Aug. 1663. An.IX.

CDLIV.

Ut tres Conventus, nimirum Vastinensis Iniicastrensis, & Castrireginaldensis Custodiæ Sanctissimæ Trinitatis in Provincia Majori Turoniæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum, uniri, & incorporari possint Provinciæ viciniori, aut commodiori Reformatorum, seu Recollectorum Ord. hujusmodi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præpositi felici religiosorum virorum vota sua Deo reddere satagentium regimini, & quieti libenter consulimus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire. Proœmium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Theophilus Chairier Custos, ac omnes Fratres tam Superiores, quam inferiores Custodiæ Sanctissimæ Trinitatis Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Recollectorum nuncupatorum, & pręsertim Joannes Baptista Baudin eorum specialis hac in parte Procurator, quod pro Reformatione Provinciæ Majoris Turoniæ Fratrum Minorum dicti Ordinis vigore quarumdam fel. recod. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis literarum die 30. Augusti 1642., ac die 22. Januarii, & 22. Aprilis 1643., necnon die 2. Martii 1644. respective expeditarum dicta Custodia juxta quasdam re: me: Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri literas in Capitulo Provinciali ejusdem Provinciæ die 29. Augusti 1643. Rhedonis celebrato per Venerabilem Fratrem Henricum tunc Episcopum Rhedonen. Apostolicum hac in re Commissarium erecta, & confir- Expositio.

Confirmata fuit, illique sex Conventus, videlicet Rhedonensis, Venetensis, Corizopitensis, Vastinensis, Iniicastrensis, & Castrireginaldensis assignati fuerunt. Verum nihilominus Fratres dictæ Provinciæ Majoris Turoniæ sic erectam, & confirmatam auctoritate apostolica Custodiam hujusmodi, imo, & ab ipsis receptam, laudatam, & approbatam sub propriis Chirographis, propter quasdam difficultates tribus Conventibus principalioribus privaverunt, eique tres supradictos Conventus Rhodonensem scilicet, Venetinensem, & Corizopitensem dare noluerunt.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, jam nulla supersit spes Fratribus Reformatis intentam ab ipsis Reformationem in dictos tres Conventus, imo in totam Provinciam introducendi, propter rationes alibi allatas, & tantas difficultates de die in diem magis crescentes, quinimo nec pacifice in tribus Conventibus, qui eis supersunt, vivendi, nisi a dicta Provincia Majoris Turoniæ omnino separentur, tum propter exiguitatem ipsorum, tum propter penuriam locorum, & injuriam temporum: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de medio opportuno regulam suam ad literam observandi juxta præscriptum præfatarum Clementis Prædecessoris literarum, quibus omnes, & singuli subscripserunt, providere, & ad hunc finem cum soli Fratres Recollecti in Gallia sub dictis Clementis Prædecessoris literis regulam servent, ipsis, ut una cum prædictis suis tribus Conventibus viciniori, aut commodiori Provinciæ Fratrum Recollectorum, seu Reformatorum in Gallia, nempe Provinciæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ annuente dilecto filio Ministro Generali dicti Ordinis eos recipere parata est, servato tamen jure uniuscujusque uniri, & incorporari valeant permittere, ad hanc unionem, & incorporationem perficiendam, plenam potestatem Commissario per eundem Ministrum Generalem deputando concedere de benignitate apostolica dignaremur, ita re perfecta a dicto Commissario unione, seu incorporatione hujusmodi, Minister Provincialis dictæ Provinciæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ supradictos tres Conventus, & Fratres omnes in eis degentes, sicut alios Fratres Provinciæ hujusmodi in posterum visitare, & corrigere, ac de illis sicut de aliis disponere possit, maxime cum propter hanc unionem, seu incorporationem, nec dicta Custodia, nec Provincia prædicta quicquam super aliis memoratæ Provinciæ Majoris Turoniæ Conventibus prætendant.

Confirmat ut in rub.

§.3. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem Cardinales, & consentiente præfato Ministro Generali Ordinis hujusmodi, ut memorati tres Conventus, nimirum Vastinensis, Iniicastrensis, & Castrireginaldensis uniri, & incorporari possint Provinciæ viciniori, aut commodiori Reformatorum, seu Recollectorum auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus; ac hujus unionis, & incorporationis peragendæ facultatem Commissario ab eodem Ministro Generali deputando auctoritate, & tenore prædictis tribuimus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes litter. semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciæ, & Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat die 17. Sep. 1663. An. IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Sept. 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio D. Cardinali Vicario Urbis, ut Præsidem, & Auditorem Regiæ Audientiæ Montis Fusculi in Regno Neapolitano a violatæ Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ excessibus Beneventi commissis absolvat.

Dilecto Filio nostro in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Sedes Apostolica pia Mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate

tate filiis propitiam se solet exhibere, & benignam.

Supplicatio. §.1. Cum itaque dilecti filii Franciscus Pasqualis Magister Campi, & Præses Regiæ Audientiæ Montis Fusculi in Regno Neapolitano, ac Carolus Vellius Auditor ejusdem Audientiæ cum literis dilecti filii nobilis Viri Gasparis de Braccamonte, & Gusman Comitis de Penaranda dicti Regni Proregis, die 16. Junii proxime præteriti scriptis ad hanc Almam Urbem nostram nuper venerint, Nobis humillime supplicandi ergo, prout etiam tam proprio, quam dilectorum filiorum Proregentis Curiæ Vicariæ Neapolitan., ac Commissarii Campaniæ, omniumque aliorum Officialium, & Militum Regiorum excessus mense Martio proxime præterito in Civitate nostra Beneventan. commissi complicum nominibus supplicarunt, ut sibi, & illis beneficium absolutionis ab excommunicatione, aliave quacumque pœna tam spirituali, quam temporali per eos ob violationem tam Immunitatis, quam Jurisdictionis Ecclesiasticæ, & temporalis, tum quia armata manu eamdem Civitatem Beneventan. ingressi inde quondam Josephum Carafam Clericum, & alios assertos homicidii Neapoli in personam quondam Augustini de Flore commissi complices eduxerunt, licet illi nomine Curiæ Ecclesiasticæ, & secularis dictæ Civitatis nostræ Beneventan. in Carceribus detinerentur, & aliqui eorum ex loco Immunitate Ecclesiastica gaudente extracti fuissent, seque Clericos esse prætendissent, tum etiam propter mortem subinde eisdem Carceratis illatam, ac demum quia dilectum etiam filium nobilem Virum modernum Principem Terræ della Riccia nuncupatæ in præfato Regno Neapolitano consistentis, & aliquot ejus homines dum ipsi januæ, & parietibus Ecclesiæ S. Honuphrii in Territorio dictæ Civitatis Beneventan. sitæ adhærebant, apprehenderunt, & captivos abduxerunt, incursis, concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Hinc est, quod Nos, attentis memorati Gasparis Comitis Proregis supplicationibus, multisque excusationibus ad hoc, ut casus prænarratus, qui multas secum tulit considerationes, etiam a tumultibus popularibus petitas, venia, & commiseratione dignus existimaretur, adductis, & præcipue attenta repositione præfatorum Principis Terræ della Riccia, ejusque hominum in eodem loco facta unde extracti fuerant, dictos Franciscum Præsidem, & Carolum Auditorem Audientiæ supradictæ, qui vera pœnitentiæ signa ostenderunt, paterna clementia nostra prosequi decrevimus.

Confirmat, ut in rub. §.2. Itaque circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut prævia revocatione & annullatione omnium, & singulorum actorum, & attentatorum a præfatis Francisco Præside, & Carolo Auditore in præmissis quovis modo gestorum, & factorum, præstitaque prius per eos obligatione juramento vallata de damnis, & interesse, ad quæ de jure tenebuntur, statim atque liquidata fuerint reficiendis, ac facta etiam prius per eos promissione quod in futurum a similibus violentiis, & attentatis abstinebunt & quicquid eis præscriptum, & injunctum fuerit, priusquam infrascriptæ absolutionis beneficium obtineant, observabunt, & adimplebunt, eosdem Franciscum Præsidem, & Carolum Auditorem Audientiæ hujusmodi, & eorum singulos si hoc a te humiliter petierint a reatu violatæ per eos, ut præfertur Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, & temporalis, ac excessibus prænarratis, necnon excommunicationis, aliisque censuris, sententiis, & pœnis tam spiritualibus, quam temporalibus, quas propter præmissa quovis modo incurrerunt aut incurrisse dici, censeri, vel prætendi possent in utroque foro auctoritate nostra Apostolica in forma Ecclesiæ consueta absolvas, & totaliter liberes, illisque, & eorum cuilibet pœnas hujusmodi gratiose remittas, & condones, ac eos, & eorum quemlibet in pristinum, & eum, in quo antequam eadem præmissa evenirent quomodolibet erant, statum restituas, reponas, & reintegres; Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam tibi ad præmissa facultatem harum serie, auctoritate prædicta, tribuimus, & impertimur.

Contraria tollit. §.3. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.4. Volumus autem, ut omnium, & singulorum actorum hujusmodi in exequutionem præsentium literarum a Te, & coram Te respective gerendorum monimenta conficias, seu confici cures, quorum exempla authentica tam ad Secretariam Congregationis Venerabil. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositæ, quam ad Cancellarias Curiarum Archiepiscopalium Neapolitan., & Beneventan. transmittas, ad hoc, ut ibidem respective ad perpetuam rei memoriam conserventur.

Dat. die 20. Sep. 1663. An.IX. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Sept. 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLVI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Deputatio D. Cardinalis Vicarii Urbis, & Al. in solidum in Executores privilegiorum Capituli, & Canonicorum S. Mariæ in Rotunda Urbis eisdem competen. super Platea ante dictam Ecclesiam.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. §.1. Aliàs postquam Ecclesiæ S. Mariæ in Rotunda de Urbe, ipsiusque Almæ Urbis nostræ decori consulendi studio,

dio, omnes ædes, & ædificia quæcumque porticui ejuſdem Eccleſiæ adjacentes, & adjacentia, ac ad dilectos filios Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ hujuſmodi ſpectantes, & ſpectantia penitus, & funditus dirui, & demoliri, illorumque rudera, & cementa inde aſportari, necnon domunculas ligneas, tabernas, ſcamna, & tabulata quæcumque in Platea dictæ Eccleſiæ exiſtentia inde amoveri, & penitus tolli; certum vero loci ſpatium in formam hemicycli aliquantum oblongi, ac labra, & ornamenta fontis, qui in meditullio ejuſdem Plateæ ſitus eſt, ab ea parte, quæ verſus Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ protenditur, ambientis pro collocandis illic domunculis, ſeu tabernis mercatoriis deſignari, ibique domunculas, ſeu tabernas hujuſmodi locari, illam autem dictæ Plateæ partem, quæ Eccleſiam, & fontem prædictos interjacet, necnon vias publicas in ipſa Platea circumquaque exiſtentes ejuſmodi impedimentis liberas, & vacuas remanere juſſeramus, hæcque omnia re ipſa ab illis, quibus hanc curam dederamus, executioni demandata fuerant; facta etiam per dilectos filios Magiſtros viarum dictæ Urbis exacta locorum Plateæ præfatæ, tam eorum, quæ libera, & vacua remanere, quam illorum, in quibus domunculæ, ſeu tabernæ mercatoriæ hujuſmodi collocari deberent, delineatione, ſeu planta, quæ in actis eorumdem Magiſtrorum viarum, die 26. Aprilis proxime præteriti exhibita reperitur: Nos, ut præmiſſa omnia, & ſingula ad Eccleſiæ, & Urbis præfatarum ornatum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter ſervarentur providere, ac memoratorum Capituli, & Canonicorum indemnitati conſulere cupientes per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis die 27. dicti menſis Aprilis expeditas literas motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine areas ædium, & ædificiorum juſſu noſtro dirutorum, & demolitorum, ut præfertur, ac univerſam Plateam prædictam excepto dumtaxat ſupradicto loci ſpatio pro collocandis domunculis, ſeu tabernis mercatoriis, ſicut in præfata delineatione, ſeu planta videre eſt deſignato, a dominio, proprietate, ſervitute, aliiſque juribus quibuſcumque tam memoratis Eccleſiæ, ejuſque Archipresbitero, & Capitulo, & Canonicis ex immemorabili præſcriptione, uſu, ſeu conſuetudine, ac fel. rec. Sixti IV., Innocentii VIII., Julii II., Sixti V., & Urbani VIII. aliorumve quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum conceſſionibus, declarationibus, decretis, aliiſque diſpoſitionibus quibuslibet, & alias quovis modo, titulo, & cauſa, quam cuicumque alteri ſuper Platea hujuſmodi quomodolibet competentibus, & quæ illis quoquo modo competere prætendi poſſent, itaut nec dictis Archipresbytero, ac Capitulo, & Canonicis, nec aliis perſonis quibuslibet quacumque dignitate, auctoritate, honore, prærogativa, præeminentia, privilegio, &

Decreta aliorum Pontificum.

indulto ſuffultis, & præditis ullatenus unquam liceret domunculas, tabernas, ſcamna, tabulata, menſas, banchos, vel alia impedimenta quæcumque in alio quolibet dictæ Plateæ per demolitionem ædium, & ædificiorum præfatorum juſſu noſtro factam, ut præfertur, ampliatæ loco, quam in ſpatio pro collocandis domunculis, ſeu tabernis mercatoriis prædictis deſignato, & in planta, ſeu delineatione ſupradicta deſcripto ſub quovis prætextu, cauſa, colore, vel ingenio collocare, ſeu collocari facere, aut collocandi licentiam, vel facultatem tribuere, ſeu ibidem carnes, piſces, panem, olera, fruges, fructus, aliave cujuſvis generis eſculenta, ac flores, & alia mercimonia quæcumque venum exponere, aut venalia habere, ſeu alio quocumque modo ejuſdem Plateæ venuſtati, & libertati officere; ſed ipſa Platea, excepto dumtaxat jam dicto loci ſpatio, ſemper libera, & vacua remanere deberet, ſalvo tantum illo jure, quod in memorati Urbani Prædeceſſoris literis pariter in forma Brevis, die 9. Februarii 1628. emanatis domorum in Platea hujuſmodi ſitarum Dominis, vel Inquilinis expreſſe reſervatum reperiebatur, penitus, & omnino exemimus, & plenarie liberavimus. Ac præfatis Capitulo, & Canonicis, ut ipſi perpetuis futuris temporibus ſpatio loci pro domunculis, ſeu tabernis mercatoriis, juſſu noſtro, ut præfertur, deſignato uti, ibique domunculas, ſeu tabernas hujuſmodi collocatas habere, ac illis perſonis ſibi beneviſis locare, penſioneſque, & emolumenta quæcumque inde proventura percipere, exigere, levare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere, necnon privilegiis, favoribus, gratiis, & indultis quibuſcumque ipſis, & dictæ Eccleſiæ per memoratos Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & præſertim Sixtum V. per ſuas ſub plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1586. Idibus Novembris Pontificatus ſui Anno ſecundo, & Urbanum VIII. per ſuas præfatas in forma Brevis reſpective expeditas literas conceſſis, & approbatis (quæ omnia, & ſingula quatenus præfatis noſtris literis non adverſabantur, & non alias, confirmavimus, & approbavimus; quatenus vero noſtris literis erant contraria, revocavimus, abrogavimus, caſſavimus, viribuſque, & effectu vacuavimus) ſicut eatenus uſi, potiti, & gaviſi fuerant, ita, & in poſterum frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſent, & valerent, conceſſimus, & indulſimus, & alias prout in eiſdem noſtris literis quarum, necnon præfatarum Sixti V., & Urbani VIII. prædeceſſorum literarum tenores, & datas etiam veriores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur.

Motiva.

§.2. Cum autem, ſicut accepimus, memoratis Capitulo, & Canonicis executionem privilegiorum, favorum, gratiarum, & indultorum hujuſmodi ipſis, & dictæ Eccleſiæ a præfatis Romanis Pontificibus Prædeceſſo-

decessoribus nostris, & præsertim Sixto V., & Urbano VIII. per eorum literas supradictas respective concessorum, & approbatorum, ac a Nobis per literas nostras præfatas, ut præfertur, confirmatorum petentibus multi Domini, seu Inquilini domorum Plateæ præfatæ adjacentium, & præcipue Curatores, seu Administratores, vel Procuratores, seu negotiorum gestores quorumdam locorum piorum sese opponant, forum declinare satagentes, causasque coram eorum Judicibus reassumentes; unde earumdem literarum executio suspenditur, in grave Ecclesiæ, ac Capituli, & Canonicorum præfatorum damnum, & præjudicium. Hinc est quod Nos eorumdem Ecclesiæ, ac Capitulo, & Canonicorum indemnitati per amplius providere volentes, dictorumque Archipresbyteri, & Capituli, & Canonicorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum prensen. dumtaxat consequen. harum serie absolven. & absolutas fore censentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus dilectis filiis nostro in dicta Urbe Vicario in spiritualibus, ac causarum Curię Camerę Apostolicę Auditori Generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, etiam privative quoad alios quoscumque Judices etiam privilegiatos, & speciali mentione dignos, per se, vel alium, seu alios præfatas nostras, ac Sixti V., & Urbani VIII, Prædecessorum literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Archipresbiterum, ac Capitulum, & Canonicos tam in Causis introductis, quam deinceps quomodocumque, & quandocumque introducendis earumdem nostrarum, ac Sixti V., & Urbani VIII. Prædecessorum literarum, omniumque, & singulorum in eis respective contentorum, quatenus tamen illa per præfatas nostras literas revocata non sunt, commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Hujus decreti executores instituit.

§.3. Non obstan. quacumque litis pendentia, aliisque præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quę memorati Sixtus V., & Urbanus VIII. Prædecessores voluerunt in suis, & Nos voluimus in nostris respective literis præfatis non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Octobris 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 8. Oct. 1663. An. IX.

CDLVII.

Super Concordia facta inter Procuratores Generales Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & Ordinis B. Mariæ de Mercede.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Romana Ordinum Redemptionis Captivorum.

Decretum Sacræ Congreg.

§.1. Cum Fr. Franciscus de la Rosa Vicarius, & Procurator Generalis Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede supplicem libellum Sanctissimo porrexisset, quo se, suumque Ordinem admodum lęsos conquerebatur de assertionibus, quas dietim typis, ac viva voce, tum in concionibus, tum in publicis disputationibus evulgari student Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nempe quod ipsis Fratribus de Mercede non ex primævo eorum Ordinis instituto injunctum fuerit, sed ex voto mox iisdem accesserit Christi fideles Captivos e manibus Barbarorum redimendi onus, sortibusque olim commissum firmatumque, ut idem Ordo de Mercede Ordini Sanctissimæ Trinitatis tandem uniretur, quæ præsertim contineri asserebat in libello novissime impresso Romæ typis Angeli Bernabò a Verme, anno 1660. cui titulus est Vitæ Sanctorum Joannis de Mattà, & Felicis Valloys Fundatorum Ordinis Sanctissimę Trinitatis; Sanctitas Sua speciali ejus rescripto ob lites inter Ecclesiasticas, & Regulares personas dirimendas absque strepitu, & figura judicii, atque ad sedanda scandala exinde orta, & orienda: potissimum vero ad perpetuam inter Fratres prędictorum Ordinum charitatem stabiliendam, rei amicabiliter inter eos consulendæ, & componendæ Provinciam commisit Rev. P. D. Phæbæo, tunc Sacræ Rituum Congregationis a Secretis, qui accersitos, ac pluries seorsim, & una simul auditos Procuratores Generales utriusque Ordinis, nempe præfatum Fratrem Franciscum de la Rosa Mercedarium, & Fratrem Joannē a Conceptione Excalceatum Sanctissimæ Trinitatis, pariter asserentem, quod Fratres Mercedarii his prorsus non dissimilia evulgant de Fratribus Sanctissimæ Trinitatis, in eam tandem sententiam adduxit, ne sub pœna privationis vocis activæ, & passivę in perpetuum aliquis eorum audeat, seu præsumat in posterum scriptis, aut viva voce, tum in concionibus, tum in publicis, & privatis disputationibus prædi-

prædicta sub quovis prætextu, vel quæsito colore prædicare, asserere, disputare, & affirmari facere, & curare; siquidem adversantur literis Summorum Pontificum; præsertim vero Clementis VIII. incipientibus, *Romana Catholica Ecclesia*. Datum Kalend. Maji 1601. super Canonizatione Sancti Raymundi de Peniafort, §.17., & 18. ac respective literis Innocētii III., aliorumque Pontificum. Præterea libellum, de quo supra, in novis impressionibus ap. 155. ad pag. 158. omnino conformandum esse enunciatę Constitutioni Clementis VIII. ac sub iisdem poenis denuo non imprimi nisi ab eodem libello expunctis assertionibus præfatis. Verum quia inter hæc præfatus Rev. P. D. Phoebæus ad Pręceptoriam Sancti Spiritus in Saxia promotus fuit, & ipse Secretariæ Congregationis Sacrorum Rituum addictus sum, Sanctissimus mihi per aliud subsequens rescriptum mandavit, ut desuper prædictis omnibus, ac singulis decretum ederem, ac idem in acta Sacræ Congregationis referrem, sub expressis poenis, aliisque gravioribus arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis exequutioni omnimode demandandum, prout demandari mandat. Die 2. Octobris 1663. M. Episcopus Sabinensis Card. Ginettus.

Decretum præfatum cōfirmat.

§.2. Cum autem, sicut pro parte præfatorum Francisci de la Rosa, & Joannis a Conceptione Procuratorum Generalium, Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostrę robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum preinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Clausulas addit.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictorum Ordinum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ pręsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis danda fides.

Datum in Arce Gandulphi, Dioec. Albanensis, sub Annulo Piscatoris, die 30. Octobris 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 30. Oct. 1663. An. IX.

CDLVIII.

Confirmatio Decreti S. Congregationis Rituum, quo respondetur Clericos Civitatis Seguntin. indutos Cotta, seu alio Ecclesiastico indumento præferendos esse privatis personis, seu aliter Clericis nullo Chorali, seu Ecclesiastico indumento suffultis.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias emanavit a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Card. Sacris Ritibus præpositorum Decr. tenoris, qui sequitur, videlicet: Seguntina Capitulum Seguntinum Sac. Rituum Congr. supplicavit ut declarare dignaretur, an Clericis Cotta indutis præferendi videantur Acersecomites Episcopi interessentes sine Cotta. Et Sacra eadem Congregatio respondit, Clericos indutos Cotta, seu alio Ecclesiastico indumento præferendos esse privatis personis, seu aliter Clericis nullo Chorali, seu Ecclesiastico indumento suffultis.

Sacr. Congr. decretum exhibetur.

Die 20. Novembris 1660.

M. Cardinalis Ginnettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius S. R. C. Secr.

§.2. Cum autem, sicut dilecti filii Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Seguntin. Nobis exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus

Decretum confirmat.

quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat die 27. Nov. 1663. An. IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Nov. 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, ut deinceps in Provincia S. Antonii in Regno Portugalliæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum servetur Breve Clementis VIII. circa fundationem novorum Conventuum aliorum Regularium mendicantium, ita ut non possit procedi ad hujusmodi fundationes, nisi in distantia saltem quinque leucarum a Conventibus dictæ Provinciæ Sancti Antonii.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ S. Antonii in Regno Portugalliæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum exposito, quod dilecti pariter filii Fratres Provinciæ de Arabida ejusdem Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum Conventus in locis de Condexa Columbrien., & de Cham Parochiæ S. Quintini Ulixbonen. respective Diœcesum de novo fundare, & erigere intendebant in maximum præjudicium, & damnum dictæ Provinciæ S. Antonii, quæ Conventus illic vicinos habet, & quæstuationes ibidem exercere solet, cupiebantq; propterea dicti Exponentes quasdam felic. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis literas pro Provincia Carthaginen. dicti Ordinis emanatas, per quas fundatio Conventuum Mendicantium intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a Conventibus hujus Provinciæ prohibita fuit, ad supradictam Provinciam S. Antonii extendi, & præfatis Fratribus Provinciæ de Arabida fundationem supradictorum Conventuum similiter prohiberi: emanavit a dicta Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum Sacræ Congreg.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac audito Commissario Curiæ Ordinis hujusmodi, Sanctissimo Domino Nostro annuente, decrevit, & mandavit, ut deinceps in præfata Provincia S. Antonii Regni Portugalliæ servetur memoratum Breve san. me: Clementis VIII. circa fundationem novorum Conventuum aliorum Regularium Mendicantium, ita ut non possit procedi ad hujusmodi fundationes, nisi in distantia saltem quinque leucarum a Conventibus dictæ Provinciæ S. Antonii, & ita harum vigore decernit, & mandat; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ 12. Decembris 1663.

M. Cardinalis Ginettus.

E. Episcopus Camerinen. Secr.

Decretū confirmat.

§.1. Cum autem, sicut præfati Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicę confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum preinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Clausulæ.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 4. Jan. 1664. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4, Januar. 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Annullatio Capituli Provincialis Provinciæ Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ, cum approbatione divisionis dictæ Provinciæ in duas, unam scilicet Lugdunen. sub nomine S. Ludovici, & aliam Aquitaniæ sub nomine S. Elzearii, cum aliis ordinationibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Illius, qui charitas est, & Deus pacis vices licet immeriti gerentes in terris, in eam præcipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut exorta, inter Christifideles altissimi obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatos dissidia, opportunis rationibus componere satagamus. Itaque causæ nullitatis Capituli Provinciæ Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ, & super ejusdem Provinciæ divisione motæ, & agitatæ, prout latius in causa hujusmodi fuit deductum, finem imponere cupientes de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui partes pluries audiverunt, remque mature examinarunt, & perpenderunt, consilio, Annullatio novi in rub. auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus assertum Capitulum Provinciale nuper celebratum de mense Junii proxime præteriti pro Provincia Sanctorum Ludovici, & Elzearii annullandum fore, & esse, ex quo in illa non fuit servata forma præscripta in Decreto Congregationis eorumdem Cardinalium sub die 13. Aprilis, neque alia servata servanda; prout per præsentes assertum Capitulum præfatum, omniaque in eo gesta annullamus, & irritamus, & ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam devoluta esse declaramus, & decernimus.

§.1. Ex benignitate tamen nostra, & pro bono pacis, & quietis præfatæ Provinciæ, & Conventuum, tam pro parte Lugdunensium, quam Aquitanorum, approbamus, ac dicta auctoritate statuimus, & instituimus divisionem præfatæ Provinciæ in duas, unam scilicet Lugdunen. sub nomine Sancti Ludovici, & aliis Aquitaniæ sub nomine S. Elzearii juxta confinia stabilita, & declarata in quadam asserta concordia inita in Conventu Moliningilbertano, & nuper in præfato asserto Capitulo acceptata, citra tamen aliquam approbationem assertæ concordiæ, & præsentis Capituli. Divisionem statuit.

§.2. Insuper cum pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & Conventuum dictæ Provinciæ Lugdunen. S. Ludovici nihil fuerit deductum contra electiones, & electos Superiores, & Officiales dictæ Provinciæ, & Conventuum illius, sed illis acquiescant, eosdem, ut præfertur, licet nulliter electos in Superiores, & Officiales præfatæ Provinciæ S. Ludovici, & Conventuum illius, auctoritate, & tenore prædictis eligimus, ac deputamus in Superiores, & Officiales, ut supra, & pro legitime electis, & deputatis ex nunc haberi volumus, & mandamus sanando, & validando eadem auctoritate omnia, & quæcumque per eosdem gesta in præteritum: Quo vero ad Provinciam Aquitaniæ S. Elzearii, cum electiones, & gesta pro illius parte fuerint impugnata, aliisque justis de causis ex benignitate statuimus, ac decernimus, ut quam primum fieri poterit, & Præsidenti deputando visum fuerit opportunum celebretur Capitulum, in quo vocem habeant ii, qui pro partæ Provinciæ, & Conventuum Aquitaniæ vocem in dicto Capitulo nuper nulliter celebrato habere poterant, seu debebant; Videlicet Guardiani Conventuum Aquitaniæ, qui fuerunt electi in Capitulo Nonnullæ ordinationes. celebrato de anno 1660., & fuerunt confirmati, seu electi in ultima Congregatione habita ante assertum Capitulum nuper celebratum, quos omnino admitti, & recipi volumus, & mandamus in dictis Conventibus, & eorum gubernio respective sub pœna renuentibus, & inobedientibus privationis vocis activæ, & passivæ per triennium, & in subsidium excommunicationis, necnon vocem habeant Definitor, & Secretarius ex Conventibus dictæ Provinciæ, qui jus habebant ferendi votum in sepedicto Capitulo nuper nulliter celebrato, & insuper Discreti eligendi in singulis Conventibus dictæ Provinciæ Aquitaniæ, cui quidem Capitulo, ut dictum est celebrando pro Provincia Aquitaniæ S. Elzearii in Conventu Tolosano præsit nomine, & auctoritate nostra Venerabilis Frater Episcopus Castren., & eo absente, seu alias impedito, Venerabilis etiam Frater Episcopus Lumbarien., & eo pariter impedito, Venerabilis Frater Episcopus Riven., quibus ad effectum exequendi omnia in præsentibus literis contenta, facultates necessarias, & opportunas auctoritate præfata earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Decer-

Decretum irritans.

§.3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac fe:re: Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate præsentium ultra tres dietas in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, Congregationis, Provinciæ, seu Provinciarum, & Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Jan. 1664. An. IX.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Januarii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decretorum a Priore Generali Ordinis Carmelitarum in Visitatione Provinciæ Turoniæ dicti Ordinis pro tollendis controversiis inter Fratres Provinciæ hujusmodi super modo eligendi Officiales vertentibus editorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD Pastoralis dignitatis apicem, nullo licet meritorum nostrorum suffragio evecti, illa, quæ a Superioribus Regularibus pro tollendis inter religiosos viros exortis dissidiis, firmandaque inter eos fraterna animorum concordia, ac solidius constabilienda regulari observantia prudenter, & salubriter facta, & decreta esse noscuntur, libenter cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio roboramus.

Expositio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Ari Prior Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quod ipse occasione Visitationis Provinciæ Turoniæ dicti Ordinis nuper ab ipso peractæ, controversias, quę inter dilectos filios Fratres ejusdem Provinciæ vertebant super modo eligendi Officiales composuit per quædam Decreta ea super re edita, & a Generali Congregatione Provinciæ hujusmodi acceptata, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Frater Hieronymus Ari Artensis Magister, ac humilis Prior Generalis, Commissarius, & Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

Nihil magis in votis fuit, ex quo Ordinis gubernaculo admoti sumus, quam ut dilectissimæ nostræ Provinciæ Turonensis tranquillitatem procurare, & exortas in ea opinionum diversitates conciliare possemus. Factum tamen est, Divino providente Numine, ut licet ad hoc conficiendum negotium, quod semper maximi momenti visum est statim ab initio Generalatus nostri advolare, cupierimus, fuerimusque nihilominus variis occurrentium impedimentorum occasionibus retardati: Tandem aspirante Dei gratia, post visitatos nonnullos Conventus e præcipuis, accesserimus in hunc Rhedonensem, quem utpote nascentis Observantiæ strictioris cunabulum, selegimus in cæteris, ad habendam generalem Congregationem totius Provinciæ; ad quam cum omnes Superiores, & Discreti Conventuum, necnon cæteri, ad quos de jure pertinebat, juxta Constitutiones Reformationis *Part.3. Cap.17.* confluxerint, omniaque peracta sint, quæ inibi servantur: nihil magis opportunum duximus ad præscriptum pacis publicę finem assequendum, quam si omnes, & singulos dictæ Congregationis Eremiales seorsim vocaremus, & in privato scrutinio, pro Officii nostri auctoritate, & eorum conscientiæ debito, obligaremus, ad significanda Nobis præsentis divisionis tum principia, & causas, tum remedia. Cui rei cum seduli vacaverimus, & ad unum omnes audierimus, eorumq; vota scripto accepta, & ab ipsis Chyrographo suo munita, attente, ac mature consideraverimus, fusisque ad Deum, quam potuimus, ardentissimis precibus, consilium a Patre luminum, & Spiritus Sancti, in re tanti momenti decernenda, auxilium efflagitaverimus, nulla alia ratione ducti, quam boni publici hujus Provinciæ; demum audito consilio, & voto R. admodum P. Leonis a S. Joanne Assistentis nostri Generalis per Galliarum Provincias, decernimus ad hanc sententiam, ut pacem, & disciplinam regularem instaurari non posse judicaverimus, nisi per praxim sequentium Decretorum, quæ sub beneplacito Sedis Apostolicæ condimus.

Nonnulla decreta.

Primo. Ad evellendam emulationis, & divisionis inter Nationes radicem: Decernimus; ut Superiores omnes hujus Provinciæ Turonensis, fiant per successivam mutationem, hac ratione, scilicet, ut tam Præses Capituli Provincialis, quam Provincialis ipse, per turnum tam ex Britonibus, quam ex non Britonibus instituantur; ita tamen ut cum Præses, seu Provincialis erit

Britæ, socium assumat non Britonen., & e contra.

Secundo. Ut ex quatuor Definitoribus, duo sint semper ex Brittania, & duo alii ex alia parte Provinciæ.

Tertio. Ut ex duobus Sociis ituris ad Capitulum Generale, unus sit Brito, & alter non Brito.

Quarto. Quia æquum non est, ut Præses, & alii, quibus constat Definitorium, utantur auctoritate sua ad componendas Familias cũ acceptatione Conventuum, quorum essent Priores: decernimus, quod neque Præses Capituli, neque Socius, sive Præsidis, sive Provincialis, neque ullus ex Definitoribus, possit esse Prior, durante illo triennio, sub pœna nullitatis.

Quinto. Custos, sit semper de eadem parte Provinciæ, ac Provincialis.

Sexto. Duo habeantur Novitiatus, unus in Brittannia, & alter extra Brittanniam, in quibus Novitii Clerici (qui debent ex utraque parte promiscuo admitti ad professionem) non admittantur ad illam nisi duodecim in quolibet Novitiatu, per annum. Poterit tamen Provincialis, in extraordinariis casibus, unum, aut alterum pro sua prudentia superaddere: In Conventibus autem Civitatum, in quibus sunt Collegia, nominentur Patres a Definitorio, ad quos spectabit postulantes in sua vocatione fovere.

Septimo. Quia reperimus hanc Provinciam debitis oneratam, ad summam circiter triginta millium librarum: Statuimus, ut eadem Provincia solvat quotannis bis mille libras, ad extinguendum paulatim hoc modo fundum illius census annui. Hujus autem nostri Decreti exequutionem commendamus, & ordinamus R. admodum Provinciali pro tempore existenti sub pœna suspensionis ab officio infligenda tam ipsi, quam Prioribus, qui taxam pro debito isto extinguendo faciendam persolvere renuerent. De cætero præcipientes, ut articuli Statutorum de bursa communi exequutioni demandentur.

Octavo. Ut omnibus litibus, dissentionibus, ac controversiis, quæ charissimam hanc Provinciam, a qua Reformatio duxit exordium, ab annis aliquot turbaverunt, finem, ac perpetuum silentium imponamus, eaque omnino, imo eorum memoriam, quantum in Nobis est, aboleamus. Auctoritate nostra, tum ordinaria, tum speciali, a Sanctissimo D. N. Alexandro VIII. pro sua benignitate Nobis specialiter attributa remittimus omnibus omnes omnino pœnas, quas dictarum litium, & controversiarum occasione, eos incurrisse contigisset. Volumus etiam ut omnes libelli circa hanc materiam evulgati, penitus supponantur Atque ut in posterum omnes unanimiter laborent, pro afferendo in integrum honore mutuo, per istas lites imminuto, mandamus districte, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis utriusque vocis, omnibus nostris Inferioribus, ne quis alterutri partium, aut alterutri partialium, directe, vel indirecte, verbo, vel scripto, quidam de præteritis exprobare audeat. Præcipientes Superioribus & maxime Provinciali per tempus existenti, ut hoc nostrum generalis amnistiæ Decretum inviolabiliter observent, & observari curent: in quo eorum conscientiam, in die Domini, oneramus, etiam Anathema, & maledictionem Dei apprecantes, illis omnibus, qui scienter, quovis quæsito prętextu, huic nostro mandato, adeo necessario paci stabiliendæ, reparandæ observantiæ regulari, & publicæ ædificationi promovendæ contravenire ausi fuerint.

Nono. Ut autem facilius possint misceri inter se Religiosi, sicque animi coalescere, & reconciliari, statuimus, ut in posterum sint semper in Britannia sex Priores non Britones, & sex quoque ex Britania sint Priores extra Britaniam, sex vero alii Conventus cujuslibet partis per turnum, & successivam mutationem, administrentur subsequente triennio, a Britonibus, & non Britonibus. Hic autem est Conventuum ordo, secundum dignitatem. Britonibus assignantur pro triennio proximo, Conventus Rhedonensis, Andegavensis, S. Annæ, Pictavensis, Ploermelensis, Rupellensis, Juliodonensis, Bonidoni, Hennebontensis, Aulnensis, Josselinnensis, ac S. Josephi. Pro non Britonibus Parisiensis, Turonensis, Nannetensis, Aurilianensis, Paulopolensis, Pontis Abbatis, Flexiensis, Dolensis, Quintinensis, Vivonensis, Flosselerensis, & Guildonensis. Quod si futurum sit aliquando impar Conventuum numerus, quando in uno triennio nominatus fuerit pro una parte excedens numerus, sequenti triennio designabitur pro altera.

Decimo. Quia vero præter hæc nostra Decreta, universali paci Provinciæ conducentia, aliqua alia animadvertimus in Visitationibus Conventuum, quæ declarationem nostram, & ordinationem exigere videntur: propterea de rebus illis particuaribus non ante decernemus quam visitationes nostras absolverimus in hac Provincia; cui ante discessum nostrum, conabimur omnia paternæ benevolentiæ, & sollicitudinis exhibere testimonia.

Undecimo. Ad impetrandum autem a Deo, per intercessionem Sanctissimæ Virginis, singularis Ordinis nostri Patronæ, pacis, quam cupimus, stabilire firmitatem; statuimus, ut singulis diebus, durante Oratione mentali, vel circa primam, Missa de Beata Virgine submissa voce dicatur in omnibus Conventibus. Diebus autem Dominicis, ac Festis solemnibus duplicibus, poterit celebrari de officio diei, cum commemoratione Beatæ Virginis, & istud non impediet quominus satisfiat alicui intentioni particulari pro debito Sacristiæ.

Cum pro terminatione Congregationis inquisissemus ab omnibus utriusque partis, in consessu congregatis, num vellent renunciare omnibus retroactis, aut faciendis in posterum litibus, appellationibus, & oppositionibus, tam negotia Provinciæ, quam

quam personas spectantibus, omnes una voce, & una acclamatione responderunt se renunciare: etiam comprecantes, ut publicum Instrumentum talis renunciationis fieret, cui omnes subscriberent, quod ultro statuimus, & ordinavimus.

Cæterum cum ad fovendam pacem necessariam judicemus, præter hæc nostra Decreta, exactam Constitutionum Reformationis praxim præterea impense, & in Christi Visceribus exhortamur Superiores omnes, ut quæ in officio eorum præscribuntur, maxime circa Visitationem inferiorum in cameris semel in mense, ac charitatem erga infirmos observent. Religiosis autem omnibus commodatum volumus, ut quę tam sæpe ordinata sunt circa assistentiam Chori, Orationem mentalem, & mansionem in cellulis, executioni demandare curent, rationem Supremo Judici ea de re reddituri. In quorum fidem, &c. Datum in Carmelo nostro Rhedonensi die 29. mensis Octobris Anno Domini 1662.

Fr. Hieronymus Ari Generalis Commissarius, & Visitator Apostolicus Carmelitarum.

Fr. Albertus a Sancto Joseph Secretarius Rmi, & Congregationis Generalis.

Nos infrascripti Generalis Congregationis Provinciæ Turonensis Gremiales, ex animo recipimus prædicta Decreta Reverendissimi Patris Generalis: gratias agentes Omnipotenti Deo, & Beatissimæ Dei Genitrici Virgini Mariæ Ordinis nostri singulari Patronæ, quod nostri tandem miserati, pacem reddere Provinciæ dignati sint, necnon Reverendissimo Patri, de susceptis pro charissima sua Provincia Turonensi laboribus.

Fr. Leo Assistens Generalis, & Provincialis Terræ Sanctæ, manu cordis.

Fr. Philippus a Trinitate Provincialis.

Fr. Sebastianus Fantonus Provincialis Hiberniæ Socius Remi Patris Generalis, & Secretarius Ordinis.

Fr. Mathias a Sancto Joanne Socius Rmi.

Fr. Symphor. ab Assumptione primus Definitor.

Fr. Basilius a Sancto Joanne secundus Definitor, & Prior Carmeli Andeg.

Fr. Stephanus a Sancto Joseph tertius Definitor, & Prior Rhedon.

Fr. Renatus a Sancto Alberto quartus Definitor P. Nannet.

Fr. Constantinus a Sancta Cruce Rev. Patris Provincialis Socius.

Fr. Theophilus a Sancto Claudio Prior Ruppell.

Fr. Marcus a Nativitate Beatæ Mariæ Virginis Prior Turon.

Fr. Melanius a Sancto Joanne Baptista Prior Ploerm.

Fr. Claudius a Sancta Anna Prior Aurel.

Fr. Renatus a Sancta Theresa Prior Juliod.

Fr. Martinianus a Sancto Joanne P. Sancti Pauli Leon.

Fr. Martialis a Sancta Maria Prior Pictaven.

Fr. Anselmus a S. Carolo Prior Aulen.

Fr. Stephanus a Sancto Xaverio Prior Pontis Abb.

Fr. Placidus a Purificatione Prior Henneb.

Fr. Macharius a Sanctissimo Sacramento Prior Vinon.

Fr. Columbanus a Sancto Spiritu Prior Dolen.

Fr. Romanus a S. Xaverio Prior Bonidon.

Fr. Petrus a Sancto Thoma Vicarius Generalis Monialium Sancti Sepulchri Rhedon., & Bethleem Ploermel.

Fr. Guillelmus a Sancta Martha Prior Sancti Josephi.

Fr. Eleseus a S. Antonio Prior Guildon.

Fr. Donatianus a Sancto Nicolao Prior Quintin.

Fr. Beniaminus a Sancto Petro Prior Sanctæ Annæ.

Fr. Beniaminus a Sancto Joanne Prior Jossel in.

Fr. Gratianus a Sancto Stephano Prior Flexin.

Fr. Damascenus ab Assumptione Prior Flocel.

Fr. Daniel a Sancto Josepho antiquissimus Professor Theol., & Exprovincialis.

Fr. Prosper a S. Ludovico Magister Novitiorum antiquior.

Fr. Avertanus a Sanctissimo Sacramento Discretus Rhedon.

Fr. Prosper a S. Petro Discretus Rupell.

Fr. Hugo a Sancto Francisco Discretus Andeg.

Fr. Renatus a Sancto Joseph Discretus Toron.

Fr. Moderan. a Cruce Discret. Ploerm.

Fr. Eugenius a Sancto Bernardo Discretus Nannet.

Fr. Simplicianus a Sancto Francisco Discretus Aurel.

Fr. Ludovicus a S. Genovefa Discretus Juliod.

Fr. Dominicus a Stigmatibus Christi Discretus Paulin.

Fr. Leonardus a Sancto Egidio Discretus Pictaven.

Fr. Michael a Sancta Catharina Discretus Henneb.

Fr. Didacus a Sancto Angelo Discretus Vivon.

Fr. Leonardus a Sancto Alberto Discretus Dolen.

Fr. Robertus a S. Josepho Discretus Bonidon.

Fr. Laxarus a Sancto Francisco Discretus S. Joseph.

Fr. Bruno a S. Joanne Discretus Guildon.

Fr. Thomas a S. Hieronymo Discretus Quintin.

Fr. Sebastianus a Jesu Maria Discretus Sanctæ Annæ.

Fr. Licinius a Sancto Michaele Discretus Jossel.

Fr. Joseph a Sancta Catharina Discretus Parisien.

Fr. Preneus a Sancta Catharina Discretus Flex.

Fr.

Fr. Valentinus a Sancto Josepho Discretus Flocel.

Fr. Albertus a S. Joseph Secretarius Reverendissimi, & Congregationis Generalis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Hieronimus Prior Generalis Decreta hujusmodi, ut firmius subsistant, & serventur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Hieronymi Prioris Generalis desiderio quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati omnia, & singula Decreta præinserta a præfato Hieronymo Priore Generali edita, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. *Decretum præinsertum confirmat.*

§.3. Decernentes easdem præsentes literas, necnon omnia, & singula Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari, illisque respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausulæ.*

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciæ Turoniæ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq; *Derogat contrariis.*

§.8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Transumptis credi mandat.*

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25.Januarii 1664. Pontificatus nostri Anno IX. *Dat. die 25. Jan. 1664. An.IX.*

CDLXII.

Decreta pro Limana provincia in Indiis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum stabilita.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de la Rosa Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod pro Provincia Limana in Indiis dicti Ordinis ad hoc ut promovendi ad Præsentaturæ, & Magisterii gradus, & virtute conspicui, & literis satis, superque condecorati sint, statutum fuit, quod nullus ex Fratribus Provinciæ, & Ordinis hujusmodi ad Præsentaturæ, & Magisterii gradus promoveri possit, nisi prius infrascriptas conditiones adimpleverit, & secundum eas qualificatus existat. Videlicet. *Expositio.*

§.1. Ut nullus ad Præsentaturæ de lectura lauream exponatur, qui non legerit ultra tres annos Logicæ, & Philosophiæ duos alios annos Theologiæ Scholasticæ assistendo conferentiis, & aliis actibus pro Magistris designandis; idque non ubique locorum, sed tantum in aliqua Universitate approbata, vel in aliquo Conventu ejusdem Ordinis studiis, literariisque exercitationibus deputato. Post hæc, ut de eorum sufficientia constet, in Collegio S. Petri Nolasco Limano nuperrime ædificato sequentibus actibus literariam reducatur ad trutinam: Semel, sed publice conclusiones defendens, ad semihoram præmissa præfatione a quatuor Magistris proposita argumenta dissolvat. Deinde per horæ spatium punctum ex sententiarum Magistro desumptum, quod ante vigintiquatuor horas sibi sorte contigerit, elucidet, & sententiam propositam impugnantibus quatuor Magistrorum telis obsistat. *Nonnullæ conditiones.*

Tunc Examinatores ad rem dijudicandam electi (præmisso in Rectoris manibus fidelitatis juramento, nempe nec se directe, nec indirecte Præsentaturæ candidato suggessisse argumenta, nec se nisi benemeritum, & dignum approbaturos) secreto ferant calculum, & faventibus pluribus suffragiis Rector ad Prolistæ, seu Licentiati gradum evehat, quibus capax evadet Præsentaturæ de numero Provinciæ. Et nemo ad prædicta suffragia admittatur, quin prius de materia sibi a sorte præscripta, saltem per tres horæ quadrantes disseruerit.

Insuper, & Examinatores ad hanc functionem nominandi, sint Magistri de numero

mero Universitatis, Cathedratici Ordinis prædicti, Regens præfati Collegii, & Primarius Lector, quibus Collegii ejusdem Rector uti Præses assistat. Deinde: ut his tantum de Prædicatorum Præsentatura benemeritus habeatur, qui decem annis alicujus Domus Conventualis Concionator speciali rescripto assignatus, triplicis Quadragesimæ Feriis cum approbatione verbum Dei prædicaverit; quo tempore transacto, in Collegio prædicto concionetur semel per unam horam de Evangelio, & materia sortita per vigintiquatuor horas antecedentes: quo finito ad suffragia admittatur eadem forma, & eisdem supra relatis Examinatoribus approbandus. Postremo, ut qui in dicta Provincia Magisterii laureola condecorandi fuerint, prius lecturi sint quotidie unam Theologiæ Scholasticæ lectionem per trium annorum spatium supra illos quinque ad Præsentaturam requisitos: Probationes autem, & informationes Lecturarum in Capitulo provinciali, & faciendæ, & approbandæ sint, ac in Collegio (preter ea, quæ ad Licentiatus gradum obtinendum effecerat) viginti quatuor horis antecedentibus per semihoram leget punctum super Scripturam Sacram sortitum, & per spatium alterius semihoræ duorum Magistrorum oppositis argumentis obsistet. Quibus peractis ad suffragia admittatur, & numerosiori Examinatorum calculo approbatus a Rectore Collegii ejusdem Magister eligatur, quo præcedente gradu, ad gradum Magistri de numero dignus judicetur.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissa omnia uti justa, & rationi consona dilectus filius Magister Generalis dicti Ordinis approbaverit, & confirmaverit: Firmiora vero, & validiora sint illa, quæ hujus Sanctæ Sedis patrocinio roborantur: Nobis propterea dictus Franciscus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Supradictas Ordinationes confirmat.

§.3. Nos igitur ipsum Franciscum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præinsertas ordinationes, & dispositiones mature considerarunt, consilio, easdem ordinationes, & dispositiones auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & in posterum vim statuti in prefata Limana Provincia habere decernimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 8. Febr. 1664. An. IX.

Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Febr. 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXIII.

Commissio Cardinali Carafa, ut compellat Ecclesiasticos Statuum Hæreditariorum Electi Imperatoris, ad tradenda aurea, & argentea utensilia, exceptis Calicibus, & Patenis, & aliis Sacra unctione delibutis eidem Imperatori, seu ejus Ministris in Subsidium Belli contra Turcas.

Dilecto filio nostro Carolo S. R.E. Presbytere Cardinali Carafæ nuncupato.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus, immanissimus Christiani nominis hostis Turcarum Tyrannus anno superiore qua vi, qua fraude in intima, quin etiam extrema Regni Hungariæ, cujus Charissimus in Christo filius noster Leopoldus Romanorum Rex Illustris in Imperatorem electus, etiam Rex existit, armorum suorum viribus eo usque penetraverit, ut non solum cuncta in sua jura, legesque coegerit, sed etiam aliis Provinciis partim conterminis, partim dissitis vastitatem posthac comminetur: Et quamvis dictus Leopoldus Rex nihil

nihil omnino intermiserit, quo tam formidabili Turcarum potentiæ, ceu torrenti è supernis per de cliviaruenti repagulum aliquod opponeret; re tamen accurate perpensa id omnino explorato constet, nec vires ærarii ejusdem Leopoldi Regis, nec facultates Laicorum ejus ditionum hæreditariarum tantæ belli moli usquequaque pares fore: Ex redditibus vero personarum ecclesiasticarum præfati Hungariæ, ac Bohemiæ Regnorum, necnon Archiducatus Austriæ, cæterorumque Statuum, Provinciarum, Ditionum, & Dominiorum hæreditariorum ipsius Leopoldi Regis præsentaneum, vigentissimisque necessitatibus hujusmodi congruens Subsidium haberi nequeat: Nos considerantes ea in re non minus Dei, cujus Templa, & Sacra violantur, & cultus cessat, ac Ministrorum ejus, quam prædicti Leopoldi Regis sævissimo, injustissimoque bello a communi Reipublicæ Christianæ hoste petiti causam agi, quacumque alia promptiori ratione in tam urgenti, & evidenti necessitate eidem Leopoldo Regi pro recuperatione dicti Regni Hungariæ, Turcarumque inde expulsione, ac communis causæ tuitione subveniendum censemus. Habita itaque super his cum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio, ac motu proprio, ac ex certa scientia nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine circumspectioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Capitula, Canonicos, & Ecclesiarum, ac locorum piorum quorumlibet Rectores, & Administratores, cæterasque personas ecclesiasticas Hungariæ, & Bohemiæ Regnorum, ac Archiducatus Austriæ, cæterorumque Statuum, Ditionum, Provinciarum, & Dominiorum hæreditariorum prædictorum tam seculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, ac etiam Societatis Jesu, & Militiarum, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, regulares utriusque sexus etiam non petita, aut obtenta cujusvis Superioris mediati, vel immediati regularium hujusmodi licentia, ac postpositis aliis quibuscumque excusationibus, & tergiversationibus ad tradendum, & consignandum dilecto filio nostro Ernesto Adalberto tituli S. Prexedis S. R. E. Presbytero Cardinali ab Harrach nuncupato Ecclesiæ Pragen ex concessione, & dispensatione apostolica Præsuli, necnon Ven. Fr. Salisburgen. & Strigonien. chiepiscopis, ac Episcopo Viennen. aut duobus saltem ex illis, seu si illi insimul non reperiantur, aliis Regnorum, ac Archiducatus, Statuum, Ditionum, Provinciarum, & Dominiorum prædictorum Episcopis, vel duobus ex illis per te arbitrio tuo toties quoties opus fuerit, eligendi quæcumque, & qualiacumque aurea, & argentea Ecclesiarum, & locorum piorum hujusmodi Vasa, Candelabra, Cruces, Thuribula, & alia utensilia, sive intra fines Regnorum, & Archiducatus, Statuum, Provinciarum, Ditionum, & Dominiorum

Confirmat prout in rub.

prædictorum, sive extra illos asportata ubicumque gentium, & locorum existant (Calicibus, & Patenis, & aliis Sacra unctione delibutis, dumtaxat exceptis, ut illa conflari, & in nummos prædicto Leopoldo Regi, seu ejus Ministris consignandos, & in supradictam causam dumtaxat expendendos cudi possint, cauto tamen arbitrio tuo de restituendis quam primum facultas suppetet, Ecclesiis, & Locis Piis hujusmodi aliis utensilibus aureis, & argenteis ejusdem ponderis, valoris, & qualitatis apostolica auctorirate nostra opportunis juris, & facti remediis etiam per censuras ecclesiasticas, omni, & quacumque appellatione, recursu, reclamatione, & exceptione remotis cogas, & compellas. Super quibus tibi quamcumque necessariã, & opportunam facultatem tribuimus, & impertimur. Volentes pecuniarum ex præmissis redigendarum rationes seorsim haberi, illasque in causam belli prædicti contra Turcas, & non in alios quosvis usus cum tuo, vel aliorum a te, seu pro tempore existente nostra, & Apostolicæ Sedis apud memoratum Leopoldum Regem Nuncio ad id specialiter deputandorum subscriptione integre, & fideliter converti, & erogari.

§.2. Non obstan. apost., ac in universalibus, provincialibusq; & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumcumque Ecclesiarum, & Locorum Piorum, ac Ordinum, Congregationum, Societatis, Militiarum, & Hospitalis prædictorum, & quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, & Locis Piis, ac Ordinibus, Congregationibus, Societati, Militiis, & Hospitali prædictis, illorumque Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, & aliis Superioribus, ac personis quibuslibet, etiam in limine fundationis, & erectionis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus, ac si de verbo ad verbum, ac forma in illis tradita servata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

§.3. Aut si præfatis, aut quibusvis aliis communiter, vel divisim sit a Sede Apostolica indultum quod excommunicari, suspendi, & interdici non possint per Literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. die 23. Febr. 1664. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Febr. 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXIV.

Commissio Cardinalibus ab Harrach., & Carafæ, ac Archiepiscopis Salisburgen., & Strigonien., & Episcopo Viennen. super impositione Subsidii, & Contributionis in Statibus Hæreditariis electi Imperatoris.

Dilectis filiis nostris Ernesto Adalberto tituli Sanctæ Praxedis ab Harrach., & Carolo S. R. E. Presbyteris Cardinalibus Carafæ nuncupato, ac Ven. Fratribus Archiepiscopis Salisburgen., & Strigonien., & Episcopo Viennen.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecti filii nostri, & Ven. Fratres salutem, & apostolicam benedictionem.

Procemium. CUM luctuosissimas Populorum strages, agrorum vastationes, Urbium expugnationes, Christifidelium miserrimam in captivitatem, & servitutem abductorum calamitates, aliaque innumera detrimenta, quibus nefarii Turcarum Tyranni copiæ anno superiore nobilissimum Hungariæ Regnum, quod olim erat validissimum adversus Infidelium impetus Christianæ Reipublicæ propugnaculum, finitimasque Prov. immani barbarie protriverunt, & divexarunt, e sublimi militantis Eccl. specula, in his difficillimis temporibus Nos meritis licet, & viribus longe impares, constituit Deus, mentis acie contemplamur, simulque quibus viribus, quove apparatu idem immitis Tyrannus priorum expeditionum successu jam ferocior, bellum, & cladem in reliquas charissimi in Christo filii nostri Leopoldi Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi Ditiones hæreditarias, indeque in alias Christianorum Principum, maxime Germanorum Provincias proferre molitur, & adornat, pastorali sollicitudine consideramus, vehementer commoventur paternæ nostræ charitatis viscera, & pontificia vigilantia nostra ad avertenda, quæ Populorum Christianorum præsertim bello propriorum, cervicibus imminent, pericula magis, magisque incitatur.

Motiva hujus constitutionis. §.1. Cum itaque sicut præfati Leopoldi Regis in Imperatorem electi nomine Nobis nuper expositum fuit, licet ipse Leopoldus Rex nihil omnino prætermiserit, quo tam formidabili Turcarum potentiæ, ceu torrenti e supernis per declivia ruenti, repagulum aliquod opponeret, re tamen accurate perpensa, id omnino explorato constet, nec vires ærarii ejusdem Leopoldi Regis tot sumptibus in hanc causam factis exhaustas, nec laicorum ejus Ditionum hæreditararum facultates tantæ belli moli usquequaque pares fore, cupiatque propterea idem Leopoldus Rex præsentaneo, opportunoque ex rebus, & bonis Ecclesiarum, & Locorum Piorum prædicti Hungariæ, ac Bohemiæ Regnorum, necnon Archiducatus Austriæ, cæterarumque Provinciarum, Ditionum, Statuum, & Dominiorum hæreditariorum ipsius Leopoldi Regis subsidio a Nobis juvari.

§.2. Nos considerantes ea in re non minus Dei, cujus Templa, & Sacra violantur, veraque Religio per mahumetanæ abominationis propagationem conculcatur, & pervertitur, ac Dei Ministrorum, Ecclesiarum, & Locorum Piorum, quorum æque personæ status, & bona summum in discrimen pariter adducta sunt, quam memorati Leopoldi Regis, qui majorum suorum Imperatorum, & Regum fortissimorum, pietateque, rerum gestarum gloria, & erga Catholicam Ecclesiam studio longe clarissimorum vestigia pari virtute premens, tam efferato, potentique hosti omni virium, animique contentione resistere satagit, universæque Christianæ Reipublicæ causam agi; Cæsareæ Majestatis postulatis annuendum, eique in tam evidenti periculo, ac necessaria, piaque causa quantum Nobis ex alto conceditur, quacumque promptiori, expeditiorique ratione subveniendum censemus. Et licet ab ecclesiasticarum personarum, Ecclesiarumque, & Locorum Piorum gravaminibus animo maxime simus alieni, nec quicquam Nobis magis cordi sit, quam eorum libertatem, & immunitatem illibatam conservare; cogimur tamen in hoc extremo labentium rerum Christianarum discrimine, cum aliunde tantum opis haberi nequeat, quantum præsens necessitas exigit, auxilium ex bonis Ecclesiarum, & Locorum Piorum postulare: rati neminem futurum, qui ejusmodi onus cum animi promptitudine non subeat; cum eorum maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, intersit infensissimos Christi hostes ab Altaribus repelli, & æquissimum videatur, ut speciales Ecclesiæ filii communi Sanctæ Matris Ecclesiæ, eorumque Patriæ periculo alacriter opitulari connitantur. Firmam quoque in Domino fiduciam habemus, fore, ut non solum inclytæ Germaniæ Principes, & Status, quibus discrimen proprius impendet, ad ferenda Cæsareæ Majestati Subsidia hoc exemplo alacriores reddantur, sed etiam alii Principes Christiani, qua sunt in Deum pietate suam opem in causæ communis tuitione desiderari minime patiantur. Habita igitur super his cum Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura de eorum consilio his, justissimisque causis adducti, ac de vestra pietate, charitate, integritate, prudentia, rerum usu,

æc rei Christianæ, & Catholicæ Religionis, bonique publici studio plene in Domino confisi de Nobis attributæ divinitus potestatis plenitudine, circumspectionibus, & fraternitatibus vestris per præsentes committimus, & mandamus, ut vos, vel saltem major pars vestrum insimul congregati, sumptis prius iis informationibus, quas pro conscientiæ vestræ instructione sufficientes duxeritis, unum subsidium, & contributionem ejus pecuniarum quantitatis, quam habita consideratione expensarum pro causa urgentis belli hujusmodi contra Turcas necessarium, quibus subministrandis laicorum facultates non suppetant, ac pro modo facultatum, & bonorum ad Ecclesias, Beneficia, & Loca Pia infrascripta respective spectantium taxandam, statuendam, declarandam esse secundum conscientiam vestram in Domino arbitrati fueritis super omnibus, & singulis bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus, obventionibus, emolumentis, aliisque juribus quibuscumque omnium Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Hospitiorum, Domorum, & aliorum Locorum Regularium utriusque sexus, ac Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Conventualium, Capitularium, & aliarum mensarum, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præpositatuum, Præceptoriarum, seu Commendarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum etiam post pontificales majorum in Cathedralibus, & principalium in Collegiatis Ecclesiis personatuum, administrationum, & officiorum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum etiam de jurepatronatus dicti Leopoldi Regis, aliorumque Principum, & laicorum etiam ex fundatione, & dotatione existentium cum cura, & sine cura secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacen., Cistercien., Præmonstraten., aliorumque Ordinum quorumvis, etiam Mendicantium utriusque sexus, necnon Societatum etiam Jesu, Congregationum, & Institutorum regularium quorumlibet, præterea Hospitalium pauperum, hospitalitatem, non exercentium, seu bona, & redditus ultra usus Infirmorum, & alia pro quibus instituta sunt pia officia exercenda possidentium, necnon Beatæ Mariæ Theutonicorum, Sancti Lazari, Templi Dominici, aliarumque Militiarum, cæterorumque Locorum Piorum quorumcumq; in præfatis Hungariæ, & Bohemiæ Regnis, ac Archiducatu Austriæ, cæterisque Provinciis, Ditionibus, Statibus, & Dominiis hæreditariis dicti Leopoldi Regis in Imperat. Electi consistentium per quoscumq; Archiepisc. Episcopos, Prælatos, Præpositos, Rectores, Beneficiator, Abbates, Priores, Abbatissas, & Priorissas, Capitula, Conventus, Super., Monachos, Fratres, Clericos, & Presbyteros regulares, etiam dictæ Societatis Jesu, Moniales, Administratores, Præceptores, seu Commendatarios, aliasque personas, ad quas spectat, semel tantum, & quantocitius fieri poterit persolvendum, & persolvendam auctoritate nostra apostolica imponatis, & indicatis, ipsiusque Subsidii, & contributionis ratas portiones singulas, & singula Ecclesias, Monasteria, Collegia, cæteraque Pia Loca, & Beneficia præfata, ac eorum Capitula, Conventus, Prælatos, Rectores, Administratores, & personas quascumque respective contingentes, assumptis tamen, & adhibitis ad hoc aliquibus timoratæ conscientię viris earum rerum peritis, quos assumendos, & adhibendos esse censueritis, dicta auctoritate taxetis, definiatis, & determinetis, ac ipsas ratas, portiones sic taxatas, & determinatas per Commissarios, Exactores, Collectores, & Executores a vobis sicut infra dicetur constituendos, & deputandos, a quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Abbatissis, Priorissis, Præpositis, Rectoribus, Superioribus, Capitulis, Conventibus, Beneficiatis, & personis Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus utriusque sexus etiam dictæ Societatis Jesu, ac Ecclesiarum Pastoribus, Prælatis suis destitutarum, Œconomis, & Administratoribus, aliisve quibuslibet, ad quos spectat, & spectabit cujuscumque qualitatis, status, ordinis, præeminentiæ, conditionis, & dignitatis, ac quocumque privilegio, immunitate, exemptione reali, personali, & mixta quantumlibet antiqua, & pacifica, nec unquam interrupta, & libertate suffulti, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, omni, & quacumque appellatione, exceptione, reclamatione, recursu, excusatione, & tergiversatione remotis, & postpositis, eadem auctoritate exigatis, & exigi curetis, illosque, & eorum quemlibet tam conjunctim, quam divisim ad veram realem, & actualem solutionem portionum Subsidii, & contributionis hujusmodi eos respective tangentium sine ulla mora faciendam, opportunis juris, & facti remediis, & per censuras Ecclesiasticas dicta auctoritate cogatis, & compellatis.

Commissio ut in rub.

§.3. Ut autem subsidium, & contributio hujusmodi, sicut præmittitur, a Vobis imponenda, & indicenda quantocitius persolvi valeant, Vobis, seu majori parti vestrum, quatenus tamen a præfatis contribuere debentibus non fuerit aliter pro suis portionibus prompte provisum quæcumque bona tam mobilia, suppellectilia, utensilia, & vasa aurea, & argentea, gemmas, & localia, quam se moventia, ac immobilia etiam jurisdictionalia, & feudalia, necnon Canones, livellos, census, redditus annuos, fructus, & proventus, actiones, & jura cujuscumque qualitatis, & naturæ ad Ecclesias, Monasteria, Collegia, Conventus, mensas, Capitula, Dignitates, Officia, & Beneficia, Præceptorias, seu Commendas, hospitalia, & alia loca pia supradicta respective spectantia, & pertinentia, pro rata tamen, & quantitate, seu portione subsidii, & con-

& contributionis hujusmodi unumquemq; seu unumquodque, vel unamquamque illorum contingente dumtaxat, ac ea lege, ut unum, seu unus, vel una pro alio, seu alia in solutione hujusmodi deficiente minime gravari possit, pretiis reperibilibus, & quantum fieri poterit minori cum damno Ecclesiarum, ac Beneficiorum, & locorum piorum hujusmodi, etiam sine consensu interesse ea in re habentium, ac illis licet invitis, dissentientibus, & reclamantibus, nulloque facto processu in forma si in evidentem utilitatem, nec servata ulla alia forma juris, & Constitutionum, ac privilegiorum Apostolicorum, Imperialium, & Regalium aut quorumcumque statutorum, seu stabilimentorum, & Ordinat. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum, necnon consuetudinum immemorabilium stylorum, & usuum quorumlibet, ac etiamsi Ecclesiæ, Monasteria, Beneficia, & loca pia hujusmodi ejus Pastoribus, Prælatis, & Defensoribus careant, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus tam Ecclesiasticis, quam Laicis, Catholicis tamen vendendi, & distrahendi, seu bona ipsa in emphyteusim etiam perpetuam, aut ad censum, vel livellum concedendi, seu ad longum etiam tempus locandi, illaque permutandi, & alio quocumque modo alienandi, aut super illis annuos perpetuos, & redimibiles census, & redditus imponendi, illosque pretiis pariter reperibilibus vendendi, servato tamen hoc ordine, ut primo quidem suppellectilia, mobilia, & utensilia profana, si commode, & utiliter fieri poterit, deinde vasa, Candelabra, Cruces, Thuribula, aliaq; utensilia aurea, & argentea sacra unctione non delibuta, quæ sunt Ecclesiis, ac pro earum usibus, & ornamentis destinata; Post hæc etiam sacra unctione hujusmodi delibuta, eorum tamen profanatione, seu dissecratione prius rite facta, & comminuta, reservatis tamen ex his præcise necessariis pro divino cultu; Et si hæc non sufficiant, redditus annuos, census, canones, livellos, ac bona immobilia, etiam feudalia, & jurisdictionalia hujusmodi, incipiendo ab illis, quæ cum minori Ecclesiarum, & locorum piorum, aliorumque prædictorum damno, & incommodo distrahi possunt, respective vendantur, & distrahantur, necnon super omnibus, & singulis præmissis quæcumque instrumenta cum clausulis, pactis, conditionibus, & obligationibus, submissionibus, decretis, & cautelis in similibus apponi solitis, & alias quovis modo necessariis, & opportunis celebrandi, & conficiendi, ac celebrari, & confici faciendi, contradictores, perturbatores, molestatores, & rebelles quoscumque Vobis in præmissis parere recusantes, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, ac directe, vel indirecte quovis quæsito colore, præstantes, cujuscumq; dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis in causam belli prædicti applicandis, cæterisque juris, & facti remediis opportunis compellendi, & compescendi, ipsasque censuras etiam iteratis vicibus aggravandi, ad illos dignitatibus, beneficiis, & officiis per eos obtentis privandi, & ab eis amovendi, ac ad alia in futurum obtinenda inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quandocumq; opus fuerit invocandi; Ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, ac cum eis super irregularitate per eos ea de causa contracta dispensandi, eosque rehabilitandi, & ad pristinum statum restituendi; Præterea viros Ecclesiasticos probos, ac fide, & facultatibus idoneos ad præmissa omnia, & singula exequutioni mandandum (exceptis tamen indictione, & impositione subsidii, & contributionis, ac taxatione, determinatione, & declaratione tam quantitatis ipsius subsidii, & contributionis, quam ratarum portionum a singulis prędictis respective præstandarum, ac bonorum stabilium in causam prædictam alienandorum electione, & determinatione, quas a vobis solis, vel majori parte vestrum sicut præmittitur fieri volumus) Commissarios vestros, Exactores, Collectores, & Executores in singulis Civitatibus, & Diœcesibus, Provinciis, & locis Regnorum Archiducatus, ac Statuum, & Dominiorum prædictorum quotquot videritis expedire cum simili, vel limitata potestate constituendi, & deputandi, illosque arbitrio vestro removendi, & revocandi, ac alios eorum loco toties quoties opus fuerit deputandi, ac subrogandi, in delinquentes, vel contumaces per Vos, vel alium, seu alios etiam simpliciter & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii inquirendi, & procedendi, eosque debitis pœnis, & animadversionibus puniendi; modos, & formas in præmissis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & singula in præmissis, & circa ea quovis modo necessaria, et opportuna, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus sit expressum faciendi, gerendi, decernendi, statuendi, & exequendi plenissimam, & amplissimam, ac omnimodam facultatem, licentiam, & potestatem auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

§.4. Volumus autem, ut pecuniæ quæcumque ex subsidii, & contributionis hujusmodi exactione, necnon ex venditionibus, distractionibus, & alienationibus bonorum prædictorum, sicut præmittitur faciendis, quomodolibet proventuræ, & redigendæ memorato Leopoldo Regi in Imperatorem electo, seu ejus Ministris a Vobis, seu a Commissariis vestris de speciali mandato vestro per vos subscripto tradantur, & consignentur, ad hoc, ut in prædictam causam belli contra Turcas, & non in aliam qua-

quamcumque omnino convertantur, ipsarumque pecuniarum, quæ sic traditæ, & consignatæ fuerint rationes seorsim habeantur, quo de earum erogatione in causam belli hujusmodi certius quocumque tempore constare possit; super quibus aliisque omnibus, & singulis præmissis vestras, vestrorumque Commissariorum, Exequutorum, Exactorum, & Collectorum conscientias oneramus. Præterea omnes, & singulas venditiones, distractiones, & alienationes a Vobis, seu Commissariis vestris præsentium vigore faciendas, necnon instrumenta desuper, ut præfertur celebranda, & conficienda cum omnibus, & singulis inde cæteroquin legitime sequuturis ex nunc prout ex tunc, & e contra auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris,& facti defectus etiam consensus interesse ut præfertur habentium,ac solemnitatum quarumcumque etiam in similibus de necessitate observandarum, etiamsi tales sint, ut non nisi facta de eis individua mentione sanari possint, si qui desuper intervenerint, aut intervenisse quandocumq; pretendantur itidem ex nunc prout ex tunc, & e contra supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Clausulas apponit.

§.5. Decernentes venditiones, distractiones, & alienationes bonorum hujusmodi, sicut præmittitur faciendas validas, & efficaces fore, ac emptoribus, & aliis, ad quorum favorem fient, plenissime suffragari, nec illos ad probandum, seu verificandum in quos usus prætium ipsorum bonorum conversum fuerit, ullo modo teneri, neque ipsas venditiones, distractiones, & alienationes a quoquam sub quovis prætextu etiam enormis, & enormissimæ læsionis impugnari, aut adversus illas restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari posse, sed emptoribus,& aliis prædictis bona hujusmodi tanquam profana, propria, paterna, & aucta possidere, & retinere, ac de illis, eorumque fructibus juxta formam contractuum cum eis initorum disponere, & illa ad quoscumque eorum Successores transmittere licitum fore; Impositionem vero, & indictionem subsidii, & contributionis, ejusque quantitatis determinationem, ac ratarum, & portionum illius taxationem, definitionem, & declarationem, ac bonorum, ut præmissum est alienandorum electionem, & determinationem, cæteraque omnia,& singula per Vos, seu Commissarios vestros in præmissis juxta earumdem tenorem præsentium facienda,gerenda,dicenda,& mandanda valida pariter, & firma, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus,& singulis, ad quos spectat, & spectabit, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existant observari, & adimpleri debere, neque ipsas præsentes literas, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ,propter quas eædem præsentes emanaverint adductæ,& justificatæ sufficienter fuerint, seu ex alia quacumque quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu aliove quolibet etiam formali,& substantiali defectu notari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores,ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos,& Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate,preæminentia,& potestate fungentes,sublata eis,& eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere,ac irritum,& inane,si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac fe: rec. Symachi, & Pauli II. ac Pauli IV., & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, sive ultra triennium non locandis,necnon rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri de una,& Concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque,& synodalibus Conciliis editis generalibus,vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Testatorum, & Fundatorum etiam ultimis voluntatibus, & dispositionibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & locorum piorum, ac Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, Militiarum, & aliorum prædictorum, & quibusvis aliis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, & usibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, & locis piis, ac Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, Militiis, & aliis prædictis, illorumque Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, ac aliis Superioribus, & personis quibuslibet etiam in limine fundationis,& erectionis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogator.derog. aliisque efficacioribus,efficacissimis, & insoli-

Contraria tollit.

solitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium premissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia, expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores presentibus ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumq;

§.7. Aut si præfatis, & aliis quibuslibet communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§.8. Volentes pariter, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus vestrum, seu alterius cujuscumque personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.9. Cæterum vobis serio injungimus, memoratum Leopoldum Regem in Imperatorem electum nomine nostro hortemini, requiratis, & moneatis, ut pro ejus pietate, & Religione, ac conscientiæ suæ tranquillitate, more majorum suorum, qui Ecclesiam sartam, tectam, Christique patrimonium usquequaque auctum, & illibatum sancte, & fideliter conservarunt, Ecclesiasticæ immunitati consulendo has Ecclesiarum jacturas, assignatis ipsis Ecclesiis equivalentibus retributionibus, vel alias condigna satisfactione, ac Imperiali liberalitate quantocitius Deo adjuvante poterit, reparare non prætermittat.

Dat die 23. Febr. 1664. An. IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Febr. 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXV.

Diversæ Ordinationes circa Cappellanos Ecclesiarum S. Appollinaris, & S. Stephani in Monte Cœlio, ac examen, & ætatem Alumnorum, necnon redditionem rationum administrationis bonorum Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

PAstoralis officii, quod auctore Deo gerimus sollicitudo Nos admonet, ut paternam Collegiorum ad sedulam juventutis in bonis moribus, sanaque doctrina institutionem, fideique Catholicæ conservationem, & propagationem pie, sapienterque institutorum curam gerentes, illorum commodis, & utilitatibus, ac felicibus progressibus quantum cum Domino possumus, consulere jugiter satagamus.

Motiva.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster per quasdam suas super fundatione, & erectione, ac Constitutionibus gubernio, & directione Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe respective emanatas literas inter alia constituerit, ut quatuor Ministrantes obeundo Ecclesiæ Sanctorum Sabbæ, & Andreæ eidem Collegio unitæ servitio destinarentur; hi vero Ministrantes, nec in choro psallere, nec præter unum ex ipsis Missam inibi celebrare consueverint; unde nec etiam ibi habitare curent, & de mente ejusdem Gregorii Prædecessoris circa eorum servitium non satis liqueat: Ipseque Gregorius Prædecessor Sacerdotes ad Ecclesiam S. Stephani in Monte Cœlio de Urbe præfata dicto Collegio pariter annexā servitium deputari voluerit, nec eorum numerum præfeniverit: Ac ab eodem Gregorio Prædecessore circa examen Alumnorum antequam in dictum Collegium recipiantur hic Romæ instituendum dispositum reperiatur expresse, ut Examinatores in Urbe Alumnos juramento approbent, vel reprobent, reservata tamen Superioribus facultate juramentum ejusmodi remittendi si minime necessarium visum fuerit; id autem singularitatem aliquam continere, seu illi causam præbere videatur: circa etatem vero Alumnorum prefatorum in eisdem literis cautum reperiatur, ut illi viginti circiter annos nati esse debeant: Ac demum idem Gregorius Prædecessor disposuerit, ut pro tempore existentes Protectores dicti Collegii rationes administrationis bonorum ipsius Collegii quandocumque eis libuerit sibi reddi curare possint; si tamen Administratores bonorum Collegii hujusmodi Societatis Jesu Religiosi fuerint illi nemini præterquam Præposito Generali ejusdem Societatis rationem reddere teneantur: Nos dubia super præmissis, seu eorum ratione exorta tollere, dictique Collegii utilitati quantum Nobis ex alto conceditur prospicere cupientes, ac prædictarum Gregorii Prædecessoris literarum tenores, & datas etiam veriores, aliaque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Collegii Protectorum a Sede Apostolica deputatorum, qui Collegium hujusmodi nuper visitarunt, consilio, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ut ex supradictis quatuor Ministrantibus dictæ Ecclesiæ Sanctorum Sabbæ,

Sabbæ, & Andreæ servitio destinatis tres, qui prorsus inutiles sunt dimittantur, & unus tantum Sacerdos mercede nonnihil aucta ejusdem Ecclesiæ servitio deputetur; utque unus quoque dumtaxat in posterum memoratæ Ecclesiæ S. Stephani in Monte Cœlio Cappellanus detur, tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Præterea volumus omnino servari, quod in prædictis Gregorii Prædecessoris literis disponitur de secundo examine prædictorum Alumnorum hic Romæ instituendo ante quam recipiantur; utque cautius procedatur in primo examine, quod in Germania, aut Hungaria habeatur, de hoc ipso edoceri inibi tum Examinatores, tum ipsos Alumnos antequam eorum examen ibi instituatur, eaque de causa transmitti huic in Germaniam formularium examinis inibi faciendi, ac ad tollendam singularitatem, aliisque de causis facultatem remittendi juramentum per Examinatores in Urbe super approbatione, vel reprobatione Alumnorum præstandum, si minime necessarium visum fuerit, Superioribus reservatam, ut præfertur, eisdem Superioribus adimus, itaut indifferenter singuli Examinatores juramentum hujusmodi præstare teneantur. Constituta vero ab eodem Gregorio Prædecessore circa Alumnorum ætatem pariter omnino servari volentes, ne libera relinquatur facultas interpretandi pro libito ea verba, quibus cavetur, ut iidem Alumni viginti circiter annos nati esse debeant, illa de decimo nono anno saltem inchoato intelligenda esse declaramus. Postremo singulis annis Mense Januario, & infra annum quoties memoratis modernis, & pro tempore existentibus d.Collegii Protect.libuerit, rationem administrationis bonorum ejusdem Collegii ipsis Protectoribus, & dilecto filio Præposito Generali, vel Vicario Generali dictæ Societatis Jesu si Administratores bonorum hujusmodi ejusdem Societatis Religiosi fuerint, reddi debere, statuimus, pariter, & ordinamus.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod quilibet, etiam speciali, & individua mentione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, seu ex alia quacumque quantumvis pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ejusdemque S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & dicti Collegii Protectores, ac alios quoslibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus præfatis Gregorii Prædecessoris literis, aliisque præmissis, necnon quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictorum Collegii, & Societatis, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis etiam eisdem Collegio, & Societati, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importātes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil pœnitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur,

Transumptorum fides.

tur, quæ ipsismat præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 4. Mar. 1664. An.IX. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Martii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXVI.

Super observatione Indicis Librorum prohibitorum noviter impressi.

Dubia Indicis librorum prohibitorum decidit Congregatio erecta a SixtoV. in Const.117. Tom.4. par.4. fol.392. Congregat. 7. Indicis librorum prohibitorum Regulas inviolabiliter observari præcepit Clem. VIII. Const.112. Tom.5. Par.2. fol.82.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. Speculatores Domus Israel, quæ est Sancta Dei Ecclesia, inscrutabili Divinæ providentiæ arcano constituti, pastoralem vigilantiam nostram avertendis imminentibus gregi Dominico periculis peculiari studio jugiter adhibemus, ne oves pretioso Salvatoris, & Domini nostri Jesu Christi sanguine redemptę seducantur a via veritatis, sed illam insistentes sub salutaris doctrinę directione, ad ęternę beatitudinis metam felici cursu gradiantur.

Motiva. §.1. Cum itaque ad ejusdem Ecclesiæ gubernationem præcipuum sit in ordinandis moribus, & castiganda doctrina momentum, quod ab altero purum fidei lumen existat, ab altero operum rectitudo: Sedes Apostolica præclare intelligens homines legendo, tam quæ credenda, quam quæ facienda sunt, optime discere, magnam in primis in librorum delectu constituendo adhibet, semperque adhibuit diligentiam, quo mali a bonis, noxii ab innoxiis discernerentur, nominatim signatis auctoribus, & scriptis, a quibus Christifideles abstinere deberent.

§.2. Quam in rem Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Indici librorum prohibitorum, & expurgandorum præpositi, non solum sua sponte, & pro muneris sibi injuncti ratione, sed etiam speciali mandato nostro attentius incumbentes; cum animadverterint, post Indicem librorum prohibitorum a felic. recordationis Clemente PP.VIII. Prædecessore nostro editum juxta formam alterius Indicis, qui Sacrosancti Concilii Tridentini auctoritate prodierat, quamvis multi libri tam a Successoribus prædicti Clementis Romanis Pontificibus, quam ab eorumdem Cardinalium Congregatione prohibiti, illorumque Auctores damnati fuerint, nullum tamen Catalogum ordinatum, atque distincte libros prohibitos, & auctores damnatos hujusmodi complectentem publica auctoritate fuisse confectum, magnamque proinde in hac materia oriri perplexitatem, quæ in dies major futura est nisi opportune provideatur.

§.3. Idcirco Nos difficultati inveniendæ hac in re veritatis occurrere cupientes, post maturam, & diligentem deliberationem, cui nonnulli ex præfatis Cardinalibus ad res accuratius dispiciendas præpositi fuerunt, decrevimus in primis deveniendum esse ad novi Indicis confectionem, quo non solum libri post novissimum Clementis Predecessoris Indicem prohibiti, aut alias confixi, verum etiam in Superioribus, quos diximus, catalogis descripti continerentur. Deinde quoad ordinem in disponendis auctorum, & materiarum nominibus solam literarum Alphabeti seriem esse deinceps observandam; omissa nunc trina illa in Classes distributione, quæ licet ab initio laudabiliter esset instituta, usu nihilominus deinde cognitum est, commodiorem adhuc iniri posse in hoc genere rationem, & quæ nullas appendicum adjectiones, multiplices alioquin, & implicitas tractu temporis exituras desideratura sit, remque expediat sine ulla legentium in quærendis Auctoribus molestia, præsertim Bibliopolarum, quibus ut facilis, & explicata sit hujus Indicis tractatio, publice in primis interest, ne ipsi errantes multorum errori causam præbeant. Dat modum faciendi novum indicem.

§.4. Accedit, quod illa Classium distinctio plurimos non modo vulgares, sed etiam eruditos sæpe decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem æstimandam putabant, quasi severius actum semper videatur cum legentibus anteriorum, quam posteriorum Classium libros, quod tamen secus esse ex ipsa Classium institutione a Concilio Tridentino facta colligi facile potest, ubi cum solum antecedat distinctio inter libros Auctorum vitio, ac demerito, vel perniciosæ doctrinæ, errorumque in eis contentorum ratione damnatos, ac inter præferentes, aut dissimulantes Auctorem, contingit, ut plerique libri ignoti Scriptoris, qui tertiæ Classi assignantur, pejores multo sint, quam in prima, aut secunda recensiti: cui falsæ persuasioni, ac perniciosæ in hac materia licentiæ causam præbeat, medendum omnino existimavimus.

§.5. Quamvis autem ulteriorem Classium distinctionem omitti jusserimus, hactenus tamen observatam retinendam censuimus, ut citarentur in cujusque libri confixione, ubi opus est, hujusmodi Classes, & appendices una cum decretis, quibus primum libri confixi fuerunt, quo rei ab initio gestæ series innotescat. Confirmatio indicis.

§.6. Quam etiam ob causam Indices Tridentinum, & Clementinum, una cum suis appendicibus Indici huic generali adjiciendos curavimus, simulque omnia Decreta ad hæc usque tempora in hac materia post prædicti Clementis Prædecessoris Indicem emanata, ne quid omnino, quod curiosæ fidelium diligentiæ prodesse posset omissum videretur. Quæ omnia cum juxta mentem nostram diligenter, & accurate fuerint exequutioni mandata, composito Indice generali hujusmodi, cui etiam Regulæ

Indi-

Indicis Tridentini cum observationibus, & instructione memorato Indici Clementino adjectis appositæ fuerunt: Nos de prædictorum Cardinalium consilio eumdem Indicem Generalem, sicut præmittitur, jussu nostro compositum, atque revisum, & typis Cameræ nostræ Apostolicæ jam impressum, & quem præsentibus nostris pro inserto haberi volumus, cum omnibus, & singulis in eo contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac ab omnibus, tam universalibus, quam singularibus personis, ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter, & inconcusse observari mandamus, & præcipimus, sub pœnis in Constitutione recolendæ mem. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas varietatis veterum Decretorum in proponendis transgredientium pœnis tollendæ gratia, omnes, & singulas pœnas per Constitutiones Apostolicas, & decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflictas harum serie reducimus, firmis tamen manentibus his, quæ de Auctoribus, & libris damnatis in literis Apostolicis die Cœnæ Domini publicari solitis sancita sunt, circa quos nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus.

Mandatum de observando.

§.7. Mandantes propterea omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis eorum Vicariis, & Officialibus, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Regularium cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti Superioribus, omnibusque aliis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, ut hunc generalem Indicem vulgandum, & observandum pro viribus curent: memores ad officii sibi commissi munus pertinere, ut oves Dominici gregis tam a pabulis perniciosis arceantur, quam salutaribus impleantur: a quo si (quod absit) per malitiam, aut negligentiam cessent, omnium malorum, quæ inde gravissima, & maxima oriri necesse est, districtam sibi apud severum Judicem reddent rationem.

Contraria tollit.

§.8. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiamjuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, & insertis, ac formam in illis traditam pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. die 5. Martii 1664 An. IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Martii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXVII.

Jubileum Universale ad divinam opem implorandam contra Turcas.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

Quod jam pluries indictis publice per Universum Christianum Orbem precibus a Patre misericordiarum flagrantissimo cordis affectu flagitavimus, ut Rempublicam Christianam ab imminentibus periculis, sua virtute, tueri dignaretur, idem nunc maxime quando nefarius Turcarum Tyrannus Regnum Hungariæ firmum olim Christianarum rerum præsidium tot cladibus affecit, nec solum illud in suam potestatem omnino redigere, sed etiam inde in alias Christianas Ditiones irrumpere, easque, qua est insatiabili dominandi libidine, armis occupare, & Mahumetanæ perfidiæ abominatione Ecclesiam Dei vivi polluere maximis viribus, formidabilique apparatu molitur, denuo faciendum esse arbitramur.

§.1. Nam licet quicquid Nobis est virium, & consilii in causæ communis tuitionem prompto, & alacri animo conferre non cessemus; Vanos tamen scimus esse hominum conatus, nisi divinæ gratiæ ope adjuventur. Accedamus itaque ad Sacram Misericordiam Domini aram, eique cordium contritorum holocausta offerentes, ac iniquitates nostras eleemosynis redimentes expurgato per jejunia veteri illarum fermento, ejus iram, quam peccatis nostris irritavimus, placare studeamus. Quod quidem si in humilitatis spiritu, ferventique charitate fecerimus, firmam in divina bonitate fiduciam habemus fore, ut exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum a facie ejus. Hoc autem, ut flagrantiori spiritus ardore uberioriq; fructu fiat, priscum Romanæ Ecclesiæ

clesiæ omnium Matris, & Magistræ morem sequentes ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, in præsentibus necessitatibus proferre, & largissima manu erogare decrevimus. Igitur ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles, tam in alma Urbe nostra, quam extra eam, ubicumque locorum constitutos apostolica auctoritate paterne requirimus, monemus, & adhortamur ad infrascripta devote peragendum, & adimplendum, ac ad Deum Salvatorem nostrum toto corde orandum, & per Viscera Misericordiæ suę Religionem Christianam, Fidemque Catholicam protegere, & defendere, immanissimorumque illius hostium Turcarum vires, & conatus proterere, & reprimere, Principum Christianorum pacem, & concordiam conservare, eorumque cordibus Sanctum lumen suum infundere, ac illorum consilia, & vires ad Christiani nominis tutelam, & exaltationem unire, augere, dirigere, & roborare, atque omnium nostrum piis laboribus, & conatibus opem ferre dignetur. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe degentibus, qui S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris ejusdem Urbis Ecclesias, seu Basilicas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbatho alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, & pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique sugeret devotio, vel possibilitas erogaverint, cæteris vero extra Urbem ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendorum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut premittitur, erogaverint plenissimam omnium peccat. suorũ indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem nostri Prædecessores concedere consueverunt, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Navigantes vero, & iteragentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant; Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pænitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

§. 2. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusq; sexus tam Laicis quam Ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem, ex approbatis, ut præmittitur a Locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspen., & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quoscumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte pręcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Ven. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis Locorum ubicumque existen., eorumque Vicariis, & Officialibus, vel aliis deficientibus, illis, qui curam animarum

marum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiã impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent, ne aliàs ulterius præsentium literarum executio protrahatur. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogatio contrariorum. §.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti servatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.4. Ut autem præsentes nostra quę ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiã impressis manu alicujus Notarii, publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. die 7. Mar. 1664. An.IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Martii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXVIII.

Renovatio Indulti nominandi ad Canonicatus, & Præben. pro Rectore, Decanis, & Provisoribus Universitatis Colonien.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilectis filiis nobilibus viris Consulibus, & Senatui Civitatis, & Reipublicæ Colonien.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecti filii Nobiles Viri salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva. §.1. Alias piæ me: Paulo Papæ V. Prędecessori nostro pro parte vestra exposito, quod pridem fel. rec. Clemens Papa VIII. similiter Prędecessor noster, cum accepisset, quod antea rec. mem. Paulus Papa IV. etiam Prædecessor noster certis tunc expressis causis adductus, Rectori, & Decanis quatuor facultatum, videlicet Theologicæ, Juridicæ, Medicæ, & Artium, quæ consistit, in tribus Gymnasiis Montano, Laurentiano, & trium Coronarum Universitatis studii generalis Colonien., consilioque illius facultatis, ex qua persona nominanda esset, Apostolica auctoritate indulserat, ut cum Provisoribus ejusdem Universitatis personas assumere possent in eadem Universitate promotas, ac in publicis scholis legentes, & lecturas, quas ipsi Rector, & Decani, ac Provisores præstito juramento, unanimi consilio illius facultatis, in qua legerent, vel legere deberent, ad id more solito congregari idoneas, & Catholicas esse, ac ad laudem, & fructum studiosorum profiteri posse cognoscerent, easque dilectis filiis majoris, ac aliarum Ecclesiarum dictæ Civitatis Capitulis, ad quos Canonicatuum, & Præbendarum in eisdem Ecclesiis consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, seu quævis alia dispositio communiter, vel divisim aut alias quomodolibet pertineret dictę videlicet majoris, & S. Gereonis Colonien. ad Presbyterales tantum, ad reliquos vero aliarum Ecclesiarum prædictarum Canonicatus, & Præben. qui inde ad triennium tunc venturum in singulis Martii, Julii, & Novembris mensibus Sedi Apostolicæ per Concordata Germaniæ cum ipsa Sede inita reservatis vacassent, nominare valerent eis, ad quos illorum collatio, præsentatio, electio, & dispositio hujusmodi spectaret, & deinde dictum triennium semel atque iterum piæ mem. Pius Papa IV. & Pius V. etiam Prædecessores nostri ad simile triennium prorogaverant, & indultum prædictum etiam ad majorem post Pontificalem, & principales, aliasque dignitates, Personatus, Administrationes, & officia etiam curata, necnon Vicarias, & Cappellanias perpetuas Majoris, & Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum Colonien., quæ in prædictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant, & successive rec. mem. Gregorius Papa XIII. simi-

similiter Prædecessor noster triennium a prædicto Pio Prædecessore prorogatum, vel concessum ad aliud triennium primo, & deinde ad quinquennium aliàs juxta formam literarum Indulti Pauli IV. Prædecessoris prædicti dumtaxat extenderat, & ampliaverat, si vero lapsum esset novum quinquennium hujusmodi ad hoc, ut prædicto novo quinquennio durante, Rector, Decani, ac Provisores prædicti ad Presbyterales Majoris, & S. Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum Ecclesiarum Colonien. Canonicatus, & Præben. dumtaxat personas nominare possent, de novo concesserat, & successive similis memoriæ Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster quinquennium ab eodem Gregorio Prædecessore ultimo prorogatum, seu concessum ad quadriennium a fine ultimo prorogati, seu concessi quinquennii hujusmodi incoandum, extenderat, & ampliaverat, si vero lapsum esset, novum quadriennium hujusmodi ad hoc, ut ipso durante Rector, Decani, & Provisores ad Presbyterales majoris, & S. Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum Ecclesiarum Colonien. Canonicatus, & Præben. dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus prędictis extra Romanam Curiam vacarent, & alias juxta formam, & tenorem literarum Pauli Prædecessoris prædicti tantum personas, ut pręfertur qualificatas nominare, & alia in literis dicti Pauli IV. Prædecessoris contenta facere possent indulserat, ita tamen ut personæ sic nominatæ intra sex menses a die provisionis, collationis, seu alterius cujusvis dispositionis de dictis Canonicatibus, & Præbendis in vim nominationis hujusmodi factæ numerandos, novas provisiones de eisdem Canonicatibus, & Præbendis a dicta Sede petere, & literas Apostolicas sub plumbo in totum expedire, ac jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, & nisi præmissa adimplerent, ipso semestri elapso, iidem Canonicatus, & Præbendæ vacarent eo ipso, & sic vacantes per Sedem Apostolicam dumtaxat aliis quibusvis Personis conferri libere possent, volens, ut Rector, & alii prædicti hujusmodi jus nominandi habentes, sive Ecclesiastici, sive laici forent, fidem Catholicam juxta articulos ab eadem Sede propositos in manibus Archiepiscopi, seu Officialis Colonien. pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendæ, & inde sequuta omnia, nullius essent valoris, vel momenti; ipse etiam Clemens Prædecessor, certis tunc expressis de causis tempus quadrienni per dictum Sixtum Prædecessorem prorogati, seu de novo concessi de consilio tunc existentium S.R.E. Cardinalium Congregationis Germanicæ bis ad aliud quinquennium extenderat, & prorogaverat, & quatenus lapsum esset idem Indultum de novo concesserat juxta formam literarum Pauli IV. Prædecessoris prædicti, ita tamen, ut prioris Indulti hujusmodi progatio, seu concessio non extenderetur ad Canonicatus, & Præbendas Ecclesiæ Metropolitanæ, ad Vicarias vero tam dictæ Metropolitanæ, quam aliarum Ecclesiarum omnium dictæ Civitatis, etiam ad alios, qui in alia quam Colonien. Accademia gradum suscepissent, illud extensum esse voluerat, & extenderat, ac ampliaverat, volens, & inhibens si aliquis nominatus, Beneficium ad quod nominatus fuisset resignare vellet, ne ullo modo nisi in manibus Romani Pontificis, aut Nuncii Apostolici in dicta Civitate Colonien. pro tempore degentis hujusmodi Beneficium ad favorem alterius a Rectore, & Decanis prædictis nominandi, nec per resignationem illud, nec per permutationem dimittere posset, quodque non nisi servato inter competitores concursu a Sacro Concilio Tridentino in collationibus Parochialium Ecclesiarum præscripto, ad Canonicatus, & Præbendas prædictos nominare, & conferre deberent, ac nominantes jurare se digniorem, & ad profitendum munus magis aptum prælaturos, & vicissim eum quem præferri contigisset, jurare se injunctum profitendi officium diligenter præstiturum, deinde vero ex causis prædictis dictus Clemens Prædecessor indultum hujusmodi ad aliud quinquennium iterum prorogaverat, extenderat, seu concesserat, decreveratque hujusmodi Canonicatus nonnisi personis ex aliqua ex dictis Universitatibus idoneis, quæ jurejurando ad profitendum munus diligenter sese adstringerent dumtaxat conferri, ac Canonicatus, & Præben. prædictos per eos hujusmodi nominationis vigore obtinen. non nisi in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis cum specifica mentione quod illos vigore hujusmodi nominationis consequuti essent, resignari, vel alias dimitti nullatenus possent, alioquin Canonicatus, & Præben. hujusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi posset, idem Paulus V. Prædecessor supplicationibus vestro nomine sibi humiliter porrectis inclinatus, Indultum Vobis a prædicto Clemente Prædecessore concessum, & desuper expeditas literas prædictas ad aliud quinquennium a fine quinquennii ultimo dicti a Clemente Prædecessore concessi computan. auctoritate Apostolica extendit, & prorogavit, & nihilominus sine præjudicio tunc, & pro tempore existentis Archiepiscopi Colonien. dilectis filiis Rectori, & Decanis prædictarum quatuor facultatum in dicta Universitate canonice institutarum, & consilio illius ex facultatibus hujusmodi, cujus persona juxta formam literarum Pauli IV. Prædecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus una cum dilectis filiis Provisoribus ipsius Universitatis, ut personas in eadem Universitate promotas, & legentes, & lecturas quas ipsi Rector, & Decani, ac Provisores medio eorum juramento, una cum consilio facultatis hujusmodi, in qua personæ ipsæ legerent, & legere deberent ad hoc more solito convocato, idoneas, & Catholicas esse, ac cum laude,

laude, & fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse, affirmarent, ita ut si controversia in nominando inter Rectorem & Decanos, necnon Provisores, & Consilium hujusmodi exorta fuisset, ille, quem major pars votis suis præferendum putasset, præferretur, dilectis filiis Majoris, ac S. Gereonis, & aliarum Ecclesiarum Capitulis, ad quos Canonicatuum, & Præbendarum in eisdem Ecclesiis consisten. collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, seu quævis alia dispositio conjunctim, vel separatim, vel alias quomodolibet, cessantibus reservationibus, & affectionibus apostolicis, pertinebat, videlicet, ad Presbyterales tantum Majoris, & S. Gereonis, itaut nominandæ personæ secundum eorum statuta, & privilegia eorum Capitulis concessa, ut præfertur qualificatæ essent, ad omnes vero, & singulos alios Canonicatus, & singulas Præbendas reliquarum Ecclesiarum hujusmodi, quæ ex tunc ad quinquennium tunc proxime futurum a fine ultimi quinquennii per Clementem Prædecessorem prorogati, seu concessi computan. in singulis Martii, Julii, & Novembris Mensibus pro tempore vacassent, & vacare contigeret nominare libere, & licite valerent, dicta auctoritate concessit, & indulsit, ac statuit, & ordinavit, quod ii, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, Institutio, vel quævis alia dispositio Canonicatuum, & Præbendarum hujusmodi pro tempore spectaret, Canonicatus, & Præbendas, quos personæ ad illos sic nominatæ per se, vel Procuratorem suum ad hoc ab eis specialiter constitutum infra unius mensis spatium, postquam eis, vel Procuratori, seu illorum vacatio innotuisset duxissent acceptan. cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eisdem nominatis personis conferre, & de iis etiam providere, seu eas ad illos præsentare, aut eligere, aut in illis instituere, vel alias de illis in earumdem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur quodque iis præmissa facere recusantibus, vel negligentibus, aut differentibus, etiam pro tempore Abbas Sancti Martini Colonien., ac Decanus Ecclesiæ S. Pauli Leodien., & qui Hæreticæ pravitatis Inquisitor in illis partibus apostolica auctoritate deputatus existeret, Prior Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum etiam Colonien., & eorum quilibet Canonicatus, & Præbendas sic vacantes, personis ad illos, ut præfertur, nominatis pro ea vice tantum eadem auctoritate conferre, & de illis etiam providere pariter libere, & licite possent, & quod ab eisdem personis sic pro tempore nominatis in actu nominationis de eis pro tempore factæ in qua facultate, in quo Gymnasio, & qua hora illa docere, seu legere deberent, exprimeretur, & si a præmissis defecissent post primam, & secundam nominationes eis desuper factas, a perceptione fructuum, reddituum, & proventuum Præbendarum, quas vigore nominationum, & collationum hujusmodi tunc assecuti fuissent, per Abbatem, & Decanum Ecclesiæ S. Pauli Leodien., & Priorem prædictos, aut aliquem ex eis ad requisitionem illis per Rectorē, & Decanos facultatum, & Provisores Universitatis hujusmodi facien. suspenderentur, & si suspensionem hujusmodi per mensem animo sustinuissent indurato, iisdem Prebendis ipso facto, & cum effectu privarentur, & pro privatis haberentur, & statim de illis, aliis personis modo, & forma præmissis provideretur; Verum si personæ nominatæ prædictæ in aliquam suspicionem hæresis incidissent, in eas per Inquisitores hæreticæ pravitatis in illis partibus eadem auctoritate deputatos absque ulla mora inquireretur, & si illæ compertæ fuissent hæresi hujusmodi infectæ, alii Catholici ad Beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur, & subinde quinquennium hujusmodi ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquennii computan. semel, atque iterum extendit, & prorogavit, seu concessit, & indulsit, Postmodum aut postquam fel. rec Gregorius Papa XV. similiter Prædecessor noster per suas in simili forma Brevis expeditas literas Indultum præpictum vobis, ut præfertur, prorogatum, ac desuper confectas literas, & in eis contenta, ita tamen, ut hujusmodi Indultum Canonicatus, & Præbendas Metropolitanæ Ecclesiæ Colonien. minime compræhenderet, neque ad eos se extenderent, ac sine præjudicio dicti tunc, & pro tempore existentis Archiepiscopi Colonien., ac alias sub certis modo, & forma tunc expressis ad aliud quinquennium de novo concesserat, & subinde rec., & mem. Urbanus Papa VIII. pariter Prædecessor noster, attendens quod Indultum hujusmodi per Cancellariæ Apostolicæ regulas revocatum fuerat, & sicut eidem Urbano Prædecessori tunc exponi feceratis, causæ propter quas idem Indultum a præd. Paulo IV. primo loco concessum, & ab aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prædictis, ut supra prorogatum, & expresse de novo concessum fuerat, oonservationis nimirum Catholicæ Religionis in ista Civitate Colonien. eo usque vigebant, vosque cupiebatis ad Catholicorum virorum studia in istis partibus alenda, & allicienda hujusmodi Indulto diutius frui posse, idem Urbanus Prædecessor per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas Indultum prædictum vobis per dictum Gregorium Prædecessorem ad quinquennium, ut præfertur de novo concessum, ac desuper confectas literas prædictas, & in eis contenta, ad aliud quinquennium apostolica auctoritate sub certis modo, & forma tunc expressis denuo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, ac deinde secundodictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit, & prorogavit, ac deinceps eidem Urbano Prædecessori per vos exposito, seu subjuncto, quod quinquennium tunc per eum ultimo loco extensum, seu concessum brevi erat expiraturum, & causæ super quas Indultum

dultum hujuſmodi tam a prædictis Romanis Pontificibus, quam ab eo ultimo conceſſum fuerat, eatenus vigebant, dictus Urbanus Prædeceſſor Indultum prędictum per eum ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur extenſum, ſeu de novo conceſſum, ac deſuper confectas literas, & in eis contenta, ita tamen, ut proviſiones hujuſmodi ſervata dictarum literarum forma fierent ipſumque Indultum Canonicatus, & Præbendas Eccleſiæ Metropolitanæ Colonien. minime comprehenderet, nec ad eos ſe extenderet, ac alias ſub certis modo, & forma etiam tunc expreſſis ad aliud quinquennium extendit, & prorogavit. Et poſtmodum ſimilis rec. Innocentio Papæ X. Prædeceſſori etiam noſtro per vos expoſito quod cauſæ, propter quas Indultum hujuſmodi tam ab eodem Urbano tunc noviſſime, quam ab aliis Prædeceſſoribus conceſſum fuerat, etiam eatenus vigebant, ipſe Innocentius Prædeceſſor Indultum prædictum vobis per eumdem Urbanum Prædeceſſorem ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur extenſum, ſeu de novo conceſſum, ac deſuper confectas literas, & in eis contenta ſub certis pariter conditionibus, modoque, & forma tunc expreſſis ad aliud quinquennium pariter conceſſit, quinquenniumque hujuſmodi poſtmodum ad aliud etiam quinquennium a die 20. Februarii 1650. computandum extendit, & prorogavit. Ac demum Nos ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati per binas noſtras in ſimili forma Brevis literas, unas die 28. Augusti 1655., & alias die 8. Januarii 1661. reſpective expeditas Indultum prædictum vobis conceſſum, & prorogatum, ut præfertur, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis ſemel quidem ad quinquennium, noviſſime vero ad triennium tunc proximum reſpective de novo conceſſimus, & alias prout in prædictis noſtris, ac in ſingulis memoratorum Prædeceſſorum in eadem forma Brevis deſuper expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus uberius continetur.

§.2. Cum autem ſicut Nobis nuper exponi feciſtis noviſſime conceſſum per Nos triennium hujuſmodi expiraverit, & cauſæ propter quas idem Indultum per Nos, & Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros pluries conceſſum, & prorogatum reſpective fuit, etiam num vigeant; Voſque propterea Indultum hujuſmodi ad effectum ſupraſcriptum per Nos vobis de novo concedi ſummopere deſideretis: Nos ſpecialem vobis gratias facere volentes, & veſtrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Indultum prædictum vobis, ſicut præmittitur, a Nobis bis conceſſum cum omnibus, & ſingulis contentis in literis prædictis, ita tamen, ut proviſiones hujuſmodi ſervata dictarum literarum forma fiant, quacumque prætenſa praxi, conſuetudine, ſeu tolerantia contraria non obſtante, quam potius abuſum eſſe, & proinde præſens Indultum in omnibus, & per omnia juxta ejus tenorem, & proprietatem, prout verba illius ſonant, & non aliter, nec alio modo ſervari debere decernimus, & cum hoc, quod indultum hujuſmodi Canonicatus, & Præbendas Eccleſiæ Metropolitanæ Colonien. minime comprehendat, nec ad eos ſe extendat, ac ſine præjudicio Ven. Fratris moderni, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Colonien. necnon cum omnibus, & ſingulis aliis facultatibus, conceſſionibus, &;ordinationibus, clauſulis, & decretis appoſitis in dictis literis, ac ſervata in illis, & per omnia earumdem literarum forma, ad quadriennium a data præſentium computandum auctoritate apoſtolica tenore præſentium de novo concedimus; Sicque, & non alitet per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§.3. Decernentes etiam vos quadriennio prædicto per Nos conceſſo durante, hujuſmodi Indulto, ac deſuper confectis literis prædictis libere, & licite uti poſſe, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clauſulæ.

§.4. Volumus autem, & earumdem tenore præſentium ordinamus ne Eccleſiæ, in quibus perſonæ nominatæ hujuſmodi vigore vacationum, aut collationum prædictarum, eoſdem Canonicatus, & Præbendas obtinuerint, ob earum impedimentum in legendo debitis defraudentur obſequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, ut eędem perſonæ ſi illis ea hora, qua ipſa divina officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos ſubſtitutos inibi deſerviri facere poſſint, & ita deſerviendo pro reſidentibus, & inſervientibus habeantur, ac diſtributiones quotidianas lucrentur, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi perſonaliter deſervirent, diebus Dominicis, & feſtivis principalioribus videlicet Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Glorioſiſſimæ Virginis, & Beatorum Apoſtolorum, & in quorum honorem dedicatæ ſunt Eccleſiæ prædictæ, aliorumque Sanctorum, quorum dies in ſingulis eiſdem Eccleſiis ſolemnes, & celebres habentur exceptis, quibus eis non per Subſtitutos, ſed per ſe ipſos Tranſumptorum fides.

ſos perſonaliter deſervire teneantur; quodque hujuſmodi Canonicatus, & Præben. perſonis ad profiten. in aliqua ex dictis Univerſitatibus idoneis repertis, qui jurejurando ad profitendi munus diligenter, ac immediate poſt Canonicatus, & Præben. adeptionem exercendum ſe adſtringant dumtaxat conferantur, ipſæque perſonæ prædictos Canonicatus, & Præben. per eas hujuſmodi nominationis vigore obtentos, niſi in manibus noſtris, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis cum ſpecifica mentione, quod illos vigore nominationis hujuſmodi conſequuti ſunt reſignare, aut alias dimittere nullatenus poſſint, alioquin Canonicatus, & Præben. hujuſmodi vacent eo ipſo, ita ut de illis per Sedem Apoſtolicam dumtaxat diſponi poſſit, uſque perſonæ ſic nominatæ prædictæ intra ſex menſes a die collationis, proviſionis, aut cujuſvis alterius diſpoſitionis de Canonicatibus, & Præben., ad quos illas nominari contigerit ſibi facien., ut præfertur, novas proviſiones ſuper illis a dicta Sede impetrare, & Literas Apoſtolicas deſuper in totum expedire, ac jura Cameræ Apoſtolicæ, & aliis propterea debita perſolvere omnino teneantur alioquin dictis ſex menſibus elapſis Canonicatus, & Preben. hujuſmodi vacent eo ipſo, itaut aliis per eamdem Sedem tantum libere conferri poſſint.

Clauſulæ ſublatæ, & Decretum irritans. §.5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinatienibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum prædictarum etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinlbus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, eiſdem Eccleſiis, & Capitulis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, & iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ae de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores hujuſmodi acſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumq;

Dat. die 14. Mar. 1664. An.IX. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 14. Martii 1664. Pontificatus noſtri Anno IX.

CDLXIX.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Diſmembratio, ac ſeparatio a Provincia Lugdunen. Ordinis Fratrum S. Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum ſex Conventuum, videlicet Belliregarden., Calvimonten. Brivaten. Claramonten., Curtipetren., & Uſſonen. Nationis Arverniæ Ordinis hujuſmodi, eorumque erectio in novam Provinciam Arvernenſem nuncupan.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione collocati, ad ea peculiares vigilantiæ noſtræ curas libenter convertimus, per quæ exortæ inter Religioſos viros controverſiæ opportunis rationibus dirimantur, & novæ Provinciæ inſtituantur, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Diſmembrationem concedit Pontifex aliaque ad effectum diſponit. §.1. Itaque cauſam diſmembrationis, ac ſeparationis ſex Conventuum, videlicet Belliregardenſis, Calvimonten., Brivaten. Claramonten., Curtipetren., & Uſſonen. Nationis Arverniæ Ordinis Fratrum Sancti Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum a Provincia Lugdunenſi ejuſdem Ordinis, & eorum in novam Provinciam Arvernenſem nuncupandam erectionis, ad inſtantiam dilectorum filiornm fratrum ipſius Arvernenſis nationis dirimere cupientes, ac eorumdem Fratrum Arvernenſis Nationis ſingulares Perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, qui informationem dilecti filii Correctoris Generalis Ordinis hujuſmodi deſuper habuerunt, remque mature examinarunt, ac perpenderunt, conſilio, memoratos ſex Conventus a dicta Provincia Lugdunen. auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium diſmembramus, ac ſeparamus, eoſque in novam Provinciam dicti Ordinis Arvernen. nuncupandam erigimus. Mandantes propterea eidem Correctori Generali, ejuſque pro tempore in officio cuicumque Succeſſori, ut Provinciam Arvernenſem ſic erectam, cum aliis dicti Ordinis Provinciis connumeret, ipſeque Corrector Generalis una cum ſuo Definitorio pro hac prima vice dumtaxat Correctorem Provincialem Provinciæ hujuſmodi eligat uſque ad proximum Capitulum generale incluſive duraturum, & votum in eodem Capitulo Generali prout cæteri ejuſdem Capituli Vocales habiturum; & in reliquis omnibus ad Conſtitutionem præfatæ novæ Provinciæ occurrentibus cum ipſo Definitorio pariter pro hac vice auctoritate noſtra provideat, ac decernat.

Decretum irritans. §. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus in contrarium deductis pro parte fratrum Nationis Lugdunen., ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciæ Lugdunen., & Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Mar. 1664. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Martii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXX.

Eximit Fratres, & Conventus Tertii Ordinis S. Francisci in Castellæ, Galliciæ, & Legionis Regnis degentes ab omni jurisdictione Ministri Provincialis Minorum de Observantia S. Jacobi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci in Castellæ, ac Galliciæ, & Legionis Regnis degentium Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod ipsi ægre ferebant eorum Ordinem in illis partibus pejorem quotidie in statum prolabi ex eo, quod Superiores ejusdem Ordinis, & Regulæ non haberent, a quibus immediate regerentur; quodque dudum felicis recordationis Clemens Papa Octavus Prædecessor noster ordinaverat, ut Conventus dicti Ordinis in Lusitania consistentes Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Commissario Generali familiæ Ultramontanæ ejusdem Ordinis immediate subjecti remanentes proprium Ministrum Provincialem, & Definitores sibi eligere possent, eaque ratione multis inconvenientibus obviam itum optimique effectus ad Dei gloriam, & Religionis incrementum inde consequuti fuerant, sicut experientia compertum erat.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod ipsi Exponentes propterea eorum Conventus in Regnis supradictis constitutos ab omni jurisdictione dilecti filii Ministri Provincialis Provinciæ S. Jacobi dicti Ordinis Minorum de Observantia eximi, & liberari, sibique ut dilecto filio Ministro Generali ejusdem Ordinis Minorum de Observantia immediate subjecti remanentes ab uno Ministro Provinciali, & quatuor Definitoribus, seu Discretis præfati Tertii Ordinis, qui in Capitulis quolibet triennio sub præsidentia dicti Ministri Generalis, vel Commissarii Familiæ Ultramontanæ Ordinis Minorum de Observantia hujusmodi, aut alterius per eos deputandi, juxta dispositionem Constitutionum dicti Tertii Ordinis celebrandis eligi deberent, ad instar Provinciarum Lusitaniæ, & Boeticæ, non obstantibus rec. mem. Pii Papæ V. Prædecessoris pariter nostri literis, quinto nonas Julii 1568. emanatis, quarum initium est: *Ea est Officii nostri ratio &c.* de cætero regerentur, & gubernarentur, concedi summopere desiderabant: Emanavit ab eadem Congregatione Decretum, tenoris qui sequitur videlicet.

§. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster instantiam hujusmodi remisit, attentis narratis, ac audita relatione Ministri Generalis Ordinis, precibus Oratorum benigne annuens, decrevit, & mandavit eosdem Oratores, seu ipsorum Conventus in posterum a jurisdictione Ministri Provincialis Provinciæ S. Jacobi de Observantia exemptos, & tantummodo eidem Ministro Generali, & Commissario Generali Familiæ Ultramontanæ immediate subjectos fore, prout harum serie eximit, ac respective subjicit, eidemque Ministro Provinciali injungit, ne ullatenus in eorum gubernium curam, aut quamcumque jurisdictionem se intromittat. Insuper eadem Sacra Congregatio statuit, ut deinceps prædicti Oratorum Conventus regantur per Visitatorem Provincialem, Definitores, aliosque Officiales ex eorum gremio assumendos, & eligendos, juxta Constitutiones Ordinis, & in reliquis omnibus ad instar Provinciarum Lusitaniæ, & Andalusiæ præfatarum. Pro hac autem prima vice electio præfatorum Visitatoris Provincialis, Definitorum, & Officialium fiat a dicto Ministro Generali una cum suo Generali Definitorio: & ita Sacra Congregatio præsentium vigore decernit, mandat, & statuit, & Nuncio Apostolico apud Regem Hispaniarum pro tempore degenti committit, ut quatenus opus sit easdem præsentes omnibus juris, & facti remediis exequutioni demanda-

Decr. Sacræ Congreg.

mandari faciat. Prædictis literis Apostolicis sanctæ mem. Pii V., cæterisque contrariis alias in suo robore permansuris, minime obstantibus.

Romæ 6. Martii 1664.

M. Cardinalis Ginettus.

Confirmat Pont. Decretum Sacræ Congreg.

§.3. Cum autem, sicut præfati Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & efficacia apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen sēper in præmissis auctoritate prefate Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præfatis Pii Prædecessoris literis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII., etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictorum Ordinum, ac Provinciæ Sancti Jacobi, & Conventuum, aliisve quibuslibet etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 26. Mar. 1665. An.IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima sexta Martii millesimi sexcentesimi sexagesimi quarti, Pontificatus nostri Anno IX.

Finis Anni IX.

INDEX
NOMINUM, ET RERUM PRÆCIPUARUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.


Numerus Paginam indicat, *a* primam columnam, *b* secundam designant.

S. Ja-

Finis Tom. VI. Par. V.









colorchecker CLASSIC

calibrite